—

COLLATIONES BRUGENSES.

—

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XII

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMVII

27245

v. 12
1907

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

—

I

Variis indiciis ex ipso epistolæ textu collectis ostende quibusnam et qua de causa scripta fuerit II Jo.

II

Ut actus sint meritorii de condigno vitæ æternæ debentne procedere *ex motivo supernaturali?*

III

Ex ipsa natura matrimonii ostende Ecclesiæ *jure proprio et exclusivo* competere regimen in matrimonia *fidelium* et in specie potestatem statuendi impedimenta.

IV

Determina officium et jus principis civilis quoad matrimonia fidelium.

V

An et quare agnoscendum est principi sæculari regimen in matrimonia *subditorum infidelium*, signanter jus statuendi impedimenta etiam dirimentia?

VI

Quasnam et ubinam recitare debet sacerdos preces ante communionem, si hæc ministranda sit 1/ monialibus ad fenestellam chori, 2/ pluribus monialibus in diversis cubiculis ejusdem conventus decumbentibus?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

R. *Quæritur utrum demonstrari possit II ep. S. Petri a principe Apostolorum fuisse conscriptam?*

Respondetur. Quæstioni huic, libere inter catholicos disputatæ, sequenti modo respondendum esse censemus: *in statu hodierno controversiæ videtur certò demonstrari non posse II ep. S. Petri a principe Apostolorum fuisse conscriptam, seu eam esse authenticam. Attamen hujusmodi authentia solide probabilis apparet. Externa enim traditio genuinitati haud ita aperte favet ut dictam demonstrationem certò conficiat. Argumenta verò interna, ex ipsa epistola desumpta, genuinitati revera favent, dum difficultates ex epistolæ tenore haustæ nullo modo cogunt ut auctorem ab apostolo Petro diversum assignemus.*

Responsum explicatur et probatur per partes.

I. **Prænotamus** hanc quæstionem inter auctores catholicos libere disputari.

Etenim Concilium Tridentinum solam auctoritatem divinam seu canonicitatem, non autem humanam authentiam librorum definivit (1). Enumerando singulos suis, quibus vocari solebant nominibus, Patres Tridentini — quidquid sit de propria ipsorum opinione hac in re — dictos libros ab iis auctoribus quorum nomina præ se ferebant fuisse conscriptos, solemniter definire nullo modo intendebant. Notum est in ipsis decretis dogmaticis Conciliorum et Pontificum sæpe nonnulla occurrere, ut observationes historicæ, motiva definitionis etc. in quæ non fertur definitionis intentio, adeoque

(1) S. IV, Decreto de Canon. Script. Cf Ills ac Revs WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 230.

respectu quorum fidei assensus non postulatur. Hujusmodi autem esse nomina auctorum libris inspiratis præfixorum, patet ex ipso Concilii scopo, qualis ex Actis genuinis apparet (1).

Plurimæ sunt circa libros canonicos quæstiones de auctoribus humanis quinam fuerint, de tempore scriptionis, de fontibus adhibitis, de genere literario aliisque de quibus nec Ecclesiæ definitio, nec certa veri nominis seu authentica Ecclesiæ traditio existunt, quæque studiis historicis ac criticis elucidanda sunt (2). Hujusmodi autem esse censemus quæstionem de auctore II Petri. Manet igitur ut, in hac quæstione libere disputata, tùm traditionis testimonia tùm indicia interna perpendamus.

II. **Externa traditio** genuinitati II Petri haud ita aperte favet ut eam apodictice demonstret. Et multum abest quidem. Etenim II Petri tardius quam reliqua N. T. scripta plerisque Ecclesiis innotuisse videtur, et nonnisi post sat diuturnas hæsitationes ut genuina et canonica ab universali Ecclesia agnita fuit. Quod breviter sic ostendimus:

Si *Theophilum Antiochenum* (c. a. 181) excipias (3), nulla *citatio* proprie dicta e II Petri desumpta apud Patres aliosque auctores sæculi I^i^ et II^i^ deprehenditur, licet apud *Patres apostolicos aliosque scriptores* non desint voces modique dicendi qui cum dictis II Petri ità conveniunt ut, plurium criticorum judicio, veluti allusiones ad hanc epistolam censeri possint ac debeant (4). Imo, nullum testimonium explicitum e sæc. I° vel II° oriundum cum omnimoda certitudine in

---

(1) Cf. A. Theiner, *Acta genuina SS. Concilii Tridentini*, Zagrabiæ, 1874, t. I; S. Merkle, *Concilium Tridentinum*, t. I (Friburgi B., 1901).

(2) Ita fere Ill^s^ ac Rev^s^ Waffelaert, *o. c.*, p. 230 s.

(3) *Ad Autol.* II, 3 = *II Pet.* II, 19, *Ibid.* II, 9 = *II Pet.* I, 21.

(4) Illos scriptores cum indicatis similitudinibus reperire est apud Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ Catholicæ*, Brugis, 1907, p. 115 s. Quoad Ep Barnabæ XV, 4 = *II Pet.* III, 8, nota hoc utrumque scriptum non tam ab invicem forsan, quam a *Ps.* XC, 4 pendere. Cf. etiam Henkel, *Der zweite Brief des Apostelfürsten Petrus*, Freiburg i. B., 1904, p. 79 ss. Probabilior dependentia a II Petri apud S. Clem. Rom. reperitur

favorem authentiæ II Petri allegari potest. Ita incertum est utrum in ecclesia Galliæ *S. Irenæus* II Petri velut apostolicam habuerit (1). Pariter non liquet utrum ecclesia Romana eam ut genuinam habuerit: etenim *Canon Muratorii* ubi de I Petri loquitur truncatus apparet, neque eruditi de modo textum integrandi conveniunt (2).

In Ecclesia occidentali nullum testimonium explicite canonicitati atque apostolicitati II Petri favet ante medium sæc. IV^{m}: in ipso *canone Mommseniano* (a. c. 360) adhuc dubium quoddam apparet (3).

Citius Ecclesia orientalis authentiæ II Petri testimonium perhibuit. Primùm certo nota apparet in ecclesia Alexandrina: *S. Clemens Alexand.* († 215) in II Petri commentarium seu « compendiosam enarrationem » scripsit (4): attamen e magno fragmento latino « Hypotyposeon » apparet Clementem II^{am} Petri I^{æ} Petri non omnino æquiparavisse (5). *Origenes* († 254) II Petri ut canonicam et genuinam habere videtur (6); attamen hac de re consensum unanimem non existere fatetur (7). *Firmilianus Cæsareæ* († 258) a pluribus velut testis genuinitatis invocatur (8). *Eusebius Cæsareæ* († 340)

---

(1) Cf. Camerlynck, *S. Irénée et le Canon du N. T.*, Louvain, 1896, p. 38. Henkel, *o. c.*, p. 83 comparat *Adv. Hær.* IV, 36 cum *II Pet.* II, 4-7 et 20, et non improbabiliter concludit veram hîc reperiri dependentiam. Nullibi tamen explicite Irenæus Petrum nominat auctorem.

(2) Probabilior restitutio a Zahn proponitur (cf. Henkel, *o. c.*, p. 88): « Apocalypsis etiam Johannis et Petri [unam] tantum recipimus [epistulam; fertur etiam altera] quam quidam ex nostris in ecclesia legi nolunt ». Unde et juxta hanc probabiliorem lectionem canonicitas II Petri dubia erat.

(3) Cf. Zahn, *o. c.*, p. 81: textus habet quidem: « Epistulæ Petri II vēr CCC », sed immediate additum fuit: « una sola ». Canon Mommsenianus (a Theod. Mommsen a. 1886 repertus) ex Africa oriundus est.

(4) Cf. Eus., *Hist. Eccles.*, VI, 14. Hoc tamen a pluribus ut incertum habetur. Cf. *Rev. Bénéd.*, 1894, p. 244 s., 1895, p. 582.

(5) Cf. Zahn, *Forschungen zur Gesch. des neutestl. Kanons*, Erlangen u. Leipzig, t. III, p. 154; *o. c.*, p. 22. In Ecclesia *Edessæ*, ut e « doctrina Addai » constat, sæc. III° nulla epistola catholica recipiebatur.

(6) Cf. *Hom. in Num.* XIII, 6; *hom. in Lev.* IV, 4; *Comm. in Rom.* IV, 4; VIII. 7 etc. Cf. Batiffol, *Rev. bibl.*, 1903, p. 16.

(7) Eus., *Hist. Eccl.*, VI, 25, 8.

(8) Ait enim in ep. LXXV (ad Cyprianum): « Adhuc enim infamans Petrum et Paulum beatos apostolos quasi hoc ipsi tradiderint; qui in

circa authentiam II Petri anceps hæsisse videtur, quanquam ei potius favisse appareat. Testatur enim eam fuisse « contradictam » quidem, sed a plerisque receptam, et « una cum reliquis Scripturis lectitatam », eamque recenset inter scripta ἀντιλεγομένα, γνώριμα δὲ τοῖς πολλοῖς. « Ex iis tamen, ait, quæ in dubium revocantur, a multis tamen commemorari videmus, est epistola... secunda Petri » (1). Imo alibi septem epistolas catholicas velut collectionem clausam exhibet, clare innuens se earum apostolicitati favere (2). Eodem tamen fere tempore in Ecclesia Antiochena et Syriaca ut dubia adhuc habebatur (3).

Verum mox omnia dubia in Ecclesiis orientalibus evanuerunt: ad quod Eusebii auctoritas haud parum contulerit, sparsis utique 50 Scripturæ exemplaribus jussu Constantini imperatoris ab ipso descriptis. *Didymus Alexandrinus* (4) († 384), *S. Cyrillus Hieros.* († 386), *S. Gregorius Naz.* († c. 396), *canon Laodicensis* (372), *canon Apostolorum 85* etc. II Petri ut genuinam habuerunt.

Ad authentiam II Petri in Ecclesia occidentali fundandam contulit quidem vitæ commercium quod sæc. IV° Ecclesiam orientalem inter et occidentalem intercessit (5) maxime

---

epistolis suis hæreticos execrati sunt, et ut eos evitemus monuerunt ». Firmilianus II Petri intenderit, cum in I Petri nequaquam, in II Petri vero acriter hæretici impugnentur.

(1) Hæc scripta ἀντιλεγομένα ejus judicio quasi media erant inter scripta ὁμολογούμενα (communi omnium consensu recepta, ut I Petri) et νόθα « quæ inter catholica omnino non esse tradita scimus, siquidem nec antiquus aliquis nec recens scriptor eorum testimoniis usus est »; hujusmodi esse tenebat Actus Petri, ejusque Evangelium, Prædicationem (κήρυγμα) et Apocalypsin. Cf. Eus. *Hist. Eccles.* III, 3, 1, 4; 25, 3; V, 20, 1.

(2) *Hist. Eccles.*, II, 23, 25. Cf. Zahn, *Grundriss*, p. 56.

(3) Cf Zahn, *Geschichte des neut. Kanons*, t. I, p, 312 s.; *Grundriss*, p. 22. Unde cum Theophilus (v. supra p. 7) II Petri ut authenticam haberet, traditio Ecclesiæ Antiochenæ mutata fuerit: mutatio autem imputanda videtur Luciano, qui Edessæ exegesim sacram didicit antequam in urbe Antiochia scholam fundaverit. Zahn, *Grundriss*, p. 54.

(4) *De Trin.* I, 15, 28, 29 etc. (Migne, *P. G.*, t. XXXIX, p. 304, 409, 416. Didymus « Enarrationes » in II Petri conscripsit. At fragmentum latinum (Migne, *t. c.*, p 1774) in quo dicitur epistolam hanc esse falsatam, neque in canone esse, probabilius spurium est. Cf. Chase apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, t. III, p. 805.

(5) Ità S. Athanasius exul degit Treviris (336-337), Romæ (340-343)

verò auctoritas *S. Hieronymi* (346-420) qui diu in Oriente Antiochiæ sc. Constantinopoli, Alexandriæ, in Palæstina degit, ibique præclaros viros ut Apollinarem et S. Gregorium Naz. magistros habuit, et Romæ in intima familiaritate cum Damaso Pontifice vixit. Hieronymus dubia contra II Petri olim mota rite perspecta habebat (1), nihilominus eam genuinam crediderit: nam scribit: « Denique et duæ epistolæ quæ feruntur Petri stylo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus » (2). *Canon Romanus* a Synodo sub Damaso a. 382, præsente S. Hieronymo celebrata editus, utramque epistolam « Petri Apostoli » recenset. S. Hieronymus II Petri in Vulgatam versionem assumpsit, tantique viri auctoritas apud occidentalem Ecclesiam haud parum contulit ad omnes dubitationes definitive tollendas.

Ex his omnibus liquet non posse certo demonstrari e Traditione principem Apostolorum esse auctorem II Petri.

III. **Argumenta interna** genuinitati favent. Auctor se diserte vocat « Symeon Petrum, servum et Apostolum Jesu Christi », testem gloriosæ transfigurationis Christi; Paulum Apostolum fratrem suum appellat; a Christo circa mortis suæ tempus edoctus, eo sollicitior lectores ad virtutes colendas exhortatur; significat se jam priorem epistolam scripsisse (3): quæ omnia in S. Petrum quadrant. Auctor ergo II Petri fuerit Petrus ipse, vel alius quidam qui Apostoli nomen falso usurpaverit.

Jamvero in epistola nihil reperitur quod auctorem a

---

et in aliis locis Occidentis (usque ad a. 346); S. Hilarius Pictaviensis exulavit in Asia Minori (356-360); pariter in Oriente exules fuerunt Lucifer Calaritanus et Eusebius Vercellensis. Inde ab a 380 susceperunt Occidentales peregrinationem ad loca sacra, ZAHN, *Grundriss*, p. 64. Durante sua commoratione Romæ (340-343) S. Athanasius jussu Constantis imperatoris, exemplar Bibliorum edidit, in quo sane suam de canone N. T. opinionem secutus fuerit.

(1) *De vir. ill.* I.

(2) *Ad Hedib.* Ep. CXX, 11.

(3) Cf. *II Pet.* I, 1; I, 17 s.; III, 15; I, 13-15; III, 1.

Petro diversum demonstret, pluraque alia insuper prostant indicia genuinitati faventia.

Ita a/ auctor certo erat Judæus (1), indole ardens qualis S. Petrus in N. T. passim depingitur. b/ Errorem fraudemque vehementer abhorrere apparet (2); in specie haud intelligitur quomodo auctor pseudepigraphus testimonium Petri de Christi transfiguratione (I, 17) evangelicæ narrationi haud accommodasset; cur, ad modum *I Pet.* I, 1, lectores haud clarius indicasset? c/ Plures voces locutionesque in hac et in I Petri occurrentes, eumdem esse utriusque auctorem suadent (3). d/ Genuinitati II Petri pariter favet hujus comparatio cum orationibus Petri in Actis Ap., necnon cum Ev. Marci, Petri discipuli (4). e/ Denique favet dependentia II Petri ab ep. Judæ (5).

Plures quidem **difficultates**, ex ipsa epistola haustæ, contra ejus apostolicam originem motæ fuerunt. Ita a/ contendunt quidam (6) II Petri plures exhibere doctrinas (7) ævo apostolico posteriores, et in specie eam *hellenismo* sæc. II^{i} imbutam esse et *gnosticismum* qualis circa a. 150 viguit, impugnare. Per se patet responsionem ad hanc difficultatem ex universæ epistolæ interpretatione potius quærendam esse. Sufficiant igitur hîc generales hæ animadversiones: auctor II Petri minime fuit philosophus græcus sæc. II^{i}; ab hellenismo, uti aiunt, magis remotus apparet quam s. Lucas et maxime s. Paulus. Præterea non Gnosticos sæc. II^{i}, sed potius nascentis gnosticismi vestigia insectatur, qualia vesti-

---

(1) Uti apparet ex usu Vet. Test. Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 119, n. 8.

(2) Cf. *II Pet.* I, 16; II, 3, 18 s. Cf KAULEN, *Einl. in die h. Schrift*, Freiburg i B., 1898, p. 238; BELSER, *Einl. in das N. T.*, Freiburg i. B., 1891, p. 178.

(3) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 120 n. 5.

(4) *Ibid.*, p. 120, n. 6 et 7.

(5) Cf. F. MAIER, *Der Judasbrief*, Freiburg i. B., 1906, p 104 ss; HENKEL, *o. c.*, p. 38 ss.; *Rev. Bénéd.*, 1905, p. 582; VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 124 s.

(6) Cf. v. g. JUELICHER, *Einl. in das N. T.*, Freiburg i. B., 1901, p. 189.

(7) v. g. I, 4; III, 4-8, 10, 12. Cf. HENKEL, *o. c.*, p. 4 ss.

gia in Paulinis epp. reperiri neminem latet. Plures critici paucis quibusdam locutionibus æquo magis inhærent. Eas autem in hellenismo sæc. II[i] et apud Gnosticos circa a. 150 deprehendi non est negandum quidem, verùm æque certum est dictas locutiones a viris eruditis in altera sæc. I[i] parte usurpatas fuisse (1).

b/ Alii allegant c. III, 2 sermonem fieri *de Apostolis veluti de collegio* quodam clauso, quod Prophetis V. T. juxtaponitur, eumque loquendi modum ævo apostolico esse posteriorem. Verùm « Apostoli vestri » III, 2 non omnino idem est ac « Apostoli, *οἱ ἀπόστολοι* »; ii designantur viri qui titulum apostolatus sibi vindicare possunt, at insuper fidem lectoribus epistolæ prædicaverunt. Optime potuit auctor, casu quo ipse evangelium destinatariis prædicasset, dicere « apostoli vestri »: omnis fidei magister vel concionator discipulos vel auditores data occasione alloquitur dicens: « magistri vestri » vel « concionatores vestri » (2). Cæteroquin, si III, 2 auctor ab apostolis se secerneret, sibi ipsi contradiceret cùm I, 16 se velut apostolum perhibeat: hæc autem prætensa contradictio (3) propositæ difficultati magnum præjudicium creat.

c/ Nec *dissonantia styli ac linguæ* II Petri ab indole literaria I Petri obstat quominus Petrus illius auctor dicatur, dummodo ad mentem s. Hieronymi (4) eum « pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus » dicamus. Interpres I Petri fuerit Silvanus (V, 12). Quisnam in II Petri exaranda interpres assumptus fuerit nos latet (5).

d/ Advertunt adhuc III 15 s. omnes *epistolas Paulinas velut Scripturas haberi,* hoc autem ætati apostolicæ haud congruere. Verùm epistolæ verba nos non cogunt, ut omnes omnino

---

(1) Cf. Bigg, *St Peter* and St Jude, Edinburgh, 1902, p. 256.

(2) Cf Zahn, *Einl. in das N. T.*, Leipzig, 1900, t. II, p. 49, 59 s. Vide præterea *Eph.* IV, 11; *I Cor.* XII, 28.

(3) Quomodo non stet asserta oppositio rite explicat Ladeuze, *Rev. Bibl.*, 1905, p. 544 s.; cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 122, n. 5.

(4) *Ad Hedib.*, Ep. CXX, 11.

(5) Petrus epistolæ auctor jure dicitur, licet forte ei solas sententias solumque earum ordinem, uni autem ex ejus discipulis dictionem sermonisque ornatum debeamus. Cf. Cornely, *Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros,* t. III (Parisiis, 1886), p. 648.

Pauli epistolas auctori cognitas dicamus. Quod autem notas S. Scripturis adnumeret, id recte se habet, uti ex resp. ad q. I mensis seq. constabit.

e) Notant demum *dubia de altero Christi adventu* in II Petri occurrere, quæ nonnisi post Apostolorum ætatem exorta esse probabile est, et de parousia tradi sententiam quæ a doctrina apostolica hac de re abhorret (III, 4 ss.). Attamen hujusmodi dubia facile oriri poterant, data communi persuasione in verbis Christi (1) male intellectis fundata, eo tempore quo prior « generatio » christiana jam e vivis discedebat. Auctor autem de parousia, cum communi Apostolorum doctrina (2), inculcat tempus parousiæ incertum esse et incognitum, lectoresque monet ut ad reditum Domini sint parati (3).

IV. **Conclusio.** Iis omnibus perpensis, stat thesis asserta: authentia II Petri certo demonstrari nequit, sed solide probabilis apparet.

A. Camerlynck.

II

Q. *Explica et dijudica hoc S. Thomæ assertum:* « Habentibus charitatem omnis actus (humanus) est vel meritorius vel demeritorius ». *De Malo*, Q. II, a. 5, ad 7.

R. I. Citatis verbis docet S. Thomas in homine justificato *omnem* actum humanum, h. e. deliberatum, esse coram Deo retribuendum vel præmio (gloria æterna aut ejus augmento) vel pœna (luenda sive in hac vita sive in altera); nullus actus deliberatus datur qui sit moraliter indifferens, sed unusquisque est vel moraliter bonus, vel moraliter malus: hoc etiam in homine justificato; in tali autem homine, omnis actus moraliter

(1) *Mt* XXIV, 34; *Mc* XII, 30; *Lc* XXI, 32.

(2) *Mt* XXIV, 36; *Mc* XIII, 32; *Lc* XII, 35-42; *Act.* I, 7; *I Thes.* IV, 14-V, 6; *I Tim.* VI, 15, Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 117, n.

(3) Cf. Henkel, *o. c.*, p. 6 ss.

bonus est etiam meritorius coram Deo, seu mercede retribuendus (1).

Hæc sententia S. Thomæ exponitur ab ipso his verbis: « Actus autem susceptibilis est bonitatis moralis, secundum quod humanus est: humanus autem est secundum quod aliquatenus ratione deducitur: quod contingit in illis actibus tantum qui imperantur a voluntate, quæ consequitur deliberationem rationis. Actus autem qui sequuntur apprehensionem subitæ imaginationis, sicut confricatio barbæ, et aliquid hujusmodi, dicentur hoc modo indifferentes. Nullus autem corum qui voluntatem deliberatam sequitur, indifferens erit, sed de necessitate vel bonus vel malus bonitate vel malitia civili (2): sed tamen actus bonitate civili perfectus, non est susceptibilis efficaciæ merendi nisi in eo qui gratiam (3) habet; et ideo in eo qui caret gratia, indifferens est ad meritum et demeritum; sed in illo qui gratiam habet oportet vel meritorium vel demeritorium esse: quia sicut malus erit demeritorius, sic etiam bonus erit meritorius: quia cum caritas imperet omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quidquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem caritatis: et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis, in finem caritatis ordinatus remanebit; et ita meritorius erit; et sic comedere et bibere, servato modo temperantiæ, et ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliæ,... meritorium erit in eo qui caritatem habet, qua Deum ultimum finem suæ vitæ constituit » (4).

---

(1) Agitur autem de merito proprie dicto, seu de condigno, ut legenti loca S. Doctoris afferenda patefiet. Cf. TERRIEN, *La grâce et la gloire*, Paris, 1897, T. II, p 26.

(2) Actus dicitur bonus vel malus bonitate vel malitia civili, quatenus est conformis virtuti civili vel huic opponitur. Porro virtus civilis dicitur quæ « dirigit in omnibus quæ sunt corporis et etiam propter corpus quæruntur » S. THOMAS, in eodem articulo. Hîc loquitur S. Thomas de virtute civili contra illos qui dicebant dari actus quosdam moraliter indifferentes, in exercitio virtutis politicæ vel civilis.

(3) Hic intelligitur gratia *sanctificans:* nam apud S. Thomam, nomine *gratia*, sine addito, designatur gratia sanctificans; præterea in textu citato patet eumdem esse qui habet gratiam et qui habet charitatem.

(4) In II, D. XL, Q. I, a. 5.

Idem docet S. Thomas in opere quod in fine suæ vitæ conscripsit : « Ex quo patet quod non omnis humanus actus, etiam in singulari consideratus, est meritorius vel demeritorius, licet omnis sit bonus vel malus. Et hoc dico propter eos qui caritatem non habent, qui mereri non possunt. Sed habentibus caritatem omnis actus est vel meritorius vel demeritorius » (1).

Consequenter ad hanc sententiam tenet S. Doctor quod etiam « actus matrimonialis (usus matrimonii) semper est peccatum vel meritorius in eo qui gratiam habet » (2).

II. Doctrinam mox propositam ut veram habemus : duo porro complectitur, quæ ipsis S. Thomæ argumentis demonstrabimus : 1/ nullus actus humanus, in individuo spectatus, est moraliter indifferens, sed omnis est vel bonus vel malus moraliter ; 2/ in homine justificato omnis actus moraliter bonus est etiam meritorius.

1. Prænotemus admitti dari actus *secundum speciem* indifferentes, nempe actus qui, si objectum eorum solum consideratur, nec positive conformes, nec positive difformes sunt ad ordinem rationis, sicut comedere, deambulare, et alia hujusmodi (3).

Sed sermo est de actibus deliberatis *in individuo* spectatis, nempe de actibus deliberatis consideratis prout illi de facto ponuntur ab homine agente, et de illis tenemus omnes esse vel bonos, vel malos moraliter.

Quod sic patet : omnis actus deliberatus est vel

---

(1) *De Malo*, Q. II, a. 5, ad 7.

(2) In IV, D. XXVI, Q. I, a. 4 ; Supplem. Q. XLI, a. 4.

(3) « Actus omnis habet speciem ab objecto ; et actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio. Unde si objectum actus includat aliquid quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus secundum suam speciem, sicut dare eleemosynam indigenti ; si autem includat aliquid quod repugnat ordini rationis, erit malus actus secundum suam speciem, sicut furari, quod est tollere aliena. Contingit autem quod objectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terra, ire ad campum et hujusmodi, et tales actus secundum speciem suam sunt indifferentes ». S. Thomas, I-IIæ, Q. XVIII, a. 8. Cf. *De Malo*, Q. II, a. 4 et 5.

ordinatus ad debitum finem vel non ordinatus ad debitum finem; atqui, si primum, ille actus est positive conformis ordini rationi, consequenter moraliter bonus; si secundum, ille actus est positive difformis ab ordine rationis et consequenter moraliter malus; ergo nullus datur actus in individuo indifferens.

Major declaratur. Actus deliberatus est *electio* voluntatis, nempe non motus ab ipsa natura determinatus, sed volitio ad quam ipsa voluntas sese determinat et quidem propter objectum ab ipso intellectu propositum ut bonum: v. gr. si, voluntate deliberata, volo deambulare, hoc volo vel quia est necessarium sanitati, vel utile ipsi, vel quia est delectabile, vel quia alicui gratum est, etc.: semper *aliqua erit specialis ratio boni* propter quod volo hîc et nunc deambulare. Jamvero si illud bonum hîc et nunc est consentaneum ordini naturæ, nempe ordini ab ipso Deo rebus indito, volitio mea erit ordinata ad finem debitum; si vero illud bonum non est hîc et nunc consentaneum ordini naturæ, volitio mea non erit ordinata ad debitum finem (1).

Minor patet: si homo vult bonum consentaneum hîc et nunc ordini naturæ, sua volitio est recta, nempe positive conformis ordini naturæ; si homo vult bonum hîc et nunc non consentaneum ordini naturæ, sua volitio est positive difformis ab ordine naturæ.

Audiamus *S. Thomam:* « Oportet ut quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali: si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est

(1) Si agitur de actibus quæ *secundum speciem* sunt indifferentes, ex variis adjunctis personæ, temporis, loci, mensuræ, dijudicatur utrum bonum quod est volitum sit, vel non sit, consentaneum ordini naturæ.

omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum » (1).

Nota. Quidam auctores censentes dari actus in individuo indifferentes, ut tales exhibent actiones ambulandi, comedendi, dormiendi, tempore, loco, mensura debita (secus enim illæ actiones forent moraliter malæ), quas homo ponit ad naturæ indigentiis subveniendum, vel ad ipsam recreandam, nihil aliud actualiter vel virtualiter intendendo. Sed tenemus illas actiones esse moraliter bonas: etenim Deus ipse ita condidit naturam ut homo ad quasdam operationes necessarias vel utiles tum ipsius individui conservationi, tum speciei propagationi, moveretur appetitu delectationis illis operationibus inhærentis, vel appetitu doloris removendi: ita ut delectatio habenda vel dolor removendus sit *motivum alliciens* ad operandum (2): defatigatione impellitur ad quietem sumendum vel somnum, fame ad manducandum, siti ad bibendum; præterea ipsi delectationi inhærenti usui quorumdam ciborum movetur homo ad capiendum nutrimentum vitæ sustentationi necessarium vel robori utile; etiam delectationi inhærenti copulæ carnali movetur homo ad generandos filios. Si homo revera *allectus* delectatione habenda vel dolore removendo ambulat, dormit, comedit, etc. (si illa actio fit debito tempore, loco mensura) homo agit modo positivo conformi ordini naturæ et *implicite* seu *interpretative* intendit ipsum finem operis, nempe finem tali operi præstitum ab ipso Auctore naturæ, ideoque hæc ope-

---

(1) I-II^{æ}, Q. XVIII, a. 9; cf. in II, Dist. XL, Q. I, a. 5; *De Malo*, Q. II, a. 5; BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis*, 3^{a} Edit. n. 363; TAPPARELLI, *Saggio di dritto naturale*, Prato, 1883, T. I, n. 187; FERRETTI, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ, 1887, T. I, p. 203 ss.; SCHIFFINI, *Disputationes philosophiæ moralis*, Augustæ Taurinorum, 1891, T. I, n. 79, p. 129; ZIGLIARA, *Summa philosophica*, Parisiis 1900, T. III, p. 68; FORGET, *Philosophie morale*, p. 62 (dans le Traité élémentaire de philosophie édité par l'Institut supérieur de philosophie de Louvain, 1906, T. II); LEHMKUHL, *Theologia moralis*, T. I, n. 39.

(2) Cf. Ill^{mus} ac Rev^{mus} WAFFELAERT, *De Temperantia*, n. 12.

ratio est ordinata ad debitum finem, consequenter moraliter bona. Licet igitur operans nihil actu cogitet et velit quam naturæ indigentiis subvenire, vel ipsi delectionem præbere, tamen *finis* illius hominis *operantis* est rectus, quum confundatur cum ipso fine operis (1).

2. Ad secundum assertum stabiliendum, nempe: *omnis actio moraliter bona in homine justificato est etiam meritoria,* non afferri potest aliquod documentum, sive ex S. Scriptura, sive ex Ecclesiæ definitionibus, quod thesim vere demonstret; sed ostenditur omnem actionem moraliter bonam in homine justificato, vere, licet implicite, referri in Deum, ultimum finem supernaturalem; proinde non posse exigi aliam relationem.

Homo justificatus fit, gratia sanctificante, formaliter divinæ naturæ particeps, et sua voluntas informatur charitate qua possit supernaturaliter amare Deum omnino super omnia et consequenter omnes actus suos in Deum supernaturaliter referre.

Jamvero homo justificatus, regulariter saltem loquendo (2), usum rationis adeptus, fide cognoscet primum esse mandatum diligendi Deum super omnia: huic præcepto si satisfacit (3), actu charitatis se et

---

(1) Qui igitur agit propter delectationem, sed non ex mera delectatione, non solum non peccat, sed ejus operatio est moraliter bona; cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 369; iterum qui tenent conjuges, actum conjugalem exercendo *propter delectationem, non peccare,* logice concludunt illum actum esse vere honestum, nempe moraliter bonum, licet in genere morum minus perfectum quam esset actus exercitus explicita intentione procreandi filios. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 168 ss.

(2) Dicitur: regulariter saltem loquendo, ut abstrahamus a casu possibibili, sed extraordinario, quo aliquis, in infantia baptizatus, postea inter infideles vel in silvis relictus, quum ad usum rationis pervenerit non cognosceret debito modo præceptum charitatis, et nec actum faceret charitatis, nec peccaret: quo de casu variæ possunt moveri quæstiones, etiam connexæ cum quæstione de merito. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 184 ss. — In sententia quam propugnamus, loquimur de homine qui semel *actum* charitatis *elicuit:* de hoc etiam constanter loquitur S. Thomas.

(3) Variis modis potest actu exerceri charitas, v. gr. operando ut placeam Deo, vitando peccatum *quia* displicet Deo; orando ut sanctificetur nomen Dei, ut fiat ejus voluntas, gaudendo de perfectionibus

omnia sua de facto in Deum supernaturaliter ordinat; si vero non satisfacit præcepto, mortaliter peccat (1). Porro homo qui semel sese ad Deum ordinaverit charitate, et nullo peccato mortali hanc relationem retractaverit, quando ponit aliquam actionem moraliter bonam, hæc actio implicite refertur in Deum quia homo semel pro semper se et sua ad Deum ordinavit tamquam ad ultimum finem vitæ suæ: et ad hunc finem, semel intentum charitate, natura sua referuntur omnes fines aliarum virtutum e quibus eliciuntur varii actus moraliter boni in homine. — Quum igitur omnes actus moraliter boni natura sua referantur vere in Deum et charitate referantur supernaturaliter ad verum finem ultimum, nihil jam deest quominus vere cedant in obsequium Dei quatenus est Auctor ordinis supernaturalis, et proinde sint vere meritorii.

Prædictum argumentum sic exponitur a S. Thoma: « Ad hoc quod aliquis actus sit meritorius in habente charitatem, non requiritur quod actu referatur in Deum; sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui habitu refertur in Deum..... Sed constat quod ille qui charitatem habet, se et omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad aliud quodcumque sui, meritorie agit, etiam si actu de Deo non cogitet; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum. Sed hoc non potest esse quin peccatum sit, saltem veniale. Ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius vel est peccatum; et nullus est indifferens » (2).

---

divinis, optando ut nemo offendat Deum, etc. Cf. Bouquillon, *De Virtutibus theologicis*, Brugis, 1878, n. 454; Bucceroni, *Institutiones theologiæ moralis*, Ed. 2ª, Romæ, 1893, n. 381.

(1) Cf Bouquillon, *o. c.*, n. 453.

(2) *De Malo*, Q. II. a. 5, arg. 11 quod approbat S. Thomas; idem docet in II, D. XL, Q. I, a. 5; *De caritate*, a. 11, ad. 2. Sententiam hanc propugnant Capreolus, in II, D. XL, a. 1; Cajetanus, in I-IIª, Q VIII, a. 3; Soto, *De natura, et gratia*, L. III, c. 4; Pignataro, *De Gratia*, (autogr.) Romæ, 1899, p. 468; Terrien, *o. c.*, p. 26 qui et alios auctores citat. Refert etiam testimonia valde notanda trium auctorum qui in *scriptis*

Adnotatio. 1. Sententiæ quam exposuimus ac propugnavimus duplici ratione contradici potest: *primo*, asserendo dari actus in individuo indifferentes quoad moralitatem, dari nempe actus deliberatos qui nec boni moraliter sint, nec mali; hac hypothesi admissa, jam nequit asseri in homine justo omnes actus humanos esse vel meritorios vel demeritorios: actus enim indifferentes in justo nec meritorii nec demeritorii esse possunt. Dari actus deliberatos in individuo indifferentes tenent S. BONAVENTURA (1), SCOTUS (2). *Secundo*, asserendo ad meritum requiri plus quam moralem rectitudinem actus deliberati positi ab homine justo, quemadmodum v. gr. tenet SUAREZ statuens actum, ut sit meritorius, ponendum esse ex « aliquo motivo et imperio supernaturali » (3). In hac opinione jam non verum est omnem actum humanum, moraliter bonum, in justo esse meritorium.

De hac opinione agemus in quadam alia responsione.

2. Quidam auctores statuunt, *abstractione facta* a quæstione *utrum dentur in individuo actus moraliter indifferentes*, in homine justo omnem actum *moraliter bonum* esse etiam meritorium. Ita docent SALMANTICENSES (4). Inde recte notat SCHIFFINI: « præsentem quæstionem (utrum omnia opera ethice bona in statu justitiæ peracta sint meritoria) non esse cum alia permiscendam ubi disputatur, num dentur in individuo actus in genere morum indifferentes, h. e. a deliberata voluntate procedentes nec tamen boni aut mali moraliter » (5). Deinde propugnat prælaudatus auctor, ut

---

asceticis illi doctrinæ omnino adhærent: sunt nempe S. IGNATIUS, *Exercitia spiritualia*, 1ª hebdom., examen consc. gener.; LUDOVICUS GRANATENSIS, *La guide des pécheurs*, L. I, c. 14; S. FRANCISCUS SALESIUS, *Traité de l'amour de Dieu*, L. XI, c. 4, L. XII, c. 8.

(1) In II, D. XLI, a. 1, q. 3.

(2) In II, D. XLI.

(3) *De Gratia*, L. XII, c. 10, n. 15 et 16.

(4) Tractatus XVI, Disp. IV, dub. 5.

(5) *De Gratia divina*, Friburgi Brisgoviæ, 1901, n. 375.

probabilem, sententiam quæ dicit omnem actum moraliter bonum in justo esse meritorium, nec negat probabilitatem sententiæ oppositæ, quæ plus exigit ad rationem *meriti*. Tenet tamen Schiffini, uti suprà notavimus, non dari actus deliberatos in individuo indifferentes moraliter.

3. In exponenda S. Thomæ sententia locuti sumus de justo qui saltem semel elicuit actum charitatis : de hac etiam hypothesi sermo est apud S. Thomam. *Salmanticenses* ultro progrediuntur et statuunt : « Dicendum est hominem existentem in gratia prius quam actum charitatis formalem eliciat, mereri, per omnes actus suos moraliter bonos, vitam æternam de condigno, adeoque pro nullo casu admittendum esse in illo actum bonum qui meritorius non sit, quamvis opposita sententia sit sat probabilis etiam in via D. Thomæ » (1). S. Thomas statuit : « habentibus charitatem omnis actus (humanus) est vel meritorius vel demeritorius », attamen in exponenda sententia loquitur de homine qui *elicuit actum* charitatis : sic loquitur S. Thomas quia, *per se* loquendo, adultus justus, antequam faciat actus deliberatos bonos, facit actum charitatis. Si *per accidens* aliquis justus adultus bonos actus deliberatos faceret, quin elicuerit charitatis actum, illi actus referrentur ad finem charitatis, ex hoc ipso quod procederent ex virtutibus infusis : hæc est ratio quam exponunt *Salmanticenses* et quæ, ut videtur, non caret probabilite (2).

J. Van der Meersch.

---

(1) *O. c.*, l. c. dub. 6.
(2) Cf. Terrien, *o. c.*, p. 51 ss.

III

Q. *In quanam parochia, quoties et quonam titulo proclamari debet sponsa minorennis, quæ, cum hero cui famulatur, ante annum migravit ex S. Walburgæ (Brugis) ad parochiam B. M. V., et cujus parentes, ante quatuor menses, domicilium mutaverunt ex S. Annæ ad S. Ægidii?*

Respondetur.

I/ *Proclamari debent* banna (1) sponsæ (2), de qua quæritur,

1°/ *In ecclesia S^ti Ægidii,* idque *ter*, ratione *domicilii* quod ipsa ibidem censetur habere.

Utpote minorennis namque sortitur domicilium *paternum,* ita ut huic ne renuntiare quidem valeat *propria voluntate*, sed sola voluntate parentum: quæ hypothesis rarò obtinebit, ab eaque, in casu, abstrahimus (3). Ubi autem domicilium, ibi *parochus proprius:* cui incumbit (4), juxta dispositionem Conc. Tridentini, cap. 1° *Tametsi*, Sess. XXIV, *De Reformatione matrimonii,* nuptias *in ecclesia* denuntiare, *trina* proclamatione (5), *tribus* diebus *festivis continuis.*

---

(1) *Bannum* significat 1/ jurisdictionem et territorium jurisdictionis (bannum Imperii); 2/ edictum procedens ab habente jurisdictionem (de Dei et nostro banno bannimus ut nemo..); 3° edicti proclamatio; 4° pœna pro edicti transgressione, signanter spoliatio bonorum, expulsio. Cf. *Kirchenlexion,* V° *Bannum.*

(2) Quæstio nostra spectat unice proclamationes faciendas ex parte *sponsæ*, non attentis bannis denuntiandis ex parte *sponsi.*

(3) De hisce cf. dissertationem nostram *de domicilio minorennium*, apud *Collat. Brug*, t. VIII, ubi fusè exponitur disciplina canonica in hac re.

(4) Profectò potest parochus alium ad hoc delegare, sed non *convenit*, quemadmodum notat WERNZ, *Jus Decretalium,* IV, n. 136, ut committat clericum, ad prædicationem nondum approbatum, vel a fortiori laicum.

(5) Trina hæc proclamatio, in dicto capite, ad matrimonii liceitatem injuncta, obligat in omnibus locis, ubi caput *Tametsi*, saltem quoad proclamationes faciendas, est rite promulgatum, vel legitima c ..suetudine introductum. In aliis vero regionibus viget, salvis præscriptionibus juris particularis, sola dispositio Concilii Lateranensis IV, (c. 3; V, IV, 3), vi cujus ab Innocentio III imponitur ut *una* fiat matrimonii proclamatio. Quod autem spectat varias dispositiones juris antelateranensis, cf. WERNZ, o. c., n. 135.

2°/ *In ecclesia B. M. Virginis*, idque rursus *ter*, ratione *quasi-domicilii*, quod in dicta parochia præsumitur contraxisse sponsa.

Ibidem nempe famulando, censetur, præter factum habitationis, habuisse intentionem manendi per majorem anni partem, quod sufficit ad quasi-domicilium : ex contracto autem quasi-domicilio, non secus ac ex domicilio, constituitur parochus B. M. Virginis parochus proprius sponsæ, adeoque, eodem titulo ac sub 1°/, et vi ejusdem statuti Tridentini, onus habet, tribus vicibus, banna proclamandi.

Porro quod *etiam minorennibus* agnoscenda sit juridica facultas sibi, *propria voluntate*, constituendi *quasi-domicilium*, liquet ex dictis apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 353.

II/ *Non debet* sponsa, seclusa peculiari omninò præscriptione Episcopi (1), proclamari *in ecclesia S^a^ Walburgæ*, neque vi juris communis, cum parochus S. Walburgæ nullo titulo sit ejusdem sponsæ parochus proprius, neque vi juris particularis, in diœcesi Brugensi legitime vigentis: nimirum, juxta *Statuta diœcesis Brugensis*, « proclamationes bannorum tam sponsi quam sponsæ, qui in aliis parochiis habitaverunt, etiam ibidem *semel* fieri debent, nisi eas jam a sex mensibus deseruerint » (2); sed sponsa nostra, juxta exposita, jam *ab anno* reliquit parochiam S^ae^ Walburgæ.

---

(1) Contingit scilicet Episcopum, ratione specialium adjunctorum, imponere, præter jus statutum, ut in casu particulari proclamatio peragatur.

(2) Hæc dispositio juris nostri diœcesani circa banna semel proclamanda in locis infra sex menses derelictis, habet vim obligatoriam, utpote pleno jure introducta. Ipsum namque Conc. Trident. in laudato cap. *Tametsi* provocat ad usus et consuetudines locales, easque omninò retineri vehementer exoptat; cæterùm planè congruit nostrum statutum *fini* legis Tridentinæ, et ita quidem ut Wernz, o. c., n. 139, in textu et in nota (33) censeat legi conciliari non esse satisfactum, omni proclamatione omissa in parochia *recenter* deserta. Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. II, p. 596-597.

III/ *Disputari posset* utrum proclamationes sint *semel* instituendæ in *ecclesia S^a Annæ,* non quidem, uti patet, vi juris communis, sed vi particularis juris Brugensis, modò invocati: cujus quæstionis solutio pendet ab interpretatione tenoris relati, ac signanter ab ambitu vocis *habitare* et *deserere.*

Profectò applicatur laudata dispositio casui quo aliquis a loco *actualis habitationis*, in quo scilicet habebat quasi-domicilium vel domicilium *facti*, recenter, i. e. infra sex menses, definitive recessit *facto et jure*, actu discedendo nec ibidem servando domicilium juris (1); dubium autem videtur utrum applicetur casui quo nupturiens recenter mutavit non domicilium facti seu locum actualis habitationis, sed *merum domicilium juris*, sive per discessum illorum quorum domicilium sortitur, uti in nostro casu, sive per efficacem legali domicilio renuntiationem.

Jamvero hoc alterum videtur negandum, adeo ut præfatum statutum non afficiat nisi solum casum quo sponsi locum *realis et actualis habitationis*, infra sex menses, deseruerint facto et jure: quæ interpretatio melius censetur convenire nativo sensui vocis *habitare* et *deserere.*

Qua admissa interpretatione, sponsa de qua quæritur, non deberet ne semel quidem proclamari in parochia S^a Annæ, cum in ea jam *ab anno et ultra non servaverit nisi merum domicilium juris*, quod nunc, per discessum parentum, nuper mutavit.

Attamen si non datur, vi statuti diœcesani et citra specialem injunctionem Episcopi, stricta obligatio, *expediret* passim etiam ibidem semel sponsæ banna proclamari, saltem si bene nota manserit in illo loco, quem supponimus locum originis, et in ætate nubili ibi morata

(1) Si domicilium juris retinetur, manet ibidem parochus proprius, ac ter sunt proclamanda banna, juxta dicta sub I, ad 1°, et olim exposita apud *Collat. Brug.*, l. c.

fuerit. Favet nempe finis legis, ac aperte favet *Instructio* S. O., 29 Aug. 1890: « Publicationes faciendæ sunt in loco domicilii vel quasi-domicilii; *expedit* etiam ut fiant in loco originis, si contrahentes ibi morati fuerint post adeptam ætatem ad matrimonium contrahendum idoneam ».

Nota. 1°/ Descripta lex Tridentina de proclamationibus faciendis, utpote quæ fundatur in præsumptione periculi universalis, ex clandestinis matrimoniis oriundi, obligat etiam ubi in casu particulari periculum abesse videtur. Attamen si prorsùs inutiles ac frustraneæ censentur, ratio esse potest ab illis peragendis dispensationem impetrare: quod signanter contingere est natum respectu domicilii juris in aliena parochia recenter translati per accessum parentum, uti hic obtinet pro parochia S^t^ Œgidii. Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. II, p. 597.

Porro *dispensare* valet in proclamationibus *Ordinarius* (1), sic disponente ipso Conc. Tridentino, in cap. *Tametsi*, vel ejus delegatus (2): ad cujus tamen facultatis exercitium requiritur causa legitima, gravior pro relaxandis duobus bannis quam pro uno, ac gravissima ut dispensetur super tribus denuntiationibus (3). Quodsi tempus deficiat parocho recurrendi ad facultate munitum, et gravissime urget necessitas matrimonii celebrandi, posset parochus, ex epikeia, ad matrimonii celebrationem procedere.

---

(1) Episcopus scilicet, Vicarius generalis et omnes qui veniunt nomine Ordinarii, ad tramites Instructionis C. S. O., 20 Febr. 1888.

(2) In diœcesi Brugensi, « habent Decani facultatem dispensandi ob rationes canonicas, consuetis inhærendo formulis, cum incolis sui districtus, in uno et in duplici banno antenuptiali.... Mulcta pro his dispensationibus solvenda erit duorum francorum cum dimidio pro singulis bannis... Si nupturientes sunt diversorum districtuum, dispensatio petenda est a solo Decano sponsæ ». *Statuta*, P. I, tit. II, art. 6, n. 5.

(3) Ipsum Concilium tanquam causam proponit suspicionem fundatam ne malitiosè impediatur matrimonium: monet autem ut tunc defectui suppleatur denuntiationes faciendo ante matrimonii consummationem; quod jam ab usu evanuit.

2°/ « Dum banna proclamantur in parochia ubi neuter desponsatorum habitat (actuali habitatione facti, uti obtinet pro denuntiationibus faciendis in ecclesia S^i Œgidii, et, in quantum opus est, in ecclesia S^ae Annæ), non exigatur ratione proclamationis et testimonii desuper expediti, ultra francum cum dimidio; a pauperibus vero nihil prorsus exigatur ». *Statuta diœcesis Brugensis*, P. II, tit. II, art. 4, par. 3^ia. Ad quæ notatur apud *Collat. Brug.*, t. II, p. 597: « Cujus ordinationis favore, nupturientes facilius consentiunt ut etiam in parochia ubi actualiter non habitant, eorum matrimonium denuntietur ».

IV

Q. *Ostende matrimonium esse in se honestum, virginitati tamen postponendum.*

Respondetur.

Ad I.

Matrimonii, signanter christiani, **honestas** probatur ex ipso *fine* ob quem institutum est, cum spectet « non modò ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiæ sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei; ut nimirum populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur » (1).

Confirmatur ex ipsa divina institutione positiva, quæ narratur Gen., I, 27; II, 18 et 23, collato Matth., XIX, 6, et Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. unico.

Insuper Christus Dominus « nuptias in Cana Gallilææ præsentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles: quibus caussis vel ex eo die in hominum conjugia nova cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta » (2). Cujus matrimonii inchoa-

(1) Encyclica *Arcanum*, apud GASPARRI, *Tract. canon. de matrimonio*, II, p. 407 et seq.

(2) *Ibidem.*

tam sanctitudinem ad culmen evexit Salvator, quum illud ad dignitatem sacramenti elevavit, simul efficiendo ut « conjuges, cœlesti gratia quam merita ejus peperérunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerenter, atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturæ consentaneus perficiendo, et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinæ charitatis vinculo validius conjungendo » (1).

Matrimonii honestatem non semel commendatam legimus in SS. Litteris (2), eamque SS. Patres unanimiter vindicarunt, signanter contra errores Gnosticorum ac Manichæorum, consequenter ad suam adulteratam conceptionem dualisticam, nuptias damnantium.

Quodsi in ps. *miserere* dicitur homo in iniquitatibus conceptus, id passim intelligunt interpretes catholici de peccato originali, cui omnis homo concipitur obnoxius. Cæterum ipsi qui, uti Bacthgen (3), referunt iniquitatem et peccatum ad ipsum actum procreandi, reatum deducunt non ex ipsa copula qua tali, sed qua adulterina, ac proponunt psalmistam quasi conquereretur se natum esse in adulterio.

Ad II.

Prænotandum, in comparatione facta, attendi virginitatis *virtutem*, virginitatem scilicet « non abhorrentem a delectatione qua tali, ex vitio insensibilitatis, sed a sola delectatione venerea, propter optimum finem et secundum rectam rationem » (4), puta ut liberius divinæ contemplationi vacari possit; ulterius comparationem institui non inter virginitatem et matrimonium

---

(1) *Ibidem.*

(2) Ita 1ª ad Cor., VII, 39; 1 ad Tim., IV, 1-3; V, 14; ad Eph., V, 22-32; ad Hebr. XIII, 4.

(3) *Handcommentar zum Alten Testament. — Die Psalmen,* 2 ed., 1897, Göttingen, p. 148.

(4) Ill. ac Revmus Waffelaert, *De Virtutibus Cardinalibus,* Tract. I, l. III, n. 125.

apud talem personam vel in talibus adjunctis, sed inter *statum* virginitatis et *statum* conjugalem *secundum se*, in sensu scilicet formali et secundum ea quæ utrique statui sunt propria (1).

Quibus præ oculis habitis, non est dubium matrimonium esse virginitati postponendum, ac meritò a Concilio Tridentino, Sess. XXIV, can. 10, errorem reprobari illius qui dixerit « statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus; ac non esse melius ac beatius permanere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio » (2).

Ad quod **probandam**, missis testimoniis luculentissimis, desumptis ex S. Scriptura, signanter ex Matth., XIX, 10 ss., ex 1ª Epist. ad Eph., et 1ª ad Cor., vix non per integrum caput 7ᵐ, necnon ex scriptis SS. Patrum, pene innumeris, ad sola provocamus *argumenta rationis theologicæ:*

Et quidem 1º/ Bonum animæ præfertur bono corporis, uti docet S. Thomas, l. c., in corpore; virginitas autem ordinatur ad bonum animæ, conjugium vero ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani.

2º/ Matrimonium reddit hominem minus aptum ac dispositum ad serviendum Deo, cum ipsum implicet

---

(1) « Licet virginitas sit melior quam continentia conjugalis, potest tamen conjugatus melior esse quam virgo, et quidem ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille qui est conjugatus habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo; Unde Augustinus instruit virginem... ut dicat: ego non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas cælibum quam castitas nuptiarum ». S. Thomas, 2ª 2ᵃᵉ, qu. 152, art. 4, ad 2ᵐ.

(2) Concilium Trid. urget hanc suam doctrinam speciatim contra Protestantes, qui, post Lutherum, nuptias extulerunt super virginitate, ac statum conjugalem habuerunt uti statum religiosum præ statu virginali. Ita, apud Esmein, *Le mariage en droit canonique*, t. II, p. 124, refert dictum Lutheri: « L'état de mariage est le plus religieux de tous; c'est à tort et par injustice que l'on a appelé certains états les ordres religieux et qu'on a appelé le mariage un état mondain; la vérité, au contraire, c'est que le mariage est le véritable état religieux ».

voluptatibus carnis, mentem ab oratione et rebus spiritualibus maxime abstrahentibus, ac implicet variis sollicitudinibus hujus sæculi : ut nempe « alter alteri placeat, ut ipsi cum familia honoratè inter suos vivant, ut amplam hæreditatem illis relinquant; quibus in rebus videmus conjuges passim adeo occupari ut vix dimidiam horam per hebdomadam servitio divino impendere queant » (1).

3°/ Proprius actus matrimonii est actus generationis. Jamvero

a/ Actus ille, uti arguit Lessius, l. c., convenit homini secundum portionem inferiorem, qua similis est brutis. Virtuosa autem abstinentia ab hoc actu ejusque voluptatibus convenit homini secundum spiritum et portionem superiorem qua similis est Angelis ; unde S. Aug. dicit : « virginalis integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est et in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio » ; ipse vero Dominus dixit : « in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo ».

b/ In actu illo membra non obediunt rationi, unde, etiam præter motivum sub a/ allatum, conjunctam habet maximam verecundiam : indecorum est enim menti « ita a carnis voluptate vinci ut quasi sui compos suique juris non sit ». Lessius, *ibidem*.

Ad **objectiones** opponi solitas :

Prima ac præcipua est illa quam proponit S. Thomas, l. c., ad 3m, quatenus bonum commune potius est bono privato ; conjugium autem ordinatur ad bonum commune, multiplicationem generis humani, virginitas vero ad bonum privatum ipsius virginis.

Porro *solvitur* attenta distinctione S. Doctoris, bonum nimirum commune potius esse bono privato, *si sit*

---

(1) Lessius, *De Justitia et jure, cæterisque virtutibus cardinalibus*, l. IV, c. II, dub. 15.

ejusdem generis, non autem si sit diversi generis, uti in casu, cum matrimonium ordinetur ad bonum corporale, virginitas ad bonum spirituale.

Quodsi quis *instet* et dicat etiam matrimonium promovere bonum in ordine spirituali, prolem generatam educando in gloriam Dei, *respondetur* comparationem esse instituendam, juxta prænotata, inter virginitatem et matrimonium *secundum ea quæ utrique statui sunt propria;* proprium autem est matrimonii præ statu virginali, procreare proles corporaliter earumque bonum corporale promovere.

Virginitas namque non se continet intra fines boni privati, sed quoad bonum commune spirituale non minus confert, imo valdè magis, ac status matrimonialis, etiam in ipso negotio educationis prolis; et sic virginitas homines aptissimos reddit qui sese devoveant instruendis ac sancte educandis prolibus, illisque, in omnigenis necessitatibus spiritualibus succurrant, uti quotidiana experientia liquet in sacerdotibus et utriusque sexus religiosis (1).

Frustrà etiam arguitur *secundò* ex eo quod in *Veteri Lege* ignominia fuerit prolibus destitui, juxta adagium: « maledictus qui non reliquerit semen in Israël ». Vel enim ignominia erat in sterilitate, *supposito matrimonio:* « cum Deus promisisset iis qui in matrimonio vivebant benedictionem et fæcunditatem, sub hac conditione si custodirent legem Dei, suspicio erat illos puniri a Deo, qui non habebant prolem, tanquam legis transgressores: quæ erat magna ignominia » (2).

---

(1) Confert etiam virginitas, uti appositè notat BILLOT, *De Ecclesiæ sacramentis,* II, p. 363 s., ad commune bonum societatis, tum « ut juge quoddam memoriale cælestis illius patriæ in qua neque nubent neque nubentur...., tum per modum exempli refrænantis eas indomitas passiones, ex quibus ipsum conjugale vinculum maxime solet periclitari ..; tum demum, in quantum disponit ad vitam contemplativam, in qua per assiduam orationem Deus conciliatur hominibus ».

(2) BECANUS, *Analogia Veteris ac novi Testamenti,* cap. XXI, n. 7.

Vel, si hoc interdùm videtur *absolute* intelligendum, in omni hypothesi, uti forsitan in exemplo filiæ Jephté plorantis virginitatem suam, hæc nota infausta, si qua fuerit, non adnectebatur virginitati *secundum se*, respectu matrimonii secundum se spectati; sed ratione specialis circumstantiæ in qua versabatur populus Judaicus, quatenus nempe, non contracto matrimonio, via occluderetur insigni ac optatissimo honori Messiam habendi inter posteros.

Tandem *tertiò* haud difficulter refelluntur illa quæ opponuntur deducta *ex legibus physiologicis,* quasi strictæ castimoniæ observantia cœlibem, signanter virum, continuis carnis stimulis exponat, ejusque sanitati nosciva existat, ex nimia seminis superabundantia.

Et sane minuitur seminis secretio in continenter vivente, ac semen quod abundat partim absorbetur ad vigorem animi et corporis, partim nocturna pollutione sponte evacuatur (1). Aliunde concupiscentia paulatim sopitur in illis qui a venereis viriliter abstinent; adeo ut cœlebs, supernaturalia virtutis adminicula non negligens, carnis impetum vincat seseque contineat facilius quam moderate voluptatibus utatur conjugatus (2).

---

(1) Cf. ESCHBACH, Disputationes *physiologico-theologicæ,* ed. 1901, p. 477-481; *De Katholiek,* 1904, p. 303 ss.; *Die Ehe,* 1904, Donauwörth, Auer, p. 81 et seq.; STALL, *Ce que tout jeune homme devrait savoir,* 2e ed , Paris, p. 46 seq.

(2) Cf. ESCHBACH, o. c., p. 482-284, ubi additur in fine: « Quæ hucusque diximus, de communiter contingentibus vera sunt. Ast libenter fatemur, præterquam quod non omnibus datum sit verbum capere Domini cælibatum exaltantis, homines inveniri erotico temperamento afflictos, quibus matrimonii status animæ simul et corporis moraliter necessaria salus erit. Pro hujusmodi sententia alia valet D. Pauli: melius est nubere quam uri ».

V

Q. *An et qua ratione matrimonium, inter infidelès validè initum, evadit sacramentum: 1/ quando ambo baptizantur, 2/ quando alteruter Baptismum suscipit?*

Respondetur.

Ad I. *Triplex* datur sententia: *alii* (1) negant; *alii* affirmant, sed ea tantùm lege ut consensus renovetur; *alii* tandem censent affirmandum absolutè, quin ullam requirant consensus renovationem.

Jamvero *tertiæ* sententiæ omnino adstipulandum opinamur: et ita

1°/ Tenemus quod matrimonium ab infidelibus rite contractum ipso facto evadit sacramentum, statim ac utraque pars baptizatur, quin ulla ad hoc consensus renovatione sit opus.

Quod a/ *hujusmodi matrimonium fiat sacramentum*, sequitur ex reali identitate sacramenti et matrimonii inter christianos, adeo ut non possit, inter baptizatos, haberi matrimonium legitimum quin eo ipso sit sacramentum, quod latius expositum videsis apud *Collat. Brug.*, t. V, pp. 82-85. Et sane matrimonium in infidelitate legitimè celebratum non irritatur per utriusque conjugis conversionem, adeoque, validum manens, non potest, ab utraque parte suscepto Baptismo, non esse sacramentum.

Quod b/ ad hoc *non requiratur consensus renovatio,* etiam id eruitur ex eadem indistinctione matrimonii et sacramenti: vi cujus indistinctionis matrimonium infidelium, baptismate tinctorum, debet necessariò esse sacramentum, etiamsi nullatenus renovaverint consen-

(1) Sunt passim illi qui non admittunt identitatem inter Sacramentum et contractum pro christianis. Ita SALMANTICENSES, *Cursus theol. mor.*, Tr. IX, cap. III, Dub. III, n. 82; BILLUART, *De matrimonio*, Dissert. I, art. 5.

sum, imo etiamsi illum revocaverint (1). Cæterum id magis innotescet ex discendis sub 2°/.

2°/ Ad explicandum *qua præcise ratione* dictum matrimonium evadat sacramentum, non deest aliqua difficultas:

Patroni alterius sententiæ, consequenter ad sententiam quam tenent de causalitate sacramentorum *immediata,* quasi sacramentum absolveretur signo sensibili transeunte gratiam immediatè infundente, recurrunt ad renovationem consensus matrimonialis, ut de novo constituatur materia et forma ex quibus sacramentum hic et nunc coalescat: non valent scilicet sustinere quomodo consensus, olim in infidelitate præstitus, et diu jam præteritus, possit hic et nunc materiam et formam subministrare sacramenti, et hic et nunc gratiam sacramentalem *immediato suo influxu* operari.

Atvero hujusmodi explicatio præpostera esse videtur, non tantùm quia invocata consensus renovandi necessitas destruit, uti modò vidimus, identitatem contractum inter et sacramentum, sed quia simul est inefficax ad intentum: non valet nempe talis consensus renovatio novum contractum conjugalem, novumque proinde signum sacramentale constituere, siquidem, stante valido matrimonio in infidelitate contracto, non potest novus contractus iniri (2).

Aptius videtur solvi difficultas in sententia de causalitate *dispositiva,* secundum quam signum sacramentale matrimonii operatur gratiam mediante re et sacramento, mediante scilicet vinculo conjugali gratiam exigente.

---

(1) Ecclesia etiam non requirit a conjugibus infidelibus Baptismum suscipientibus ut consensum renovent. Cf decr. C. S. O. 14 Dec. 1848 ad 1m, apud *Collectan. S. C. de P. F.*, n. 1338.

(2) « Qui enim semel, uti notat PERRONE, *De matrimonio christiano,* II, p. 281, aliquid alicui irrevocabili prorsus ratione donavit, in ejus potestate amplius non est illud iterùm donare; talis autem est traditio, quam alter conjugum alteri fecit corporis sui per contractum conjugalem etiam in infidelitate celebratum ». Cf. etiam BILLUART, l. c.

Nimirum per consensum matrimonialem in infidelitate rite præstitum, inductum est in nupturientibus vinculum conjugale: quod vinculum hucusque, deficiente Baptismatis susceptione, non extitit res et sacramentum, seu non fuit exigitivum gratiæ sacramentalis, illico autem evadit res et sacramentum gratiæ exigitivum, statim ac, per utriusque partis conversionem, conditio verificatur. Datà autem præsentià rei et sacramenti gratiam exigentis, nihil jam impedit quominus, obice remoto, gratia infundatur (1).

Ad II. *Alterutro* conjugum infidelium *baptismate abluto,* matrimonium *non* evadit sacramentum in parte fideli.

Argumentum est in hoc quod impossibile sit vinculum conjugale esse sacramentale in uno conjuge et non in altero; quia sic esset vinculum firmius in uno, ratione scilicet sacramentalitatis, quam in altero, in quo deficeret ratio sacramenti: quod implicat.

Et sane, uti ratiocinatur *S. Thomas*, « cum matrimonium sit quædam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium, et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat » (2); quæ

---

(1) Inde intelligitur dictum S. Thomæ, *Supplem.*, qu. 59, art. 2, ad 2^{m}: « quamvis infidelibus non competat matrimonium secundum quod est sacramentum..., competit tamen eis in quantum est in officium naturæ: et tamen etiam matrimonium tale est *aliquo modo sacramentum habitualiter*, quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ »; est nempe sacramentum *potentialiter*; « quippe contractus infidelium est sacramentalis in potentia, inducitque vinculum quod est sacramentale pariter in potentia, pro quanto infideles sunt in potentia christiani... Baptismus ergo faciendo eos christianos in actu eo ipso facit ut conjugale vinculum nunc primùm inter christianas personas existens, jam reducatur in actum significationis illius sacramentalis quam prius potentialiter habebat ». Billot, *De Sacramentis Ecclesiæ*, II, p. 354.

(2) *Supplem.*, qu. 47, art. 2, in corpore.

ulterius urget *Billot* (1), addendo: « Sicut autem impossibile est ut dominium maritale in uno conjugum sit, ita etiam impossibile est ut obligatio viri ad mulierem *firmior* sit quam mulieris ad virum, aut vice versa ».

Profectò non impedit quominus in uno conjugum recipiatur gratia sacramentalis et non in altero, et ideo, si in sacramento nihil aliud attenditur præter ritum externum quo immediatè confertur gratia, posset opposita solutio præplacere, quemadmodum reipsa non paucis Auctoribus præplacet. Contrà, si, uti supponimus, gratia non confertur nisi mediante vinculo sacramentali, et si ipsum vinculum est solus effectus immediatus signi sensibilis, tunc præferenda ducetur sententia proposita (2).

Nota. 1° Si ratiocinatio modò instituta admittatur, valet solutio nostra non tantùm pro hypothesi de qua quæritur, sed etiam pro casu quo matrimonium primùm contrahitur inter partem baptizatam et partem infidelem, ex dispensatione Pontificia, adeo ut ne tunc quidem matrimonium claudicare censeatur (3).

2°/ Casu quo uterque conjux ab infidelitate ad catholicam religionem convertitur et Baptismum suscipit, præ oculis habeantur quæ statuuntur in decreto C. S. O. 31 Augusti 1881: « Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missæ celebrationem, juxta rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus qui eam in contrahendo matrimonio, *quacumque ex causa*

---

(1) o. c., p. 357.

(2) Billot, o. c., p. 357-358.

(3) Non desunt nempe Auctores diversam proponentes solutionem pro duplici relata hypothesi, affirmando matrimonium claudicare in ratione sacramentalitatis, quando primùm initur a fideli cum infideli, ex dispensatione, illud autem negando ubi agitur de matrimonio inito inter infideles, quorum alteruter baptizatur. Ita Perronè, o. c., pp. 289-294; Lehmkuhl, in nota ad editionem tractatus *De Ecclesiæ sacramenti*, Auctore *Sasse*, pp. 390-392.

non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint... Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, *maxime si neophyti sint,* vel ante conversionem ab hæresi validè contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii ». De quibus cf. *Collat. Brug.*, t. II, pp. 96-101; t. IV, p. 254 ss.

Cæterùm in hisce non procedat parochus inconsulto Episcopo, eo vel magis quod urget ad Episcopum recursus ratione Baptismatis ab *adulto* suscipiendi.

A. De Smet.

VI

Q. *Interpretare primam partem art. XIII Constitutionis* Officiorum ac munerum: « *Libri aut scripta quæ* » *narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, pro-* » *phetias, miracula....., si publicentur absque legitima* » *superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur* ».

R. Antequam singula verba hujus dispositionis de libris certorum argumentorum prohibitis interpretamur, utilitate non carebit paucis attingere anteriorem hac de re legislationem.

Constitutione *Supernæ majestatis* (1) decrevit Leo X *personarum viventium* revelationes et prophetias, antequam publicentur, Apostolicæ Sedis examini reservari, et tantummodo licere Ordinariis locorum illas diligentur examinatas approbatione confirmare, casu quo periculum sit in mora, aut magna urgeat necessitas.

Concilium Tridentinum (2) statuit nulla admittenda esse

(1) *Bullarium Romanum,* t. III, part. III, p. 446; in edit. Luxemburgen. t. I, p. 579 s.

(2) Sess. XXV, decret. *de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum.*

nova miracula nisi recognoscente et approbante Episcopo, qui, in casibus dubiis et gravioribus, sententiam expectabit Metropolitani et comprovincialium Episcoporum.

Urbanus VIII Decreto *Sanctissimus* 13 Martii 1625, confirmato per Breve *Cœlestis Hierusalem* 5 Julii 1634 (1), imprimi inhibuit libros qui gesta, miracula, revelationes *Servorum Dei* referrent, nisi approbati fuissent ab Episcopo. Ille præterea accurata inquisitione præmissa, negotium rite instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet (2). Idem Pontifex, per declarationem d. 5 Julii 1631 præfati Decreti *Sanctissimus,* in hujusmodi libri initio ac fine protestationem inseri jussit, qua auctor titulum Beati aut Sancti quo decoraretur Servus Dei aut mirabilia quæ ibidem narrarentur, humana tantum, non vero divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate niti profitetur (3).

Decreta de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis (4), § II — ubi sermo est *de libris certorum argumentorum prohibitis* — n. 8 proscribunt libros, codices, folia quæcumque sive manuscripta sive impressa de Joannis Cala asserti anachoretæ prætensa sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque hujusmodi signis; simulque omnia transumpta seu copias, tam impressas quam manuscriptas, Decreti a Vicario Generali Cassanensi emanati, circa possessionem cultus ab eodem Cala habitam et retinendam. Demum varia ante Constitutionem *Officiorum* a Sacris Congregationibus prodierunt decreta, quibus nominatim prohibita sunt opera quæ talia dicta aut gesta mirabilia, non obtenta auctoritatis competentis licentia, narrare præsumpserunt (5).

---

(1) Textus integer C. *Sanctissimus* reassumitur in C. *Cœlestis Hierusalem.* Cf. *Bull. Rom.*, t. VI, p. 1; in edit. Luxemburgen, t. V, p. 85 et 260; *Opera Benedicti XIV*, editio 3ª Romana, ad usum Academiæ liturgicæ Conimbricensis, t. VII, p. 81 ss.

(2) Quod tamen frequentare ante C. *Officiorum* jam non soliti fuerunt Episcopi. Ita moderni afferendo auctoritatem Illmi De Brabandere, *Jur. can. et can.-civ. compend.* ed. 5, t. II, nº 659. Cf. Piat, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1898, t. XXX, p. 587 s.

(3) Textum hujus duplicis protestationis invenies ap. Benedictus XIV. *De Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione,* lib. II, c. 11, n. 8.

(4) Quæ a tempore Benedicti XIV, in Indice seu catalogo librorum prohibitorum inserta leguntur.

(5) Hoc patet exempli gratia, ex iis quæ egit S. Officium contra secre-

Has omnes generales et particulares dispositiones in unum coegit Leo XIII, dicto articulo decimo-tertio, cujus nunc remanent singula verba enucleanda.

1° *Libri aut scripta*. Hac locutione generalissima comprehenduntur libri, libelli, opera periodica, diaria (1) et quæcumque folia sive impressa, sive polygraphice exarata *(typewritten)*, sive manuscripta saltem si propagentur (2). Effectum retroactivum in opera publicationi Constitutionis anteriora non habet præsens inhibitio, et decreto speciali in hæc animadvertit Congregatio Indicis (3).

2° *quæ narrant*. « Auctores passim requirunt ut liber scriptumve sat fuse et quasi ex professo novas apparitiones... narret, ita ut hujusmodi narratio sit objectum seu argumentum principale, vel saltem sat notabile » (4).

Ratio est: quia in capite 5 C. *Officiorum* agitur de quibusnam *specialis argumenti* libris; ergo liber aut scriptum narrans hujusmodi revelationes, etc. dici debet hujus specialis argumenti. Hac ratione, Auctores unanimiter eximunt ab obligatione reportandi debitam licentiam ephemerides profanas quæ hujusmodi facta mirabilia non ex proposito sed incidenter narrant ad modum eventus quotidiani (5). Cœteroquin, præter-

---

tum quod referrebatur traditum a B. M. V. puellæ Melaniæ Calvat in monte de la Salette, a. 1846, et contra famosas prophetias Mathildis Marchat in Loigny — cf. *Nouv. rev. théol.*, t. XXV, p. 496, t. XXVIII, p. 287. V. Pennachi, ap. *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 222 s. etc.

(1) Cf. decretum infrà citandum S. C. Ind. 3 Sept. 1904.

(2) V. *Decreta citata de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis* ubi specialius cavetur de manuscriptis; Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum*, ed. 3, p. 43. — In sensum contrarium Lega, *De judiciis ecclesiasticis*, Lib. II, vol. III, p. 447 hac nitens ratione quod manuscripta non satis publici juris fiant. Est quæstio facti.

(3) Gennari, *La Costituzione « Officiorum » brevemente commentata*, ed. 3, p. 50; Ciolli, *Commento breve della Costituzione leonina riguardo ai libri proibiti*, ediz. 2, p. 44, n° 35; Decretum S. C. Ind. 7 Juin 1901, ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 129.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, ed. 7, t. II, n° 1318, p. 662.

(5) Aliter esset resolvendum si ageretur de diario, quod ex intento, ad modum objecti principalis, de his materiis tractaret.

quamquod ægre tantum subjici possent articuli diariorum præviæ ecclesiasticæ censuræ, hanc praxim videntibus et tacentibus Ecclesiæ præsulibus passim frequentatam videmus; addas quod minoris momenti fiat apud legentes, talis inter varias omnis generis res et materias occurens narratio (1).

3° *novas*. Hæc vox merito refertur ad integram quæ sequitur enumerationem: *apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula*. Sufficit ad inducendam prohibitionem ut narrentur *novæ*, licet *veræ*, apparitiones etc., quatenus sc. in Ecclesia nondum sint formali decreto S. Sedis aut episcoporum approbatæ aut usu implicite acceptæ (2). Notandum est quod agi debeat de formali approbatione gestorum mirabilium. S. C. Officii, die 3 Septembris 1904, tulit decretum circa cultum B. M. V. Matris misericordiæ (vulgo N. D. de Pellevoisin), juxta quod approbatio scapularis et confraternitatis nullam secumferat approbationem apparitionum et revelationum; ideo ii omnes qui *libros* vel *diarios* in vulgus edunt, sedulo curare debeant ut adamussim sequantur normas in C. *Officiorum* præfixas (3).

4° *si publicentur*, h. e. si publici juris fiant; si ita spargantur ut factorum narratio multis innotescere possit. Hæc conditio pro *manuscriptis* difficilius verificabitur.

5° *absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia*. Fatentibus multis auctoribus, his verbis indeterminatis remittimur ad pristinam disciplinam, de qua superius egimus (4). Quam paucis ita complectitur R. P. Ver-

---

(1) Pennachi, *l. c.*, p. 289; Vermeersch, *l. c.*, p. 70.

(2) Ut res exemplo clarius pateat: Recens opus scriptum ab Huysmans, *Les foules de Lourdes* (Paris, 1906) etsi pro parte sat notabili narrationem miraculorum contineat, tamen approbationem de qua in art. 13 C. *Officiorum* reportare non debuit, quia facta allata in aliis operibus jam approbatione Ordinarii munitis descripta reperiuntur.

(3) *Monitore ecclesiastico*, 1904-1905, t. XVI, p. 432; *Analecta Ecclesiastica*, 1904, t. XII, p 444.

(4) Wernz, *Jus Decretalium*, T. III, *Jus administrationis*, n° 111, p. 123, nota (67); De Brabandere-Van Coillie, *ó. c.*, n° 1318, p. 662.

meersch: « Si agitur de inspirationibus, prophetiis *viventium* personarum de lege ordinaria est S. Sedes adeunda. Si ad causas beatificationum etc. spectant S. Rituum C. est licentia impetranda. Pro ceteris Episcopus est competens » (1). Attamen majori probabilitate alia quorumdam sententia (2) gaudere nobis videtur, juxta quam requiritur approbatio S. Rituum C. pro revelationibus, apparitionibus, miraculis spectantibus ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei (a. 32); sufficit vero pro reliquis omnibus scriptis approbatio Ordinarii loci, in quo publici juris fiunt (a. 35). Fundamentum hujus sententiæ est tum principium de absoluta abolitione juris anterioris circa prohibitionem et censuram librorum, salva exceptione ex ipso textu C. *Officiorum* probanda, aut ex futura Sacrarum Congregationum declaratione stabilienda (3); tum nexus articulorum 32 et 35 prædictæ leoninæ Constitutionis; tum obscuritas juris antiqui de factis mirabilibus personarum viventium (4).

Eodem innixi fundamento, negamus, cum plerisque hodiernis interpretibus, obligationem auctoris operi apponendi protestationes de quibus suprà. Jus enim Urbani VIII, est statutum jussumque de censura librorum (5).

6° *proscribuntur*. Deficiente conditione, vetatur ne hujus argumenti liber edatur, legatur, retineatur, vendatur etc. Ex hoc patet discrimen inter articulos 13 et 41. Hac dispositione, omissa imprimendi licentia,

---

(1) VERMEERSCH, *o. c.*, p. 71.

(2) SCHNEIDER, *Die neuen Büchergesetze der Kirche*, p. 78; PIAT, *l. c.*, p. 589, et ut videtur GENNARI, p. 49 s. Jam in hunc sensum scribit R. P. VERMEERSCH in 4ª editione sui operis, quæ nuperrime prodiit, p. 82 s.

(3) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 514 ss.

(4) In C. *Supernæ Majestatis* Leonis X agitur de publicatione et prædicatione inspirationum seu prophetiarum. An agitur de libris et de scriptis? Quid de miraculis?

(5) *Collat. Brug.*, l. c., VERMEERSCH, o c., p. 70.

peccat auctor et editor, sed opus legere et retinere non prohibentur fideles, nisi opus sit ex iis pro quibus expresse dicitur defectu approbationis induci omnimodam proscriptionem (1); alia quam interpretamur proscriptione plectuntur auctores et editores, lectores et possessores.

A. De Meester.

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1346, p. 699.

La liturgie de l'Épiphanie

L'objet propre et la signification spéciale d'une fête se trouve d'ordinaire brièvement exprimée dans l'Invitatoire des Matines (1). A première vue, on pourrait donc s'étonner d'entendre l'Église nous inviter, pour la « Fête des Rois », à adorer non pas « le Roi adoré par les Mages », mais le « Christ qui *nous apparut* ». Mais la préface et le *Communicantes* propres de la messe du jour, de même que la collecte du jour de l'octave (2) expriment d'une façon plus précise que l'apparition du Fils de Dieu ou la **manifestation de sa divinité** est bien l'objet primitif et fondamental de la fête du 6 Janvier. D'ailleurs les dénominations (3) et l'histoire (4) anciennes de la fête de l'Épiphanie pourraient en fournir des preuves irrécusables.

Cependant cette manifestation de la divinité du Christ n'était pas considérée abstraitement. On la célébrait dans les principaux faits concrets où elle avait apparu le plus clairement : 1/ dans la naissance temporelle du Sauveur, 2/ dans les hommages d'adoration rendus au Roi d'Israël par les Mages ; 3 dans le témoignage rendu par la voix du Père céleste au Sauveur baptisé ; 4/ dans la preuve de la puissance divine éclatant dans le premier miracle aux noces de Cana.

Mais la Nativité du Sauveur devint dès le IVe siècle,

(1) Voir p. ex. les invitatoires de l'avent. D'abord : « Regem *venturum* Dominum » ; plus tard : « *Prope est jam* Dominus » ; à la veille de Noël : « *Hodie* scietis quia *veniet Dominus* et *mane videbitis* gloriam ejus » ; enfin le jour de Noël : « Christus *natus est* nobis ».

(2) « Cum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis *apparuit* ». « Unigenitus tuus in tua tecum gloria cœternus, in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis *apparuit* ». « In substantia nostræ carnis *apparuit* ».

(3) Ἐπιφάνεια, Θεοφάνια, *festivitas declarationis, manifestatio, apparitio.*

(4) Voir HEUSER, *Epiphanie* dans *Kirchenlexikon* ; K. KELLNER, *L'anno ecclesiastico e le feste dei santi*, trad. de A. Mercati, 1906, § 18.

en Occident surtout, l'objet propre d'une fête spéciale fixée au 25 Décembre. Dès lors la commémoraison de la Nativité disparut de la liturgie du 6 Janvier (1), qui ne s'occupa plus que des trois autres mystères de la vie du divin Sauveur.

Ce triple objet est encore chanté dans les diverses strophes de la touchante hymne des Laudes, *Crudelis Herodes*, composée par Sedulius († 430), dans les belles antiennes du *Benedictus* aux Laudes et du *Magnificat* aux secondes vêpres du jour de l'Épiphanie. Il est également rappelé et commenté dans les leçons du deuxième nocturne du 4e jour de l'octave, qui sont extraites d'une homélie de S. Maximin, évêque de Turin vers 430-465.

D'après la diversité des contrées et des églises, l'un ou l'autre de ces trois événements était prédominant dans la liturgie.

En Occident, en règle générale, presque toute l'attention était absorbée par l'**Adoration des Mages.** C'est que, d'assez bonne heure, la vocation des Mages préfigurait pour les chrétiens surtout Occidentaux, leur propre vocation du paganisme à la vraie foi. Dans l'adoration des bergers de Bethléem, nos pères dans la foi voyaient les prémices des hommages de tout le peuple d'Israël appelé à reconnaître son Dieu Sauveur dans la personne du Christ. Dans les Mages au contraire, venus des lointaines contrées païennes, ils voyaient les Gentils de toutes les nations (2), appelés à la foi du vrai Dieu. « Illi primitiæ Gentium, disait S. Augustin (3), nos populus Gentium ». Aussi engageaient-ils les fidèles à célébrer avec allégresse la fête de l'Épiphanie qui

(1) A moins qu'il ne faille en trouver des vestiges dans les textes cités p. 42, note 2.

(2) Voir p. ex. l'oraison du jour : « Deus qui hodierna die Unigenitum tuum *Gentibus* stella duce revelasti ».

(3) Quatrième leçon du deuxième jour pendant l'octave.

devenait ainsi en quelque sorte la fête de leur propre vocation au grand bienfait de la vraie foi (1).

Cette conception domine complètement la liturgie romaine actuelle. Elle a fait attribuer à la fête de l'Épiphanie une importance et une solennité exceptionnelles qui lui donnent liturgiquement un rang supérieur à celui de la fête de Noël (2). Elle suffit pour faire comprendre pourquoi presque toutes les parties variables de la messe et de l'office concernent la manifestation du Sauveur au monde et la reconnaissance de sa divinité non seulement par les mages mais encore par toutes les nations de la terre voire même par les anges du ciel.

La Messe débute par cette majestueuse prophétie de Malachie : « Ecce advenit Dominator Dominus... » et par le psaume 71 (3). Celui-ci contient ce verset que la liturgie de l'Épiphanie répète à tout instant parce qu'il est si bien approprié à l'idée de la fête : « *Reges* Tharsis et insulæ *munera offerent*, *reges* (4) Arabum et Saba *dona adducent* et *adorabunt cum omnes reges terræ* et *omnes gentes servient ei* ».

L'évangile de la Messe raconte toute l'histoire de la vocation et de la venue des mages ; et la rubrique invite le clergé et les fidèles à unir par la génuflexion leur adoration à celle des mages qui adorèrent le divin Enfant en se prosternant devant lui.

L'épître est tirée d'Isaïe. Elle annonce prophétiquement que les rois et les peuples, que toutes les nations accourront de loin au Seigneur qui apparaîtra comme une lumière éclatante à Jérusalem. Ce même passage

---

(1) Voir les leçons tirées de S. Léon, de S. Augustin.

(2) L'octave de l'Epiphanie est plus privilégiée que celle de Noël.

(3) Remarquons en passant que l'Introït n'est autre chose qu'un psaume précédé d'une antienne qui se répète à la fin. Privitivement le psaume était chanté intégralement ou se poursuivait au moins jusqu'à ce que tous les préparatifs de la messe fussent terminés ; aujourd'hui il n'en est resté que le premier verset et la doxologie finale.

(4) De là vient peut-être la qualité de « *rois* » attribuée aux Mages.

est répété au premier nocturne, avec d'autres extraits du même prophète, invitant les peuples à se réjouir, parce que Dieu donnera « un Chef, un Précepteur aux nations » et que le « Juste », le « Sauveur » se manifestera comme une lumière resplendissante (1). Presque toutes les parties de la messe ou de l'office chantées par le chœur, tels que Graduel, Offertoire, Communion, répons, versets, capitules, sont tirés de ces mêmes passages de l'Évangile ou d'Isaïe ou sont des versets de psaumes invitant à adorer le Dieu des nations.

Le choix des psaumes des Matines s'inspire de la même idée. L'Église a donné la préférence à ces psaumes qui adressent aux nations, à toute la terre les plus expressives invitations à reconnaître le Dieu d'Israël. Et comme antiennes des matines on a choisi d'ordinaire le verset qui semblait le mieux exprimer cette idée (2).

Afin de faire mieux comprendre à ses enfants toute la portée de l'acte des Mages, l'Église insiste avec une prédilection marquée sur la signification symbolique des présents offerts par les Mages. Dans leur ensemble ces dons signifient et déclarent « Jésus-Christ, Fils de Dieu, notre Seigneur » (3). En particulier, l'or atteste la royauté du Christ, l'encens rend hommage à sa divinité (ou à sa dignité de Grand Prêtre); la myrrhe, reconnait en Jésus l'homme mortel dont elle présage

---

(1) La figure de la *lumière* revient constamment dans la liturgie de l'Épiphanie. Fréquente dans l'Écriture Sainte, elle fut choisie de préférence à toute autre parce qu'elle cadre si bien avec le caractère propre de la fête. En manifestant, en révélant sa divinité, le Christ, *Lux verâ*, illumine le monde et nous fait par la foi participer à la lumière divine. Celle-ci nous est communiquée dans le baptême, le *sacramentum illuminationis*, dont le souvenir se rattachait intimement à la fête en Orient. Pour les Occidentaux, la même image empruntait une remarquable actualité à l'étoile qui avait guidé les Mages. Aussi l'Épiphanie était appelée dans plusieurs églises la *fête des Lumières*.

(2) Les plus anciennes antiennes sont le plus souvent tirées du psaume auquel elles sont préfixées.

(3) Secrète de la Messe du jour.

l'ensevelissement (1). Un vers de Juvencus, cité par S. Jérôme exprime brièvement ce symbolisme traditionnel qui remonte aux premiers temps de l'Église:

Thus, aurum, myrrham regique hominique Deoque.

Par la voix de ses prédicateurs, l'Église nous invite à raviver notre foi, à offrir à notre tour à Jésus ces mêmes présents, en le reconnaissant comme roi, comme Dieu et comme homme, ou encore à lui présenter respectueusement l'or de notre sagesse, l'encens de nos prières et la myrrhe de notre mortification (2).

*
* *

Le **baptême du Sauveur** et l'éclatante attestation de sa divinité et de ses rapports avec les deux autres personnes de la Sainte Trinité faisait l'objet presque unique — et primitif — de la fête chez les Orientaux (3). En Occident, ce mystère n'était célébré qu'en ordre secondaire. Dans notre liturgie, il n'est rappelé explicitement et à part que dans les deux premiers répons du premier nocturne. Mais le jour de l'octave lui est consacré plus spécialement: les leçons des 2e et 3e nocturnes sont consacrés au baptême du Christ et l'évangile de la messe rapporte le témoignage rendu par Jean Baptiste à la divinité du Christ à la suite du baptême.

La manifestation de la puissance divine du Christ par ses miracles, notamment par le changement d'eau en vin aux **noces de Cana** (4), fut toujours reléguée à

---

(1) Voir 1r répons du 1r nocturne; 4e strophe de l'hymne des Laudes; S. Grégoire au 3e jour de l'octave; S. Jérôme au 5e jour; S. Ambroise au 6e jour.

(2) S. Grégoire dans l'homélie du 3e jour de l'octave.

(3) Voir Dom Pierre de Puniet, *La fête de l'Épiphanie et l'hymne du baptême au rit Grec*, dans *Rassegna Gregoriana*, 1906, t. V, p. 498-514. C'est en raison de cet objet de la fête que celle-ci fut appelée parfois *Immersio Domini* ou *Dies baptismi sanctificati* et que s'introduisit l'usage de bénir les eaux du Jourdain, d'autres fleuves ou même une eau quelconque.

(4) Plus tard d'autres miracles furent parfois célébrés en même temps que celui de Cana, p. ex. la multiplication des pains, la résurrection de Lazare.

l'arrière-plan dans la célébration de l'Épiphanie. Dans notre liturgie actuelle, on lui a réservé le premier dimanche après l'octave. Le texte évangélique racontant le miracle est chanté à la messe, commenté à l'homélie, et rappelé à la Communion, ainsi qu'aux antiennes du *Benedictus* et du *Magnificat*.

Dans l'évolution régulière du cycle des fêtes et du propre du temps, les **dimanches après l'Épiphanie** jusqu'à la Septuagésime furent considérés comme une sorte de prorogation de l'Épiphanie et empruntent à celle-ci leur caractère, qu'on trouve nettement exprimé dans l'Introït de la messe : « Omnis terra *adoret* te... » (2e dim.); « *Adorate* Deum omnes angeli ejus... » (dim. suivants). En outre, le temps de l'Épiphanie, est destiné à rappeler aux fidèles les faits de l'enfance et de la vie cachée de Notre Seigneur. C'est dans ce but que la fuite en Égypte est commémorée à la messe de la vigile de l'Épiphanie, et que l'invention de Jésus au Temple est spécialement rappelée le Dimanche dans l'octave de l'Épiphanie. L'Église s'est inspirée de la même idée quand, dans les temps modernes, elle a fixé au premier dimanche qui suit l'octave de l'Épiphanie la fête du Saint Nom de Jésus et au dimanche suivant celle de la Sainte Famille.

C. Callewaert.

Miscellanea

Ligue Sacerdotale Eucharistique

POUR PROPAGER LA COMMUNION QUOTIDIENNE (1)

I

DÉCRET D'ÉRECTION CANONIQUE

PETRUS tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum
S. R. E. Presb. Cardinalis RESPIGHI
SSmi Dni Nostri Papæ Vicarius Generalis
Romanæ Curiæ ejusque districtus Judex Ordinarius, etc.

Piam Sacerdotum Sodalitatem quæ inscribitur « Lega Sacerdotale Eucaristica » cujus finis est fideles ad quotidianum vel frequentum usum SSmae Eucharistiæ inducere, juxta mentem Decreti S. C. Conc. die 20 Decembris anni 1905, quod incipit « Sacra Tridentina Synodus », Nos auctoritate nostra Ordinaria rite et legitime in Venerabili ecclesia S. Claudii de Urbe penes Congr. Presbyterorum SSmi Sacramenti erigimus et canonice erectam esse edicimus. Leges vero seu Constitutiones ejusdem Sodalitatis, quinque articulis conscriptas, triennali experimento probandas esse declaramus.

Datum Romæ, ex Æd. Vicariatus, die 27 Julii 1906.

PETRUS RESPIGHI, *Card. Vic.*
FRANCISCUS Can. FABERI, *Secret.*

Loc. Sig.

II

STATUTS (2)

ART. I.

Une association de prêtres, sous le titre de *Ligue sacerdotale eucharistique*, est établie à Rome dans l'église Saint-Claude.

---

(1) Cf. *Annales des Prêtres-Adorateurs*, Oct. 1906.
(2) Traduction des documents officiels publiés à Rome en italien.

ART. II.

Le but de la Ligue est de répandre la pratique de la communion fréquente et quotidienne, en se conformant au Décret de la S. Congrégation du Concile *Sacra Tridentina Synodus* du 20 Décembre 1905, *De quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione.*

ART. III.

Seront admis à faire partie de la Ligue tous les prêtres qui veulent travailler à promouvoir dans le peuple chrétien la pratique de la communion fréquente et quotidienne.

ART. IV.

Pour atteindre le but de la Ligue, les membres s'appliqueront avec zèle à l'apostolat de la prière, de la parole et de la presse ; adressant aux fidèles de fréquentes exhortations à la communion fréquente et quotidienne, et distribuant des livres et opuscules de propagande sur ce sujet.

ART. V.

Pour permettre de réaliser plus facilement ce dessein, une brève Instruction sera remise aux prêtres agrégés. L'organe de la Ligue sera le périodique mensuel dirigé par des Pères de la Congrégation du Très Saint Sacrement et intitulé *Annales des Prêtres-Adorateurs,* qui se publie en plusieurs langues.

III

INSTRUCTION

aux membres de la Ligue sacerdotale eucharistique pour la propagation du pieux usage de la Communion quotidienne.

« Les curés, les confesseurs et les prédicateurs, suivant la doctrine approuvée du Catéchisme Romain (IIe P., n. 60), exhorteront fréquemment et avec beaucoup de zèle le peuple chrétien à un usage si pieux et si salutaire ». (Décret *Sacra Tridentina Synodus,* 20 décembre 1905).

I

Les curés et les prêtres ayant charge d'âmes, dès qu'ils

seront devenus membres de la Ligue, se mettront à l'œuvre pour expliquer au peuple *ce qu'est* l'Eucharistie ; *quand*, *comment*, *avec quel amour* et pour quelles fins Notre-Seigneur Jésus-Christ l'a instituée ; quels sont *ses effets*, si on la considère comme sacrifice, comme présence réelle perpétuelle de Dieu parmi nous, et surtout comme nourriture de nos âmes.

II

Comme beaucoup s'abtiennent de fréquenter la Table eucharistique à cause de certains *préjugés* et de certaines *craintes vaines*, les prêtres inscrits dans la Ligue ne se contenteront pas de faire ressortir les grands avantages de la communion quotidienne : ils s'efforceront encore avec beaucoup de zèle de dissiper ces *préjugés* et ces *craintes vaines*, en persuadant aux fidèles que, pour communier *licitement* chaque jour, rien n'est exigé de plus que ce qui est exigé pour communier *licitement* chaque semaine, chaque mois et chaque année, c'est-à-dire *seulement l'état de grâce* et *l'intention droite* ; bien qu'il soit très convenable que ceux qui pratiquent la communion fréquente et quotidienne *soient exempts aussi des péchés véniels, au moins pleinement délibérés, et de l'affection à ces péchés.* (Même Décret).

III

Dans ce but, ils travailleront à donner la plus large diffusion aux opuscules qui, conformément au Décret déjà cité, facilitent l'usage de la communion quotidienne.

IV

De plus ils avertiront à diverses reprises les fidèles que, si dans quelques livres de piété, même ayant des saints pour auteurs, on exige pour communier licitement chaque jour d'autres dispositions outre les deux seules exigées par le Décret, il n'y a pas à s'en troubler : car ces auteurs écrivirent leurs ouvrages à une époque où la question concernant les dispositions pour communier tous les jours n'avait pas encore été résolue par le Saint-Siège au moyen du Décret.

V

Comme il n'est pas possible de propager largement le pieux usage de la communion quotidienne là où l'on n'a pas

d'abord propagé celui d'aller chaque jour à la Messe, ils exhorteront vivement et fréquemment le peuple à assister chaque jour au sacrifice non sanglant ; ils lui en feront connaître toujours plus parfaitement la valeur, l'excellence et la nécessité, et ils enseigneront la méthode pratique pour y assister convenablement.

VI

Dans ce but, ils tâcheront de répandre à profusion l'excellent opuscule de saint Léonard de Port-Maurice, intitulé : *Le Trésor caché de la Sainte Messe.*

VII

Pour que le peuple vienne en plus grand nombre assister à la Messe, les curés et ceux qui ont charge d'âmes auront soin de faire sonner la cloche autant que possible à la volée, et, même au prix de quelque sacrifice, de célébrer à l'heure la plus convenable pour les fidèles, en tenant compte des saisons et des occupations de la population.

VIII

Afin d'arriver plus facilement à propager l'usage de la communion quotidienne dans leurs paroisses, les curés saisiront la première occasion qui se présentera pour donner eux-mêmes, ou pour faire donner par un prédicateur zélé, une retraite d'au moins trois jours.

IX

Voici quel pourrait être le plan de ce triduum :

Dans la méditation et l'instruction du premier jour, le prédicateur parlerait de la malice, des effets et des châtiments du péché mortel, et de la condition vraiment misérable des pauvres pécheurs, les exhortant vivement à revenir à Dieu.

Dans la méditation et l'instruction du second jour, il parlerait de la grande miséricorde de Notre-Seigneur Jésus-Christ, spécialement dans l'institution de la confession sacramentelle ; il en montrerait la nécessité pour quiconque a conscience de péché mortel, il instruirait le peuple des conditions nécessaires pour la bien faire, engageant tout le

monde à se purifier dans le sang de Jésus-Christ au moyen de l'absolution sacramentelle.

Enfin la méditation et l'instruction du troisième jour seraient consacrées à la divine Eucharistie, et développeraient ce sujet d'après ce qui est dit à l'article I.

X

Le triduum étant terminé, le matin suivant, qui sera de préférence un jour de fête, le prédicateur prendra occasion de la communion générale, qui certainement sera très nombreuse, pour exhorter les fidèles, dans une allocution chaleureuse, à faire que cette communion générale ne soit pas un fait isolé, mais qu'elle se renouvelle plus ou moins souvent, suivant les occupations de la population ; il les pressera de répéter cette communion tous les jours de l'année, et plus particulièrement le dimanche et les jours de fête où il y a obligation d'aller à la Messe.

XI

Le jour de la communion générale, dans l'après-midi, après la dernière prédication, et le Saint Sacrement ayant été exposé, le curé récitera la prière pour la propagation du pieux usage de la communion quotidienne ; puis il distribuera un exemplaire de cette prière à tous les fidèles assemblés et leur recommandera de réciter chaque jour cette prière après la sainte communion et aussi en famille après la récitation du saint Rosaire.

XII

L'usage de la communion quotidienne étant ainsi inauguré dans les paroisses, les curés s'efforceront de l'enraciner de plus en plus en adressant souvent, très souvent, au peuple assemblé pour la sainte Messe des exhortations très courtes mais très pressantes pour inviter les assistants à participer à la divine Victime. — Ils se tiendront fidèlement au confessionnal à la disposition des pénitents ; engageant à communier ceux qu'ils trouveront bien disposés, et faisant le possible pour exciter ces bonnes dispositions dans ceux qui ne les auraient pas.

XIII

Ils auront un soin spécial de faire naître un vif désir de la communion quotidienne dans les cœurs purs et dépourvus de *vaines craintes* des enfants, quand ils les préparent à la première communion dès qu'ils en sont capables, et à la leur faire renouveler si possible tous les jours.

XIV

Les membres de la Ligue tâcheront de la faire connaître à leurs confrères et les exhorteront à y donner leur nom.

XV

Enfin, pour que cette Ligue soit durable et devienne de plus en plus nombreuse, elle sera soutenue et propagée par un périodique destiné à tous ses membres et dirigé par les Pères de la Congrégation du Très Saint Sacrement.

IV

ÉRECTION DE LA LIGUE EN ARCHIASSOCIATION

Faveurs et Privilèges

Le Souverain Pontife, qui avait béni et vivement encouragé l'idée de cette Association Sacerdotale, a daigné, aussitôt qu'elle a été érigée canoniquement à Rome, l'élever au rang d'Archiassociation *Primaria* et l'enrichir des privilèges et indulgences mentionnés dans le Bref suivant. On remarquera que ce Bref a été signé quelques jours seulement après le Décret d'érection canonique, et que par conséquent le Saint Père a supprimé entièrement le délai *ad experimentum* qui doit s'écouler d'ordinaire avant que le Saint-Siège approuve officiellement une Confrérie ou Association pieuse. C'est une preuve évidente de l'importance que le Souverain Pontife attache à la *Ligue Sacerdotale Eucharistique*.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhærentes pias societates ad pietatis et charitatis opera

exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus ut iis auctæ uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet jure ac merito esse accensendam piam sacerdotum associationem, quæ sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Fœderis » in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii canonice instituta existit, ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon Procuratoris Generalis Instituti Sacerdotum SS^mi Sacramenti votis ultro libenterque annuentes associationem ipsam tam frugiferam, quæ hisce potissimum tam gravibus temporibus, juxta tenorem Decreti a Congr. Sacræ Tridentinæ Synodi interpretationi præposita, die XX Decembris mensis anno superiori editi, exauspicato intendit ad Communionis frequentis et quotidianæ usum inter fideles provehendum, singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Fœdus adlectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegii personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus: nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora sacris operari, et similiter a prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim diribere; atque, injunctis de more peractis, præcipuorum fidei mysteriorum et Mariæ Virg. et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari; et intra celebrationem triduanæ supplicationis, juxta pii Fœderis tabulas habendæ, post peractam Communionem Generalem Christiano adstanti populo, plenaria adjecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque præscriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quoties juxta fines Fœderis sacerdotalis, pietatis quodvis sive charitatis opus adimpleant, de numero pœnalium dierum in forma Ecclesiæ solita iisdem adlectis in ipsum Fœdus nunc et in posterum sacerdotibus tercentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in sacerdotali Eucharistico Fœdere nunc et in posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam pœnitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad sacram Sy-

naxim accedere consueverunt. Præterea Ap. Nostra Auctoritate p.tium vi, perpetuumque in modum, Associationem memoratam sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Fœderis » in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in Archiassociationem, sive primariam cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalitii autem ejusdem Moderatori et officialibus præsentibus et futuris, ut ipsi alias ejusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe erectas can.ce sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Prædecessoris Nostri rec. mem. aliisque Ap.licis Ordinat. desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissionis ac pœnitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, Ap.lica item No.ra Auc.te p.tium vi facultatem perpetuo concedimus et largimur. Decernentes præsentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos judicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus et Ordinat. Ap.licis ceterisque contrariis quib.que.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri Quarto.

Pro Dno Card. Macchi:
Nicolaus Marini.

L. ✝ S.

N. B. Les prêtres qui désirent devenir membres de la Ligue, peuvent s'adresser au R. P. Directeur, chaussée de Wavre, 205, Bruxelles. Prière d'envoyer 25 centimes pour la brochure et le cachet d'inscription.

Bulletin Scripturaire

I. **Historicæ et criticæ Introductionis in U. T. libros sacros Compendium** S. Theologiæ auditoribus accomodatum, auctore **R. Cornely**, S. J. Editio quinta recognita et aucta, pp. 696 gr. in-8°, 8 fr. Parisiis, Lethielleux, 1905.

II. **G. Van Noort, Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina.** Pp. 286 gr. in-8°, 5 fr., Amstelodami, Van Langenhuysen, 1906.

Pie X dans son *motu proprio* du 22 Novembre 1903 a déterminé les propriétés que doit avoir la véritable musique religieuse: elle doit être sainte, artistique et universelle. Le R. P. Birkle a entrepris de prouver que le plain-chant réalise d'une façon supérieure à toute autre musique ce triple caractère, dans son excellent ouvrage *Der Choral das Ideal der Katholischen Kirchenmusik*, divisé conséquemment en trois chapitres: 1° Choral und Liturgie; 2° Choral und Kunst; 3° Choral und Geschichte. Sous les dehors d'une dissertation claire et sans aucune prétention scientifique, ce livre a tous points remarquable dénote chez son auteur une

---

(1) C'est sans doute par inattention que l'auteur traduit le passage du *Cæremoniale Episcoporum*, l. I, c. 28 n° 6 « ab aliquo de choro intelligibili voce » par « op eene verstaanbare wijze voor de naaste omgeving of minstens *voor een zanger* » p. 263, note 1.

(2) Duclos, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse*. Rome-Tournai, Desclée, 1905.

(3) Dernièrement a paru « *le Catalogue officiel de musique religieuse*, » publié par les soins de la Commission diocésaine chargée de veiller à l'exécution du *Motu proprio* dans le diocèse de Namur. Namur, Delvaux, in-8, 154, F. 1.

érudition solide, une connaissance approfondie du sujet, un tolent peu commun d'exposition. Cette œuvre de brillante vulgarisation est le digne pendant de la méthode de chant grégorien écrite par le savant moine de Seckau. Nous croyons utile de résumer brièvement les idées maîtresses de cette étude.

1° *Le Plain-chant et la liturgie.* De graves autorités ont attesté que le chant grégorien s'adapte et s'harmonise plus parfaitement qu'aucune autre forme musicale à la liturgie considérée comme culte rendu à Dieu au nom du peuple chrétien. Comme la liturgie, le plain-chant loue Dieu et édifie les fidèles ; forme d'art accessible à tous les croyants, il est dans les cérémonies sacrées, le lien qui unit le peuple et le prêtre ; il respecte et rehausse la parole de Dieu ; il s'est inspiré de l'objet fondamental de l'action liturgique : la représentation et la continuation mystique de la vie et de la mort de Jésus-Christ pour le salut des hommes ; il est digne de la personne du Christ, victime et sacrificateur (p. 7-43). L'auteur ne se contente pas d'émettre ces considérations générales, mais il prouve en particulier que le plain-chant correspond le mieux à l'évolution et aux rubriques de la liturgie, et exprime le plus parfaitement possible la signification de chaque prière. A titre de développement, le R. P. Birkle donne la description et retrace sommairement l'histoire des différents livres liturgiques, et passe en revue les divers chants de la Messe, de l'office, et d'autres fonctions extraordinaires, donnant pour chacun d'entre eux sa composition, ses rubriques, son histoire, la manière de l'exécuter avec des exemples à l'appui (p. 43-168). Le côté pratique de ces explications n'échappera à personne.

2° *Le Plain-chant et l'art.* Ce chapitre débute comme le premier par une série de témoignages en faveur du caractère artistique de la musique grégorienne (p. 168-179), suivie de l'exposé des principes généraux d'esthétique : Les anciens étaient idéalistes. Le beau est ce qui plaît. Or l'esprit ne peut se complaire dans la splendeur de la matière, ni dans la perfection des formes extérieures d'un objet ; il trouve seulement sa satisfaction dans ces objets où un principe intelligent, une idée domine et dispose la matière. Les modernes sont en esthétique naturalistes, formalistes ou idéa-

listes comme les anciens (p. 179-187). D'après les naturalistes la valeur esthétique d'une composition musicale se trouve dans l'emploi et le choix variés et judicieux des éléments musicaux (quantité, élévation, intensité, coloris, harmonie etc.); d'après les formalistes, cette valeur lui est donnée par la beauté des formes extérieures, cad. par la perfection du développement thématique et de la structure des périodes, selon les lois mathématiques du nombre et des proportions. Les idéalistes font consister principalement l'esthétique d'une composition musicale dans son inspiration et dans sa capacité de donner une expression musicale aux sentiments et aux idées par les sons.

Or, à ce triple point de vue, il faut reconnaître au chant grégorien une véritable valeur artistique. Il emploie et modifie les éléments d'élévation et d'intensité; il a une harmonie analysée d'une richesse incomparable; son allure libre lui donne de la variété; la sonorité de la voix humaine se nuance du coloris de l'accompagnement; et si pour certains éléments du son la polyphonie et la musique moderne l'emportent sur le plain-chant, celles-ci ne peuvent égaler son caractère de dignité et de sénérité. Le R. P. Birkle démontre ensuite avec surabondance que le travail thématique le plus parfait et la structure périodique la plus ordonnée se retrouvent dans nombre de mélodies grégoriennes. Il nous en donne un exemple remarquable dans l'analyse de la Messe *in Dominicis infra annum* (XI du *Kyriale*). Enfin le plain-chant exprime les plus hautes idées et les plus nobles sentiments, qu'il est donné à l'homme de concevoir et de ressentir. C'est pour tous ces motifs qu'il restera la musique religieuse du futur et de tous les temps. Il est et restera partie intégrale de l'œuvre d'art la plus grande et la plus noble, le drame de la liturgie catholique (p. 187-232).

3° *Le plain-chant et l'histoire.* S'appuyant sur les théoriciens les plus en vue, le R. P. Birkle s'occupe successivement de l'écriture musicale du plain-chant, de l'histoire des mélodies grégoriennes, de leur conservation sans altération à travers les âges, de leur diffusion et de leur développement depuis les origines jusqu'à nos jours. L'antiquité du chant mélismatique, et la réforme opérée par St-Grégoire sont l'objet de développements plus étendus (p. 232-294). Deux appendices traitent de l'accompagnement du plain-chant, de l'année et du calendrier liturgiques (p. 294-319).

Les considérations théoriques et pratiques, développées dans une langue claire et souple, s'harmonisent dans cet ouvrage pour former un tout d'un puissant intérêt.

A. De Meester.

Collationes Brugenses

Encyclique à l'épiscopat, au clergé et au peuple français.

A Nos vénérés frères les cardinaux, archevêques et évêques de France, au clergé et au peuple français.

PIE X, PAPE

Vénérables frères, bien-aimés fils Salut et bénédiction apostolique.

Une fois encore les graves évènements qui se précipitent en votre noble pays Nous amènent à adresser la parole à l'Eglise de France pour la soutenir dans ses épreuves et pour la consoler dans sa douleur. C'est en effet, quand les fils sont dans la peine, que le cœur du Père doit plus que jamais s'incliner vers eux. C'est, par conséquent, lorsque Nous vous voyons souffrir, que du fond de Notre âme paternelle, les flots de tendresse doivent jaillir avec plus d'abondance et aller vers vous plus réconfortants et plus doux.

Ces souffrances, Vénérables Frères et bien-aimés Fils, ont un écho douloureux dans toute l'Eglise catholique en ce moment; mais Nous les ressentons d'une façon bien plus vive encore et Nous y compatissons avec une tendresse qui, grandissant avec vos épreuves, semble s'accroître chaque jour.

A ces tristesses cruelles, le Maître a mêlé, il est vrai, une consolation on ne peut plus précieuse à Notre cœur. Elle Nous est venue de votre inébranlable attachement à l'Eglise, de votre fidélité indéfectible à ce Siége Apostolique et de l'union forte et profonde qui règne parmi vous. — De cette fidélité et de cette union, Nous en étions sûr d'avance, car Nous connaisons trop la noblesse et la générosité du cœur français pour avoir à craindre qu'en plein champ de bataille la désunion pût se glisser dans vos rangs. Nous n'en éprouvons pas moins une joie immense au spectacle magnifique que vous donnez actuellement et, en vous en louant hautement devant l'Eglise tout entière, Nous en bénissons du

fond du cœur le Père des miséricordes, auteur de tous les biens.

La lutte va s'accentuer.

Le recours à ce Dieu infiniment bon est d'autant plus nécessaire, que loin de s'apaiser, la lutte s'accentue et va sans cesse s'étendant. Ce n'est plus seulement la foi chrétienne qu'on veut à tout prix déraciner du milieu des cœurs, c'est encore toute croyance qui, élevant l'homme au-dessus des horizons de ce monde, reporte naturellement son regard lassé vers le ciel. L'illusion en effet n'est plus possible. On a déclaré la guerre à tout ce qui est surnaturel parce que, derrière le surnaturel, Dieu se trouve, et que ce qu'on veut rayer du cœur et de l'esprit de l'homme, c'est Dieu.

Cette lutte sera acharnée et sans répit de la part de ceux qui la mènent. Qu'au fur et à mesure qu'elle se déroulera, des épreuves plus dures que celles que vous avez connues jusqu'ici vous attendent, c'est possible, et même probable. La sagesse commande donc à chacun de vous de s'y préparer. Vous le ferez simplement, vaillamment et avec confiance, sûrs que, quelle que soit la violence de la bataille, finalement la victoire restera entre vos mains.

Le gage de cette victoire sera votre union, union entre vous d'abord, union avec ce Siége Apostolique ensuite. Cette double union vous rendra invincibles et contre elle les efforts se briseront.

Nos ennemis ne s'y sont pas mépris du reste. Dès la première heure, et avec une sûreté de vue très grande, ils ont choisi leur objectif: en premier lieu, vous séparer de Nous et de la Chaire de Pierre, puis semer la division parmi vous. Depuis ce moment, ils y sont revenus sans cesse et par tous les moyens: les uns avec des formules enveloppantes et pleines d'habileté, les autres avec brutalité et cynisme. Promesses captieuses, primes déshonorantes offertes au schisme, menaces et violences, tout a été mis en jeu et employé. Mais votre clairvoyante fidélité a déjoué toutes ces tentatives. S'avisant alors que le meilleur moyen de vous séparer de Nous, c'était de vous ôter toute confiance dans le Siége Apostolique, ils n'ont pas hésité, du haut de la tribune et dans la presse, à jeter le discrédit sur Nos actes, en méconnaissant et parfois même en calomniant Nos intentions.

Ce n'est pas l'Eglise qui suscite la guerre.

L'Eglise, a-t-on dit, cherche à susciter la guerre religieuse en France et elle y appelle la persécution violente de tous ses vœux. — Etrange accusation qu'une accusation pareille. Fondée par celui qui est venu dans ce monde pour le pacifier et pour réconcilier l'homme avec Dieu, messagère de paix sur cette terre, l'Eglise ne pourrait vouloir la guerre religieuse qu'en répudiant sa mission sublime et en y mentant aux yeux de tous. A cette mission de douceur patiente et d'amour, elle reste au contraire et restera toujours fidèle. D'ailleurs, le monde entier sait aujourd'hui, à ne plus pouvoir s'y tromper, que si la paix des consciences est rompue en France, ce n'est pas du fait de l'Eglise, mais du fait de ses ennemis.

Les esprits impartiaux, même lorsqu'ils ne partagent pas notre foi, reconnaissent que si on combat sur le terrain religieux dans votre patrie bien-aimée, ce n'est point parce que l'Eglise y a levé l'étendard la première, mais c'est parce qu'on lui a déclaré la guerre à elle-même. Cette guerre, depuis vingt-cinq ans surtout, elle ne fait que la subir.

Voilà la vérité. Les déclarations, mille fois faites et refaites dans la presse, dans les congrès, dans les convents maçonniques, au sein du Parlement lui-même, le prouvent, aussi bien que les attaques qu'on a progressivement et méthodiquement menées contre elle. Ces faits sont indéniables et contre eux aucune parole ne pourra jamais prévaloir. L'Eglise ne veut donc pas la guerre, la guerre religieuse moins encore que les autres, et affirmer le contraire, c'est la calomnier et l'outrager.

Elle ne souhaite pas davantage la persécution violente. Cette persécution, elle la connaît pour l'avoir soufferte dans tous les temps et sous tous les cieux. Plusieurs siècles passés par elle dans le sang lui donnent donc le droit de dire avec une sainte fierté qu'elle ne l'a craint pas et que, toutes les fois que ce sera nécessaire, elle saura l'affronter. Mais la persécution en soi, c'est le mal, puisqu'elle est l'injustice et qu'elle empêche l'homme d'adorer Dieu en liberté. L'Eglise ne peut donc pas la souhaiter, même en vue du bien que, dans sa sagesse infinie, la Providence en tire toujours. En

outre, la persécution n'est pas seulement le mal, elle est encore la souffrance, et c'est une raison nouvelle pour laquelle, par pitié pour ses enfants, l'Eglise qui est la meilleure des mères, ne la désire jamais.

La persécution est réelle.

Du reste, cette persécution à laquelle on lui reproche de vouloir pousser et qu'on se déclare bien décidé à lui refuser, on la lui inflige en réalité. N'a-t-on pas, tout dernièrement encore, expulsé de leurs évêchés les Evêques, même les plus vénérables, et par l'âge et par les vertus; chassé les séminaristes des grands et petits Séminaires; commencé à bannir les curés de leurs presbytères? Tout l'univers catholique a vu ce spectacle avec tristesse et, sur le nom qu'il convenait de donner à de pareilles violences, il n'a pas hésité.

En ce qui touche les biens ecclésiastiques qu'on Nous accuse d'avoir abandonnés, il importe de remarquer que ces biens étaient pour une partie le patrimoine des pauvres et le patrimoine, plus sacré encore, des trépassés. Il n'était donc pas plus permis à l'Eglise de les abandonner que de les livrer; elle ne pouvait que se les laisser arracher par la violence. Personne ne croira, du reste, qu'elle ait délibérément abandonné, sinon sous la pression des raisons les plus impérieuses, ce qui lui avait été ainsi confié et ce qui lui était si nécessaire pour l'exercice du culte, pour l'entretien des édifices sacrés, pour la formation de ses clercs et pour la subsistance de ses ministres.

C'est perfidement mise en demeure de choisir entre la ruine matérielle et une atteinte consentie à sa constitution, qui est d'origine divine, qu'elle a refusé, au prix même de la pauvreté, de laisser toucher en elle à l'œuvre de Dieu. On lui a donc pris ses biens, elle ne les a pas abandonnés. Par conséquent, déclarer les biens ecclésiastiques vacants à une époque déterminée si à cette époque, l'Eglise n'a pas créé dans son sein un organisme nouveau; soumettre cette création à des conditions en opposition certaine avec la constitution divine de cette Eglise, mise ainsi dans l'obligation de les repousser; attribuer ensuite ces biens à des tiers, comme s'ils étaient devenus des biens sans maître et, finalement, affirmer qu'en agissant ainsi on ne dépouille pas

l'Eglise, mais qu'on dispose seulement de biens abandonnés par elle, ce n'est pas simplement raisonner en sophiste, c'est ajouter la dérision à la plus cruelle des spoliations.

Spoliation indéniable, du reste, et qu'on chercherait en vain à pallier, en affirmant qu'il n'existait aucune personne morale à qui ces biens pussent être attribués ; car l'Etat est maître de conférer la personnalité civile à qui le bien public exige qu'elle soit conférée, aux établissements catholiques comme aux autres, et, dans tous les cas, il lui aurait été facile de ne pas soumettre la formation des associations cultuelles à des conditions en opposition directe avec la constitution divine de l'Eglise qu'elles étaient censées devoir servir.

L'Eglise ne pouvait pas accepter les associations cultuelles.

Or, c'est précisément ce que l'on a fait, relativement aux associations cultuelles. La loi les a organisées de telle sorte que ses dispositions à ce sujet vont directement à l'encontre de droits qui, découlant de sa constitution, sont essentiels à l'Eglise, notamment en ce qui touche la hiérarchie ecclésiastique, base inviolable donnée à son œuvre par le Divin Maître lui-même. De plus, la loi confère à ces associations des attributions qui sont de l'exclusive compétence de l'autorité ecclésiastique, soit en ce qui concerne l'exercice du culte, soit en ce qui concerne la possession et l'administration des biens. Enfin, non seulement ces associations cultuelles sont soustraites à la juridiction ecclésiastique, mais elles sont rendues justiciables de l'autorité civile. Voilà pourquoi Nous avons été amenés dans Nos précédentes Encycliques à condamner ces associations cultuelles, malgré les sacrifices matériels que cette condamnation comportait.

On nous a accusé encore de parti-pris et d'inconséquence. Il a été dit que Nous avions refusé d'approuver en France ce qui avait été approuvé en Allemagne. Mais ce reproche manque autant de fondement que de justice. Car, quoique la loi allemande fut condamnable sur bien des points et qu'elle n'ait été que tolérée à raison de maux plus grands à écarter, cependant les situations sont tout à fait différentes et cette loi reconnait expressément la hiérarchie catholique, ce que la loi française ne fait point.

Quant à la déclaration annuelle exigée pour l'exercice du culte, elle n'offrait pas toute la sécurité légale qu'on était en droit de désirer. Néanmoins, — bien qu'en principe les réunions des fidèles dans les églises n'aient aucun des éléments constitutifs propres aux réunions publiques et qu'en fait, il soit odieux de vouloir les leur assimiler, — pour éviter de plus grands maux, l'Eglise aurait pu être amenée à tolérer cette déclaration. Mais, en statuant que « le curé ou le desservant ne serait plus » dans son église « qu'un occupant sans titre juridique; qu'il serait sans droit pour faire aucun acte d'administration », on a imposé aux ministres du culte, dans l'exercice même de leur ministère, une situation tellement humiliée et vague que, dans de pareilles conditions, la déclaration ne pouvait plus être acceptée.

Condamnation de la nouvelle loi.

Reste la loi récemment votée par les deux Chambres.

Au point de vue des biens ecclésiastiques, cette loi est une loi de spoliation, une loi de confiscation, et elle a consommé le dépouillement de l'Eglise. Quoique son Divin Fondateur soit né pauvre dans une crèche et soit mort pauvre sur une croix, quoiqu'elle ait connu elle-même la pauvreté dès son berceau, les biens qu'elle avait entre les mains ne lui en appartenaient pas moins en propre et nul n'avait le droit de l'en dépouiller. Cette propriété, indiscutable à tous les points de vue, avait été encore officiellement sanctionnée par l'Etat : il ne pouvait par conséquent pas la violer. — Au point de vue de l'exercice du culte, cette loi a organisé l'anarchie : ce qu'elle instaure surtout en effet, c'est l'incertitude et le bon plaisir.

Incertitude si les édifices du culte, toujours susceptibles de désaffectation, seront mis ou non, en attendant, à la disposition du clergé et des fidèles; incertitude s'ils leur seront conservés ou non, et pour quel laps de temps; arbitraire administratif réglant les conditions de la jouissance, rendue éminemment précaire; pour le culte, autant de situations diverses en France qu'il y a de communes; dans chaque paroisse, le prêtre mis à la discrétion de l'autorité municipale, et par conséquent, le conflit à l'état possible organisé d'un bout à l'autre du pays. Par contre,

obligation de faire face à toutes les charges même les plus lourdes et, en même temps, limitation draconienne en ce qui concerne les ressources destinées à y pourvoir. Aussi née d'hier, cette loi a-t-elle déjà soulevé d'innombrables et dures critiques de la part d'hommes appartenant indistinctement à tous les partis politiques et à toutes les opinions religieuses, et ces critiques seules suffiraient à la juger.

Il est aisé de constater par ce que Nous venons de vous rappeler, Vénérables Frères et bien-aimés Fils, que cette loi aggrave la loi de séparation et Nous ne pouvons dès lors que la réprouver.

Le texte imprécis et ambigu de certains des articles de cette loi met dans une nouvelle lumière le but poursuivi par nos ennemis. Ils veulent détruire l'Eglise et déchristianiser la France, ainsi que Nous l'avons déjà dit, mais sans que le peuple y prenne trop garde et qu'il puisse, pour ainsi dire, faire attention. Si leur entreprise était vraiment populaire, comme ils le prétendent, ils ne balanceraient pas à la poursuivre, visière relevée, et à en prendre hautement toute la responsabilité. Mais, cette responsabilité, loin de l'assumer, ils s'en défendent, ils la repoussent et, pour mieux y réussir, ils la rejettent sur l'Eglise, leur victime. De toutes les preuves, c'est la plus éclatante que leur œuvre néfaste ne répond pas aux vœux du pays.

C'est en vain, du reste qu'après Nous avoir mis dans la nécessité cruelle de repousser les lois qu'ils ont faites, — voyant les maux qu'ils ont attirés sur la patrie et sentant la réprobation universelle monter comme une lente marée vers eux, — ils essayent d'égarer l'opinion publique et de faire retomber la responsabilité de ces maux sur Nous. Leur tentative ne réussira pas.

Le Pape a fait son devoir.

Quant à Nous, Nous avons accompli Notre devoir, comme tout autre Pontife Romain l'aurait fait. La haute charge dont il a plu au Ciel de Nous investir, malgré Notre indignité, comme du reste la foi du Christ elle-même, foi que vous professez avec Nous, Nous dictait Notre conduite. Nous n'aurions pu agir autrement, sans fouler aux pieds Notre conscience, sans forfaire au serment que Nous avons

prêté, en montant sur la Chaire de Pierre, et sans violer la Hiérarchie catholique, base donnée à l'Eglise par Notre Seigneur Jésus-Christ.

Nous entendons sans crainte par conséquent le verdict de l'histoire. Elle dira, que les yeux immuablement fixés sur les droits supérieurs de Dieu à défendre, Nous n'avons pas voulu humilier le pouvoir civil, ni combattre une forme de gouvernement, mais sauvegarder l'œuvre intangible de Notre Seigneur et Maître Jésus-Christ. — Elle dira que Nous vous avons défendus, de toute la force de Notre immense tendresse, o bien-aimés Fils; que ce que Nous avons réclamé et réclamons pour l'Eglise, dont l'Eglise de France est la Fille ainée et une partie intégrante, c'est le respect de sa hiérarchie, l'inviolabilité de ses biens et la liberté; que, si l'on avait fait droit à Notre demande, la paix religieuse n'aurait pas été troublée en France et que le jour où on l'écoutera, cette paix si désirable, y renaîtra.

Elle dira enfin, que si, sûr d'avance de votre générosité magnanime, Nous n'avons pas hésité à vous dire que l'heure des sacrifices avait sonné, c'est pour rappeler au monde, au nom du maître de toutes choses que l'homme doit nourrir ici-bas des préoccupations plus hautes que celle des contingences périssables de cette vie et que la joie suprême, l'inviolable joie de l'âme humaine sur cette terre, c'est le devoir surnaturellement accompli coûte que coûte, et, par là-même, Dieu honoré, servi et aimé malgré tout.

Confiant que la Vierge Immaculée, Fille du Père, Mère du Verbe, Epouse du Saint-Esprit, vous obtiendra de la Très Sainte et Adorable Trinité des jours meilleurs, comme présage de l'accalmie qui suivra la tempête, Nous en avons la ferme espérance, c'est du fond de l'âme que Nous vous accordons Notre Bénédiction Apostolique, à Vous Vénérables Frères, ainsi qu'à votre clergé et au peuple français tout entier.

Donné à Rome, près de Saint-Pierre, le jour de l'Epiphanie, 6 janvier 1907, de Notre Pontificat le quatrième.

PIE X, PAPE.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii

—

I

Interpretare Jud. 14-16 et ostende citationem prophetiæ Enoch divinæ inspirationi hujus epistolæ non obstare.

II

Qua formali ratione influit in meritum condignum tum gratia sanctificans, tum charitas?

III

Quid est matrimonium *mixtum?* An et quandonam valide ac licitè contrahitur?

IV

An et quibusnam sub cautelis ab Ecclesia dispensatur super impedimento mixtæ religionis?

V

An, quandonam et quomodo matrimonio mixto assistere potest parochus?

VI

Interpretare art. XLI Constitutionis « *Officiorum ac munerum* ».

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. Præ oculis habito textu ep. II S. Petri III, 14-16 ostende 1/ quid et in qua epistola « Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit »; 2/ auctorem II Petri epistolas S. Pauli habuisse ut divinitus inspiratas; 3/ factum quod auctor II Petri plures epistolas S. Pauli cognoverit non necessario obstare quominus II Petri a Petro apostolo scripta fuerit.

R. *14. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati, et inviolati ei inveniri in pace. 15 Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, 16 sicut et in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Ad I^m. a/ *Quid* S. Paulus « secundum datam sibi sapientiam » scripserit lectoribus II^æ Petri *(vobis)*, i. e. Ethnico-christianis Asiæ-Minoris (1), quoad substantiam saltem exhibetur vv. 14 et 15^a. Fuerit igitur *exhortatio ad vitam modo sancto et illibato peragendam* (2), *ut in altero Christi* (3) *judicis adventu salutem consequerentur*. Etenim arbitrarium videtur particulam *sicut et* (καθὼς καὶ...) restringere ad sola verba « satagite immaculati, et inviolati inveniri in pace »: obvie respicit

(1) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ Catholicæ*, Brugis, 1907, p. 121 ss.

(2) Quæ exhortatio cæteroquin cum scopo II Petri optime quadrat. Cf. *o. c.*, p. 122 s.

(3) Dominus v. 15 = Christus; cf. v. 18.

exhortationem et additum motivum ex Christi parousia petitum; imò, magis proxime ad incisum referri videtur: « Et Domini nostri longanimitatem (1) salutem arbitremini ». Probabilius igitur tùm exhortationem tùm motivum in quadam epistola Paulus conjunxerit et ad hujus epistolæ textum respicit auctor (2).

b/ *In qua epistola* S. Paulus illa scripserit, certò definiri non potest, ità ut eligere debeamus inter plures sententias plus minusve probabiles. *Nisi quis ad epistolam deperditam recurrere velit, præ cæteris cogitanda est ep. ad Ephesios.*

Prænotanda ducimus hæc duo: imprimis II Petri missam fuisse ad eosdem lectores ad quos auctor I Petri scripserat, sc. ad Ecclesias Ethnico-christianas Asiæ Minoris; deinde in hac pericopa II Pet. III, 14-16 auctorem ad epistolam alludere quam S. Paulus christianis Asiaticis destinaverat: hujusmodi enim epistola verbis « scripsit vobis » a reliquis epistolis Paulinis auctori notis, sat clare distinguitur: « sicut in omnibus Epistolis etc. ».

Inde liquet epistolam, ab auctore hîc intentam, non

---

(1) Qua scil hucusque judicium differt et redire tardat.

(2) Autumant quidam in textu Paulino ad quem alludit II Petri nihil aliud quam exhortationem ad vitam sanctam fuisse scriptam, rationem autem e reditu Christi desumptam ab auctore II Petri additam fuisse. Arguunt autem ex v. 16ª: « sicut et in omnibus Epistolis, loquens in eis de his », quasi in omnibus epistolis auctori notis Paulus proponeret doctrinam quæ hîc respicitur. Jamvero, aiunt, uti satis notum est, in omnibus epistolis Paulus lectores ad morum sanctitatem adhortatur, sed non in singulis Christi parousiam velut motivum proponit. — Quod argumentum rem non conficit. Etenim textus non habet: « sicut et in omnibus Epistolis scripsit, vel: locutus est de his », verùm: « sicut et in omnibus Epistolis (sc. scripsit), *loquens de his* » i. e. *quotiescumque de his* (sc. de vita sancte instituenda et de parousia) *locutus est.* Nam t. gr. λαλῶν ἐν αὐταῖς non idem est ac ἐν αἷς λαλεῖ. Præterea verba « de his » græce περὶ τούτων, eadem doctrinæ puncta, ad quæ alludit particula *sicut* (καθώς), indigitant. Cf. Kühl; *Die Briefe Petri und Judæ*, Göttingen, 1897, p. 459 s; Zahn, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, t. II, p. 45 s.: « In allen seinen Briefen, wenn und wo er in denselben auf diese Dinge zu reden kommt ».

esse ep. ad Rom., neque I Cor. vel I et II Thess. in quibus tamen fidelium mores ad sanctitatem informantur, respectu habito ad alterum Christi adventum.

E tribus epistolis Paulinis ad Asiæ christianos missis et in canone servatis, ep. ad Galatas vix cogitanda venit, quippe quæ *Judæo*-christianis scripta fuit, nullosque textus cum præsenti loco II Petri convenientes præbere videtur. Ep. ad Colossenses I, 22 s. sententiam exhibet cum nostro textu quadamtenus convenientem : « Nunc autem (Christus) reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos *sanctos, et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso* (scil. judice), si tamen permanetis in fide etc. ». Alii tamen, et potiori forsan jure, epistolam *circularem seu encyclicam* (1) ad Ephesios cogitarunt (2). Re quidem vera, in hac epistola ad plures Asiæ Minoris ecclesias missa, frequentes ad sanctitatem monitiones reperiuntur (v. g. I, 4 ss.; III, 9 ss.; IV, 14-30). Attamen hæ monitiones plerumque non in futuro Christi reditu sed in alio motivo fundatæ apparent (IV, 1, 20-25; V, 1-3; VI, 1-3, 8, 9), licet argumentum e parousia sumptum non omnino deficiat (IV, 30; V, 5 s.). Alii demum (3), maxime ii (4) qui verba Pauli in II Petri III, 14-15 verbotenus adducta fuisse autumant, auctorem potius ad epistolam Pauli hodie deperditam alludere censent.

Ad II^m^. Auctor II Petri epistolas S. Pauli sibi notas ut divinitus inspiratas habebat. Etenim quasdam epistolas Paulinas « ceteris Scripturis » (gr. ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς) æquiparat. *Scripturæ* αἱ γραφαί, ut patet ex usu constanti vocis in N. T. (5) scripturæ κατ' ἐξοχήν seu divinitus inspiratæ intelligendæ sunt.

---

(1) Cf. Ladeuze, *Rev. Bibl*, 1902, p. 573 ss.; Zahn, *o. c.*, t. I, p. 343 ss.

(2) Cf. Ceulemans, *Commentarius in Epistolas Catholicas et in Apocalypsim*, Mechliniæ, 1904, p. 115.

(3) Ita Pott, Spitta, Zahn, etc.

(4) Ita Kuehl, *o. c.*, p. 457 s.

(5) Pariter *Scriptura*, ἡ γραφή. Cf. v. g. *Mt* XXI, 42; XXVI, 54; *Mc*

Autumat Zahn (1) hoc loco αἱ γραφαί non designare, sensu restricto et quasi technico, collectionem scriptorum inspiratorum, quia vox obiter occurrit nullo stipata attributo (uti v. g. ἅγιος, ἱερός, θεόπνευστος, προφητικός, παλαιός, ἀρχαῖος), putat nomine αἱ γραφαί hîc appellari scripta religiosa sive inspirata sive non, at, in communitatibus christianis magnà æstimatione habita, sive ratione auctorum sive ratione usus ecclesiastici. — Verùm termini ἡ γραφή, αἱ γραφαί absque ullo addito frequenter in N. T. pro Scriptura sacra seu inspirata supponunt; imo attributum hîc æquivalenter additur in v. 15: « Paulus secundum datam sibi (utique divinitus) sapientiam scripsit ».

Neque scripta apostolica in prisca Ecclesia Scripturis V. T. fuisse pedetentim juxtaposita adeo mirabitur, qui perpenderit ex una parte Apostolos intime fuisse persuasos se Spiritu Dei loqui (2), et ex alia parte Apostolorum scripta fuisse simul cum Scripturis V. T. publice lecta in conventibus liturgicis christianorum, etiam iis in Ecclesiis ad quas primario destinata non fuerant (3).

XIV, 49; *Lc* XXIV, 27; *Jo* V, 39; VII, 38; *Act.* VIII, 32, XVII, 2. 11; XVIII, 24; *Rom.* IV, 3; *I Cor.* XV, 3; *Gal.* III, 22; IV, 30; *Jac.* II, 8; *I Pet.* II, 6; *II Pet.* I, 20. Cf. GRIMM, *Lexicon græco-latinum in libros N. T.*, Lipsiæ, 1903, p. 83; CALMES, *Qu'est-ce que l'Ecriture Sainte*, Paris, 1901, p. 10.

(1) *o. c.*, p. 99. In favorem nostræ sententiæ arguit PLUMPTRE, *The general Epistles of St Peter and St Jude*, Cambridge, 1903, p. 197 s.

(2) Cf. v. g. *I Cor.* II, 12-13. Cui intimæ S. Pauli persuasioni auctor II Petri testimonium perhibere videtur, dum ait v. 15: « sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi (divinitus) sapientiam scripsit vobis ». Cf. BIGG, *o c.*, p. 241. Sane, viventibus Apostolis, prædicatio oralis præcipuus erat christianæ revelationis fons, neque Apostoli doctrinam, cujus erant præcones divinitus ordinati, integre in scriptis suis, peculiari plerumque occasione exaratis, tradere intendebant. Attamen neque simplices fideles, neque a fortiori Apostoli prædicta scripta ut mere profana duxerint. Nonne Apostoli, divinæ assistentiæ conscii (quam cæteroquin palam profitebantur), ea in perfungendo munere suo apostolico concinnarunt? Factum autem quod plura Apostolorum scripta perierint, non christianorum de ipsis incuriæ, verum variis atque frequentibus temporum injuriis tribuendum apparet.

(3) Cf. v. g. *Col.* IV, 16; *I Thes.* V, 27. Auctores quidam animadvertunt

Ad III[m]. Factum quod auctor II Petri plures epistolas S. Pauli cognoverit, non necessario obstat quominus II Petri ab Apostolo Petro scripta fuerit. (Cf. supra, p. 12, d).

Clare asserit auctor v. 16 se plures S. Pauli epistolas novisse, easque apud pseudo-doctores notas supponit, sed non liquet lectores ipsos eas omnes cognovisse, cùm oppositum potius sequi videatur ex eo quod epistolam lectoribus scriptam ab « omnibus epistolis » discernat, asseveretque Paulum, quotiescumque, circa res de quibus agitur, scribit, eamdem semper doctrinam proponere.

Egregie falluntur (1) qui *integram* Paulinarum epistolarum collectionem *canonicam* ab auctore II Petri certo cognitam arbitrantur. Etenim imprimis lectio græca probabilior (2) habet ὡς καὶ ἐν πάσαις ἐπιστολαῖς, ità ut sensus sit: in omnibus epistolis auctori notis, quin ullo modo innuatur existere collectionem definitam, jamjam conclusam. Etiamsi legendum esset ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς (3), articulus non necessario col-

---

ἄλλος et ἕτερος quandoque ita concinne cum substantivo conjungi, quod appositionis loco sit. Ità bis apud S. Lc. X, 1 et XXIII, 32: ἕτεροι δύο κακοῦργοι: duo alii qui erant malefactores. Putant autem λοιπός eumdem sensum quandoque habere, quo casu in nostro loco sensus foret: « quæ (difficilia in epistolis S. Pauli occurrentia) indocti, et instabiles depravant, sicut et cætera scripta quæ sunt Scripturæ. » Ità Bigg, *o. c.*, p. 301 ait: « We might translate « the scriptures as well »; or « the scriptures on the other hand ». Juxta hanc interpretationem epistolæ Paulinæ a « Scripturis » potius distinguerentur — Attamen, ut notat Zahn, *o. c.*, p. 99, 108 s. hujusmodi usus vocis λοιπός non demonstratur; λοιπός non connotat distinctionem quemadmodum ἄλλος et ἕτερος, verùm potius significat reliquos ex aliquo numero vel ordine *de quo agitur*, et solummodò cum *addita* distinctione vel oppositione designat reliquos qui non sunt hujus ordinis vel numeri: in præsenti autem loco tale additum frustra quæritur. Bigg, *l. c.*, allegat *I Thes.* IV, 13, at immerito, quia οἱ λοιποί absolute, sine addito nomine ibi occurrit. Cf. Grimm, *o. c.*, p. 266.

(1) Quæ assertio tamen a circulo quodam confidenter fuit prolata.

(2) Quam habent codd. A, B, C.

(3) Cum codd. Sin., K, L, P.

lectionem canonicam adsignificat, sed solùm omnes epistolas ab auctore notas indigitat (1). Imò, si canonica dictarum epistolarum collectio jam existens et ubique agnita supponitur, distinctio epistolam lectoribus scriptam inter et reliquas literas Pauli inutilis evadit, et vix intelligitur (2). Jamvero, factum quod auctor II Petri plures S. Pauli epistolas cognoverit, genuinitati II Petri non necessario obstat. Ità S. Petrus plures Pauli epistolas per Silvanum, Pauli cooperatorem cognoscere potuit: Silvanus enim velut comes Pauli ejusque cooperarius nominatur in ep. I et II ad Thes., et fuit Petri interpres in exaranda I Petri (3).

Notam præterea habuerit ipse Romæ scribens, ep. quam S. Paulus circa a. 56 ad Romanos scripserat: ad hanc ep. quemadmodum ad ep. ad Ephesios allusiones occurrere videntur in I Petri (4): dictæ epistolæ sicut, et probabiliter aliæ, eum latere non poterant. Plane non intelligimus, ait Bigg (5), quomodo Petrus ep. ad Gal. et I ad Cor. ignorasset.

Ex eo quod Ecclesiæ a Paulo fundatæ tantum virum absque dubio maximi fecerint, ejusque scripta, in quibus se Spiritu Dei actum testabatur, in conventibus

---

(1) Ità Bigg, *o. c.*, 240 s., et p. 300: « It is by no means necessary to see in these words, as some have done, a reference to a definite canonical body of Pauline Epistles ». Kuehl, *o. c.*, meritò observat: « Die Verschiedenheit der Lesart, ob bei πάσαις der Artikel steht oder nicht, ist für den Sinn von geringer Bedeutung, da es unberechtigt ist, anzunehmen, dass durch πάσαις ταῖς die Briefe des Paulus als eine geschlossene Sammlung markirt werden; denn der Artikel zwingt nur dazu, an alle dem Verf. (wir brauchen nicht einmal an die Leser zu denken; vgl. Spitta) bekannten Briefe Pauli zu denken ». Cf. etiam Wiesinger ap. Olshausen, *Biblischer Kommentar über sämtliche Schriften des N. T.*, t. VI (1862); Henkel. *o. c.*, p. 13; Plumptre, *o. c.*, p. 197.

(2) Cf. Kuehl, *o. c.*, p. 373 ss., 458. Cur, si canon epistolarum S. Pauli jam exstitisset, auctor II Petri ad epistolam quamdam (probabilius) deperditam et in canone non servatam provocasset?

(3) Cf. *I Pet.* V, 12.

(4) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 79; Zahn, *o. c.*, p. 30, 98.

(5) *o. c.*, p. 300, cf. p. 240 s.

liturgicis publice lecta fuerint, jure conjicere licet dictas epistolas fuisse descriptas, Ecclesiis mutuo communicatas, earumque varias in variis regionibus collectiones citò esse exortas (1).

Neminem latet inter diversas priscæ Ecclesiæ communitates frequens vitæ commercium exstitisse : id non tantum ex itineribus S. Pauli et historia Actuum, sed præterea ex variis indiciis in epistolis N. T. sparsis abunde liquet. Cæteroquin in Romano imperio, itineribus instituendis, necnon literis mittendis accipiendisque, etiam cursu publico, mire provisum erat (2).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone conditiones requisitas ad meritum de condigno* ex parte ipsius operis.

R. Ut opus possit esse meritorium de condigno requiritur ut sit *bonum moraliter*, *liberum*, *supernaturale*. In his tribus statuendis conditionibus conveniunt theologi ; dissentiunt vero circa ulteriorem explicationem *supernaturalitatis* requisitæ : circa quam plures moventur quæstiones, quas indicabimus, postquam exposuerimus tres conditiones suprà nominatas.

1. **Bonum moraliter** debet esse opus meritorium. Etenim « apud Deum, qui sanctus est, nihil præmio dignum esse potest, quod non sit bonum et rectum. Debet vero esse bonum ratione objecti, finis et circum-

(1) Cf Zahn, *Grundriss der Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, Leipzig, 1901, p. 35 ss.

(2) Quæ commeatuum copia non tantum metropolim inter et provinciarum urbes principes, sed etiam in ipsis provinciis, maxime Asiæ Minoris, præsto erat, ut videre est in eruditissima disquisitione W. M. Ramsay, ap. Hastings, *Dictionary of the Bible*, t. V (Edinburgh, 1904): Roads and Travel in N. T., p. 375 ss.

stantiarum, juxta tritum illud axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu* » (1).

2. **Liberum** esse debet, et quidem libertate *indifferentiæ* seu *electionis* (2). Loquimur de illa libertate qua voluntas ipsa effective *specificat* actum suum, quatenus nempe vult UNUM PRÆ ALIIS: quod est *eligere*. Per hoc fit voluntas proprie et simpliciter *domina* actus sui et per hoc etiam est actus ipsi *imputabilis*. — Jamvero actus, ut sit meritorius debet esse liber, libertate electionis: nam merces, formaliter ut talis, est bonum quod ab uno datur tamquam *compensatio* pro bono quod præstitit alius (3): si persona, libere agens, elegit actum in obsequium vel utilitatem alterius personæ, illa persona agens præstitit aliquid quod est *suum*, et cujus est *domina* seu de quo disponere quasi valeat, inde ratio est cur alia persona aliquod bonum *retribuat*, compensando bonum præstitum; si vero persona agens non ipsa elegit, nec, consequunter, *determinavit* ipsa actum suum, tunc ille actus determinatus fuit vel ab ipsa natura agentis, vel a gratia in natura, estque physice necessarius: ideo illius actus non est *domina* persona agens, nec præstat aliquid suum, de quo disponere valeat, nec ipsi potest dari aliquid tamquam *retributio* seu *compensatio* (4).

---

(1) JUNGMANN, *De Gratia*, n. 365 Opus, quà meritorium, est necessario bonum et consequenter sub omni respectu bonum. Alia est quæstio utrum idem *physicus* actus possit esse simul moraliter bonus, (ac consequenter meritorius), et moraliter malus (ac consequenter demeritorius). Cf. BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis*, 2ª Edit., n. 359, n. 372.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes Theologicæ, Collat. Brug.*, t. V, p. 586 ss.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, o. c., p. 592.

(4) Posset Deus statuere dare alicui gloriam, aut tale, vel tale bonum, posito tali actu necessario. Tunc vero prædictus actus non haberet rationem *meriti* sed nudæ conditionis, qua posita ponitur quod sub illa promittitur. Unde nec gloria, aut illud aliud bonum haberet in hoc casu propriam rationem *mercedis* seu *præmii*, sed omnino gratuiti beneficii. Cf. SALMANTICENSES, Tractatus XVI, Disp. I, dub. 2, § 2.

Hanc doctrinam exprimit S. THOMAS (1): « Licet anima Christi esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter : poterat enim hoc vel illud facere et non facere : et *ideo libertas* in eo remanebat, *quæ requiritur* ad *merendum* » (2). S. BONAVENTURA hoc etiam dicit: nam posita hac objectione: « Meritum est a voluntate deliberativa; sed ubi est deliberatio, ibi est collatio; ubi autem hæc est, ibi est temporis successio : ergo non videtur, quod meritum Christi potuerit esse a suæ conceptionis principio », respondet S. Doctor : « Quamvis secundum *processum naturæ* deliberatio indigeat successione et tempore; tamen secundum *plenitudinem gratiæ et gloriæ* possibile est ipsi animæ in instanti discernere, quod alias non posset facere sine continuo et tempore. Et sic per *deiformitatem gloriæ* intellectus potest simul plura intelligere, quamvis per *naturam* non intelligatur nisi unum solum simul et semel. Et quia anima Christi erat in plenitudine gratiæ et gloriæ; hinc est, quod non indigebat mora temporis ad discernendum quid eligendum, quid fugiendum, quid amandum, quid odiendum » (3).

Censet igitur S. Bonaventura ad meritum requiri voluntatem *deliberativam*, quæ est voluntas *eligendi* (4).

---

(1) Angelicus Doctor in III, Dist. XVIII, q. 1, a 2, ad 5 videtur asserere non requiri libertatem electionis ad meritum; sed quidquid sit de sensu hujus loci, certe in aliis, quos indicabimus et qui inveniuntur in operibus posterioribus, explicite dicit requiri ad meritum libertatem electionis.

(2) *De Veritate,* Q. XXIX, a. 6, ad 1; cf. *De Malo,* Q. VI, a. unic. Etiam in *Summa theologica,* III, Q. XVIII, a. 4, ad 1 explicite docet S. Thomas fuisse in Christo libertatem *electionis:* « Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum *eligere* per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos.

(3) In III, D. XVIII, a. 1, q. 1, ad. 3.

(4) Propter difficultatem explicandi in Christo libertatem electionis, nonnulli olim theologi (quorum quosdam referunt SALMANTICENSES, l. c.,) censuerunt ad meritum non absolute requiri libertatem electionis: hanc etiam sententiam nuper propugnavit cl. DE BAETS, in opusculo *De libera Christi obedientia,* Lovanii, 1905.

Tandem damnata est hæc Jansenii propositio: « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » (1). Secundum hoc tenendum est homini, saltem in statu naturæ lapsæ, qui est status nunc vigens, requiri *libertatem a necessitate* ut possit mereri: hæc autem libertas a necessitate nequit aliter intelligi hîc quam de libertate *electionis*.

3. **Supernaturale** tandem debet esse opus meritorium ut hoc sit *de condigno:* nempe ad hoc oportet ut sit vera proportio inter opus et mercedem, ut opus sit in eodem ordine cum præmio, ergo supernaturale sicut et merces (2).

Dum vero hanc qualitatem ulterius explicant theologi, quasdam movent quæstiones quibus non eamdem dant solutionem: præcipuæ porro quæstiones hæ sunt: a/ utrum ad omnes et singulos actus meritorios requiratur gratia *actualis;* b/ utrum actus, ut sint meritorii, debeant *elici* virtute charitatis supernaturalis; c/ utrum debeant saltem *imperari* prædicta virtute; d/ utrum debeant *referri in Deum;* e/ utrum debeant procedere *ex motivo supernaturali.*

a/ Ad primam quæstionem notemus illam non specialiter poni propter rationem meriti, sed propter rationem ipsius supernaturalitatis: nempe plures theologi tenent in homine, etiam justo, non dari actus entitative *supernaturales* nisi ex gratia actualis influxu fiant: illi consequenter tenent non dari actus meritorios, quin procedant ex influxu gratiæ actualis; alii vero censentes dari posse in homine justo actus entitative supernaturales, quin procedant ex influxu actualis gratiæ, consequenter statuunt non ad singulos actus meritorios requiri gratiam actualem. Inde ulterior hujus quæstionis disputatio non ad hunc locum pertinet.

---

(1) Denzinger, *Enchiridion,* n. 968.

(2) Cf. S. Thomas, I-II^{ae}, Q. CXIV, a. 2; Cajetanus, in I, Q. LXIII, n. XII; Suarez, *De Gratia,* L. XII, c. 7, n. 9.

b/ Actus ut sint meritorii non debent *elici* ipsa charitate: hæc est communis theologorum sententia (1). Et sane, actus eliciti ab aliis virtutibus infusis sunt moraliter boni, liberi, entitative supernaturales et Deo præstant obsequium: nulla igitur adest ratio negandi meritorios esse actus elicitos a virtutibus infusis diversis a charitate.

c/ Actus ut sint meritorii de condigno beatitudinis etiam essentialis non debent *imperari* a charitate (2), neque fieri influxu actuali permanente actus charitatis præcedentis. Etenim inhærentes doctrinæ quam suprà, p. 18 s., exposuimus, tenemus actus bonos, ab homine justificato positos, implicite referri in Deum tamquam in finem supernaturalem: hoc autem est quia justus se et omnia sua, semel pro semper, charitate ordinavit ad Deum, supernaturaliter cognitum et amatum (3).

De quarta et quinta quæstione agemus ex professo in responsis nostris sequentibus.

Adnotatio. Ut meritorius sit actus non requiritur ut sit *supererogatorius*, h. e. non obligatorius; imo actus præceptus potest esse magis meritorius quam alius (4). — Nec requiritur aliqua specialis *duratio* actus; nec etiam aliquis gradus *intensitatis:* sed alia est quæstio utrum actus *remissi*, h. e. actus minus intensi quam est

---

(1) Cf. Suarez, *De Gratia;* L. XII, c. 8, n. 9.

(2) Actus imperati a charitate illi sunt qui ex actu charitatis eliciuntur ab alia virtute, distincta nempe a charitate: v. gr. si quis ex actu amoris Dei super omnia dilecti discernit jejunare et jejunat: jejunium illud est actus elicitus a temperantia, imperatus a charitate. Qui tenent actus, ut sint meritorii, debere imperari a charitate, censent igitur actum, dum fit, procedere debere ab actu charitatis, vel saltem ab alio actu qui ipse fuit imperatus a charitate.

(3) Cf. Suarez, *o. c.;* l. c., c. 9, n. 6 ss.; Terrien, *La grâce et la gloire,* Paris, 1897, T. II, p. 45; Schiffini, *De Gratia divina,* Friburgi Br., 1901, n. 365 ss. — De textibus S. Thomæ, in quibus loquitur de *imperio* charitatis requisito ad meritum, agemus in alia responsione.

(4) Cf. Card. Mazella, *De Gratia Christi,* Romæ, 1892, n. 1147 s.; Hurter, *Compendium theologiæ dogmaticæ,* Œniponte, 1896, T. III, n. 227.

gradus virtutis infusæ jam possessæ, et a qua eliciuntur, obtineant STATIM augmentum gratiæ et virtutum.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Ostende ipsos contrahentes matrimonium esse sacramenti ministros.*

Respondetur.

1°/ Primum ac palmare argumentum est *in ipsa identitate sacramenti et contractus*, pro baptizatis (1); ex qua identitate sponte sequitur contrahentes, utpote conficientes contractum, etiam necessariò esse conficientes sacramentum, adeoque ejusdem sacramenti ministros constitui.

2°/ Confirmatur ex eo quod matrimonia inter solos sponsos clandestine contracta de se valida sunt in ratione contractus et in ratione sacramenti, quousque scilicet ab Ecclesia non irritantur (2), quodque hodiedum absolute rata habentur in locis decreto *Tametsi* non subjectis.

3°/ Quod in specie non sit sacramenti minister parochus seu sacerdos delegatus, cujus præsentia ad valorem requiritur in locis Tridentinæ legi subjectis, confirmatur ex ipsa confectione decreti conciliaris, ex qua innotescit sacerdotem ibi merum agere testem auctorizabilem : in prima nempe et secunda propositione Patribus oblata, exigebatur præsentia trium testium quorumcumque, in tertia autem et quarta statuebatur ut unus e tribus testibus esset sacerdos, adeo

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 82 ss.

(2) « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit... » *Conc. Trid.*, Sess. XXIV, c. 1, *De reformatione matrimonii.*

tamen ut ejus officium esset meri testis, eo vel magis quod plures voluerint ipsi substituere notarium (1).

Explicatio.

1°/ Contrariam sententiam imprimis promovit Melchior Canus, contendens sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii: quod logice eruitur ex ejusdem Auctoris erronea doctrina de inadæquata distinctione contractus matrimonialis a sacramento, quasi contractus esset materia sacramenti, benedictio vero sacerdotis forma.

Quam Cani sententiam, quod mirum est, Benedictus XIV, *De Synodo diœces.*, l. VIII, c. XIII, n. 2 et 4, validissimis sustentari argumentis ac valde probabilem dicit ob extrinsecam auctoritatem Doctorum, ipsi faventium, signanter Gulielmi Parisiensis et Paludani (2); cui tamen sententiæ præferendam ducit doctrinam communiorem, quam cæteroquin solam proponit op. cit., l. XIII, cap. XXIII, n. 6; *Instit.*, XXXIII, n. 3, et notatim in *Litteris apostol.*, 19 Martii 1758 (3).

2°/ Fideles contrahentes sacramentum conficiunt per ipsum eumdemque consensum præstitum quo constituitur contractus: verba scilicet consensum exprimentia constituunt materiam simul et formam, materiam, prout

---

(1) S. Synodus, juxta primam formulam, « statuit et decernit ea matrimonia, quæ in posterum clam, *non adhibitis tribus testibus*, contrahentur, irrita fore, ac nulla ». THEINER, *Acta Genuina Conc. Trid.*, II, p. 314, in quo opere, pp. seq., reliquæ formulæ referuntur. Cf. etiam PERRONE, *De matrimonio Christiano*, I, p. 149-152; ESMEIN, *Le mariage en droit canonique*, II, pp. 155-169.

(2) PERRONE, l. c., p. 46-58 hos duos Auctores conatur a dicto errore tueri. Aliunde vero nonnulli fuerunt Patres Tridentini, qui hanc distinctionem contractum inter et sacramentum invocaverint in Concilio, signanter ad hoc ut vindicarent potestatem Ecclesiæ irritandi matrimonia clandestina, quin attingeret rationem sacramenti. De quibus cf. disceptationem quæ locum habuit occasione laudati decreti *Tametsi*, apud THEINER, o. c., l. II, p. 314 et seq. Illorum Patrum testimonia collegit ESMEIN, o. c., t. I, p. 80 et t. II, in appendice A, pleraque autem ex illis testimoniis, uti jacent, non affirmant distinctionem *realem* nter contractum et sacramentum, sed meram distinctionem *rationis*.

3) *Collectanea S. C. de P. F.*, n. 1391.

exprimunt *traditionem* mutuam corporum, formam, prout exprimunt traditionis *acceptationem*. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 86.

3°/ Non refert quod nupturientes ignorent se agere ministros: « eo namque ipso quod volunt contrahere juxta institutionem Dei et prout fit in Ecclesia, intentionem habent faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit » (1). Non videtur tamen quid obstare quominus de hoc, quo fungantur, munere opportunè moneantur, licet passim de hoc silendum suadeant Auctores: hujusmodi namque notitia nata est in ipsis augere reverentiam sacramenti, eosque excitare ut dignius ad hoc sacramentum accèdant.

Corollarium. Verba a sacerdote nuptiis benedicente pronuntianda: « ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris... », nullatenus constituunt formam sacramenti, nec ullo titulo ad contractum vel sacramentum constituendum conferunt: quod ex prædictis abunde liquet, ac confirmatur vel ex hoc ipso quod, juxta ipsum Concilium Trid., uti possit sacerdos aliis verbis « juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum ». (2).

Sensus est quod matrimonium modò initum, ab Ecclesia, per os sacerdotis, ratum habetur ac solemnizatum, quem sensum explicitè exhibent variæ formulæ in variis locis usurpatæ (3).

Benedictio autem impertita est aliquod sacramentale, ex opere operantis Ecclesiæ, cujus nomine conce-

---

(1) THEOL. MECHL., *De Sponsalibus et matrimonio*, n. 30.

(2) Sess. XXIV, l. c. Cf. BENED. XIV, *De Synodo diæc.*, l. VIII, c. XIII, n. 6: « Tantam porro varietatem Ecclesia non tolerasset, multoque minus cujuslibet provinciæ arbitrio permisisset, si existimasset per verba a sacerdote prolata confici sacramentum matrimonii ».

(3) Tales sunt, quas refert PERRONE, o. c., I, p. 154: Ideo matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico et benedico, in nomine Patris etc. »; « matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego in facie Ecclesiæ illud solemnizo, in nomine Patris etc. »; « matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos contractum Deus confirmet, et auctoritate Ecclesiæ Dei, ego illud approbo, perficio atque solemnizo. In nomine Patris... ».

ditur, impetrans divinam benedictionem super novis conjugibus.

IV

Q. *Bertha nupturiens, a medico monita de gravissimo mortis periculo ipsi ex imprægnatione impendente, matrimonium init sub conditione non utendi matrimonio. An et quare validè contrahit?*

Respondetur.

Matrimonium Berthæ erit invalidum vel non, prout consensus fuit necne vere ac proprie conditionatus, præstitus scilicet vel non sub dicta conditione *suspensiva seu restrictiva consensus matrimonialis.*

A/ **Explicatio.** Quando clausula aliqua apponitur in contractu matrimoniali, sive ab una parte sive ab utraque parte ex mutua conventione, *duplici modo* potest id contingere :

vel 1°/ ita ut dicta clausula *ingrediatur ipsum contractum,* ad eamque alligetur consensus, ac ipsum consensum suspendat ac restringat, ut nempe sit illa conditio in pactum nuptiale deducta, juxta vulgatum dicendi modum;

vel 2°/ ita ut *contractui matrimoniali mere accedat* ac superveniat, quin ingrediatur pactum conjugale, quin proinde ipsum consensum suspendat ac restringat. Additur tunc clausula per modum meræ modificationis, nec reddit contractum, uti sub 1°/, proprio sensu conditionatum.

Porro quod unum præ altero verificetur, hoc pendet ab intentione et voluntate contrahentium, utrum scilicet necne velint clausulam appositam absolutè urgere tanquam conditionem sine qua non, adeo ut absoluta et prædominante voluntate nolint matrimonium inire nisi sub hac conditione, ac penitus repudient contractum potius quam illum ineant absque tali restrictione.

Ita, in specie, pro addita clausula non utendi matri-

monio. Vel ita apponitur a nupturientibus ut in pactum matrimoniale sit deducta, absoluta et prædominante voluntate excluso potius matrimonio quam accepto matrimonio sine illa restrictione circa non usum, quatenus nempe restrictio afficiat ipsum consensum matrimonialem, eumque suspendat ac liget; vel ita apponitur ut absoluta et prædominante voluntate velint sponsi matrimonium inire ac consensum præstare matrimonialem, quamvis intendant, ac forsan in hoc conveniant iidem nupturientes, distincta ac superveniente conventione, matrimonio non uti.

Jamvero, uti præmittitur in responso, in altera hypothesi valet matrimonium, in priori vero irritum evadit ac nullum, uti breviter ostendetur sub

B/ **Probatio.** Nimirum si mulier, in casu, matrimonium ineat sub conditione non utendi matrimonio *suspensiva seu restrictiva consensus conjugalis*, a. v. si nubat cum conditione illa ingradiente ipsum contractum nuptialem seu in pactum matrimoniale deducta, habemus contractum *substantialiter vitiatum.*

Et sanè conditio illa ingrediens contractum matrimonialem, restringit ipsum consensum conjugalem ejusque objectum ad exigentiam conditionis appositæ, ac proinde excluditur, *in ipso consensu matrimoniali præstito,* quod altera pars *possit* uti conjugio, nec adeo consentitur in matrimonium nisi excluso *ipso jure et potestate* in usum corporis mutui. Jamvero objectum in quod essentialiter fertur consensus matrimonialis aliud non est quam ipsa translatio juris ad utendum mutuo corpore in ordine ad generationem. Sequitur igitur destrui ac substantialiter vitiari consensum matrimonialem.

Contrà, in altera hypothesi, consensus matrimonialis censetur præstitus simpliciter et sine restrictione *ipsum afficiente vel alligante*, adeoque irrevocabiliter transfertur plenum jus et potestas in usum mutui corporis; quod jus integrum manet ac intactum, licet, *distincta conventione,* inter se conveniant nupturientes de non utendo

jure ac potestate collatis: hac conventione non aufertur *jus* ad copulam, irrevocabiliter acquisitum per perfectum consensum matrimonialem, sed solus excluditur *usus* corporis, qui usus non est de essentia matrimonii.

Nota. 1°/ Quando coram tribunalibus ecclesiasticis deferuntur hujusmodi causæ in nullitatem matrimonii, initi sub conditione non utendi matrimonio, frequenter abstinet judex ecclesiasticus a nullitate declaranda, cum haud facile constet de intentione contrahentium: utrum nempe conditio fuerit vere suspensiva seu restrictiva consensus.

Plerumque, si convincens habetur probatio inconsummationis matrimonii, consulitur supplicandum SS^mo^ pro dispensatione super matrimonio rato non consummato. Cf. causas relatas apud *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1905, t. 91. p. 41 et seq.

2°/ Ex supradictis intelligitur quod possibile sit matrimonium iniri *cum voto etiam mutuò accepto et probato castitatis servandæ*. Nihil enim impedit quominus, ex una parte, ad invicem præstetur consensus matrimonialis, ac plenum et illimitatum dominium transferatur in mutuum corpus, et quod, ex alia parte, distincto actu voveant nupturientes non uti jure accepto, ut votum servetur.

Et inde est quod hujusmodi conjuges, copulam inter se exercendo, non peccarent contra castitatem, sed unice contra virtutem religionis, ratione violati voti, quodque, alienæ personæ carnaliter commixti, existerent adulteri.

V

Q. *An et qua ratione indissolubilitas matrimonii est de jure naturæ?*

Respondetur.

Matrimonium est jure naturæ indissolubile, hac scilicet ratione ut dissolubilitas *arbitraria*, *mero conjugum*

arbitrio relicta, sit contra jus naturæ *primarium,* dissolubilitas autem *infra certos limites restricta* censeatur contra jus naturæ *secundarium.*

Explicatio et probatio.

« Si actio sit inconveniens fini, quasi omninò prohibens finem principalem, directe per legem naturæ prohibetur *primis præceptis legis naturæ*, quæ sunt in operabilibus sicut communes conceptiones in speculativis: si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali, ut faciens difficilem vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed *secundis*, quæ ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent; et sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur (1) ».

Qua attenta S. Doctoris notione, sponte liquet quomodo

I/ *Dissolubilitas arbitraria*, ad placita eorum qui amorem sic dictum liberum extollunt, sit contra jus naturæ *primarium*, siquidem sub hujusmodi dissolubilitatis œconomia finis principalis matrimonii, procreatio nempe et debita prolium educatio, prorsus impossibilis redderetur. Hujus namque finis assecutio per se postulat, per diuturnum temporis spatium, constantem ac concordem sollicitudinem et curam utriusque parentis, ac proinde existentiam exigit vinculi inter conjuges, si non perpetui, saltem stabilis ac permanentis, adeo ut alterutri parti non sit integrum illud pro lubitu et quocumque momento solvere.

II/ Quod autem attinet dissolubilitatem quamdam *certis limitibus restrictam,* propter causas scilicet determinatas,

1°/ non repugnat *primis* juris naturalis principiis, cum finis *principalis* obtentio non requirat necessariò omnimodam matrimonii indissolubilitatem: et ita v. gr. non

(1) S. Thomas, *Supplementum,* qu. XLV, art. 1°.

destrueretur finis principalis si liceret à matrimonio recedere perfectâ prolium educatione.

Atvero 2°/ si finis principalis consecutio non redderetur impossibilis, quod concedimus, admodum tamen difficilior evaderet; statim ac conjugium posset, id sinente jure naturæ, *aliquando* quoad vinculum solvi, ac multùm periclitarentur secundarii matrimonii fines, signanter mutuum inter conjuges solatium ac mutuus amor ad invicem fovendus: quibus attentis, descripta dissolubilitas contra juris naturæ principia *secunda* asserenda videtur.

Et sane *per se* quo firmius est vinculum et quo minus solutioni obnoxium, eo intimior erit unio animorum, eoque efficacior amor quo inter se devinciuntur conjuges, eo etiam libentius sufferentur mutui defectus et providius removebuntur discordiarum semina (1); contrà minus intimè coaglutinabuntur animi ubi prævidetur separatio, ac maxime frigescet amor in præsentem compartem ex prævisione cunjunctionis cum altera persona, et facilè, vel ex leviori prætextu, dilectioni succedet odium.

Haud ægre igitur perspicies quantam ruinam pararet hujusmodi dissolubilitas matrimonii, quantumvis restricta, pro pace familiæ conjugalis, pro pace familiarum inter se; signanter si supponas, quod meritò supponeres, conjuges, vi licentiæ datæ, non tantùm ab invicem recedere, sed ad novas ex utraque parte nuptias convolare (2).

Equidem natum est fieri ut, in casu particulari, ipsa

---

(1) « Erit fidelior amor unius ad alterum, dum cognoscunt se indivisibiliter conjunctos; erit etiam utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuò commansuros in earumdem rerum possessione existimant ». S. Thomas, *S. C. Gentiles*, l. III, c. 123.

(2) Divortiorum causa « fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; dissuendis societatibus præbetur occasio ». Encyclica Leonis XIII, *Arcanum*.

matrimonii indissolubilitas oneri sit gravissimo et vix tolerabili, ac odium pariat et discordiam potius quam amorem et pacem: sed hoc est per accidens, ratio autem est habenda eorum quæ sunt per se.

Ulterius imminutio amoris mutui inter parentes, ac pacis disturbatio admodum noceret ipsi prolium educationi: ipsa nimirum perspectio novæ unionis matrimonialis ac novæ forsan familiæ condendæ minus providam redderet parentum sollicitudinem pro præsentis prolis educatione ejusque hæreditate adaugenda.

Cæterùm si ex lege naturali *aliquando* solutio matrimonii admitteretur ceu legitima, ipsa stabilitas vinculi, quam ad finem matrimonii principialem omninò necessariam, ac proinde ex jure naturæ primario requisitam, suprà vidimus, non semel in discrimen vocaretur, ac non sine difficultate servari posset: spectata scilicet hominum inconstantia et cupiditate, necnon impatientia molestiarum quæ conjugium non rarò comitantur (1).

Objectio quæ sæpe adducitur a divortii ac liberi amoris fautoribus est in adagio: per easdem nempe causas rem dissolvi per quam nasci contingit, ita ut mutuo conjugum consensu possit solvi matrimonium, quemadmodùm mutuo sponsorum consensu constituitur.

Ad quod argumentum appositè respondet BILLOT, o. c., p. 389: « Nam illi soli contractus qui ad *privatum* paciscentium bonum ordinantur, hac via rescindibiles existunt, quatenus liberum unicuique est renuntiare

---

(1) Cf. MEYER, *Institutiones Juris naturalis*, Friburgi, 1900, II, p. 98, ubi addit: « Neve dicas remedium ab auctoritate civili suppleri posse, quatenus penes ipsam supremum jus maneat de sufficientia rationum solvendi matrimonii in singulis casibus cognoscendi. Nam præterquam quod judices humani, indirecte suam ipsorum causam agentes, generatim ad indulgentiam essent proclives, conjugibus sui consortii pertæsis speciosæ rationes et prætextus nunquam non suppeterent, atque ipsa *spes oblata* causæ suæ ex voto agendæ perpetuam inconstantiæ ansam et discordiæ fomentum præberet. Hæc omnia, ubi talis licentia viget, quotidianis exemplis illustrata videmus ».

juri suo, ac per hoc liberare fidem sibi a comparte datam. Nunc autem conjugii obligatio ordinatur ad bonum *commune,* id est, ad convenientem speciei humanæ propagationem; ergo, etsi a libera duarum partium voluntate pendeat in fieri, non tamen in esse, quia, si suscipitur hæc obligatio, necessariò suscipitur conformiter ad naturam suam, prout scilicet ab ipsa lege, quæ communi bono intendit, firmitatem habet et omnes conditiones suæ permanentiæ ».

Corollarium primum.

Ex eo quod matrimonium sit jure naturæ, licet secundario tantùm, indissolubile, nulli auctoritati *humanæ,* sive ecclesiasticæ sive civili, fas est, secluso etiam jure positivo divino, matrimonium validè initum unquam dissolvere, vel causas statuere ex quibus quoad vinculum quomodocumque solvi queat.

Etiam *nemo* posset, *ne ipse* quidem *Deus,* permittere, generali saltem statuto, usum divortii *arbitrarii*, pro solo partium libitu instituendi; id namque foret, uti ostendimus suprà, contra jus naturæ *primarium,* in quo Deus, generali saltem statuto (1), dispensare nequit.

---

(1) Dicitur: « saltem generali statuto », quia docet S. Thomas, *Suppl.*, qu. LXVII, a. 2, quod « potest dispensatio esse divinitus etiam contra prima præcepta legis naturæ.. ; tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in miraculis accidit ».

Quam doctrinam enucleans Billot, o. c., p. 368, distinguit primaria juris naturalis præcepta in duplicem speciem: « Primo quidem loco veniunt quæcumque *directè et immediatè* repugnant ultimo fini, utpote immediate ac directe contra Deum existentia, et ista nullam omnino, et ne de potentia quidem absoluta, dispensationem patiuntur..... Secundo loco occurrunt ea quæ ideo prohibentur quia sunt naturaliter destructiva boni convictus humani, ac per hoc *mediatam* habent oppositionem cum fine ultimo, ad cujus prosecutionem humana societas est apprimè necessaria... de quibus satis superque constat quod non patiuntur dispensationem aliquam *generalem,* quæ integræ cuidam communitati daretur et veluti in ordinarium transiret privilegium... verumtamen nihil prohibet quominus in particularibus quibusdam et omninò extraordinariis casibus, actus prædicti eximantur per divinam dispositionem a naturali conditione secundum quam ultimo fini repugnant, dum scilicet altiori quodam ac veluti miraculoso modo, præter ordinem causarum secundarum, ad Deum referuntur ».

Nihil autem impedit quominus *Deus*, suprema sua auctoritate, in determinatis quibusdam adjunctis, per generalem etiam dispositionem, permittat matrimonii vinculum disrumpi, dispensando in jure naturæ secundario. Quam potestatem exercere valet Deus sive immediatè, sive *mediante Ecclesia,* cui conferat jus et auctoritatem matrimonia dissolvendi aliquando: quæ potestas, qua de facto Ecclesia gaudet, ipsi non competit quasi propria, sed quà potestas ministerialis seu instrumentalis, qua uti queat nomine et auctoritate Dei causæ principalis, ad modum quo gaudet eadem Ecclesia facultate relaxandi vota (1).

Quo pacto intelligitur quomodo, non obstante asserta indissolubilitate juris naturæ, Deus indulserit populo Hæbræo dare *libellum repudii,* juxta dispositiones *Deuter.,* XXIV, 1-4. Quamvis enim ibidem agatur de vera licentia divortii ejusque propriè dicti quoad vinculum (2), non censetur concessum nisi divortium

---

(1) Cf. Billot, o c., p. 402 et seq., ubi apte distinguit inter duplicem quam Ecclesia exercet potestatem, et simul rationem reddit cur Ecclesia opportunè acceperit quamdam auctoritatem in relaxandas nonnullas obligationes juris divini vel naturalis, illas nimirùm quæ consequuntur factum ab homine ponendum: « Quædam sunt obligationes impositæ a Deo Auctore naturæ vel gratiæ per dispositionem legis antevertentem omnem deliberationem humanæ voluntatis, quædam vero aliæ sunt quæ non inducuntur nisi consequenter ad ipsius hominis factum et determinationem, sicut patet in voto, in juramento aliisque ejusmodi.

Est autem inter hos duos obligationis modos, quod ad rem præsentem attinet, evidens differentia. Etenim humana deliberatio nequit omnia circumspicere, nec prævidere omnes circumstantias in quibus contingere poterit ut minus opportuna sit vel congrua observatio ejus quod voto promittitur, vel juramento firmatur, vel contractu sancitur. Unde ad bonum christianæ societatis et in his, per Christi vicarios, dari posset quandoque, pro exigentia particularium adjunctorum, dispensatio, nec valet eadem ratio pro obligationibus quæ a sola dispositione divinæ voluntatis dependent, quia cum Dei providentia omnia circumspiciat et non habeat incertum eventum, necessitas medendi defectui prævisionis humanæ nullo pacto hic applicatur ». Cf. S. Thomas, 1ª 2æ, qu. LXXXVIII, art. 10, ad 2m.

(2) Hoc contra Billot, qui, o. c., pp. 392 ss., frustrà conatur id negare. Cf. Palmieri, *Tract. de matrimonio christiano,* p. 192 ss.; Perrone, *De matrimonio christiano,* III, pp. 124 ss.

restrictum, non autem divortium arbitrarium; adeoque non contradicit juri naturæ primario, sed secundario dumtaxat (1).

Pari modo intelligitur quo jure et qua potestate Ecclesia dispensare valeat, infra certos limites, super matrimonio rato non consummato, vel etiam super matrimonio consummato infidelium.

Corollarium secundum.

Juxta prædicta etiam interpretanda est damnata *Syllabi* propositio 67ª (2), ex cujus propositionis damnatione contradictoria admittenda est propositio, matrimonium scilicet esse jure naturæ indissolubile.

Quam propositionem non quidem contendimus esse definitam uti de fide tenendam, sed, si ibidem asserta indissolubilitas sensu explicato intelligatur, ejusdem veritatem optime vindicari posse censemus. Nec opus est, ad eam salvandam, recurrere ad sensum compositum, quasi falsa foret laudata propositio nisi sumatur in connexione cum altero inciso, uti vult *P. Viollet* (3).

Nec magis opus est recurrere ad explicationem quam

---

(1) Non fas est viro pro lubitu uxorem dimittere, sed propter aliquam causam *determinatam tantum*, « propter aliquam fœditatem », hebr. nuditatem: quamvis controversia olim extiterit et adhuc nunc agatur inter Auctores circa ambitum vocis ejusque adæquatam significationem, aliis fœditatem, cum schola Schammai, interpretantibus de macula morali, signanter de adulterio, aliis eam interpretantibus, cum schola Hillel, pro macula quadam corporali. Cf SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes*, II, p. 542, not. 5; *Nowack's Handcommentar zum alten Testam. — Das Deuteron.*, STEUERNAGEL, Göttingen, 1898, in h. l.

(2) Propositio damnata desumpta est ex Litteris Apostolicis Pii IX, 22 Aug. 1851, *Ad Apostolicæ Sedis*, et sic habet: « Jure naturæ matrimonium non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

(3) *L'Infallibilité du Pape et le Syllabus*, Paris, 1904; *Etudes religieuses*, 1905 (tom. 103), p. 255-260, quo altero loco scribit: « J'avais eu soin, quant à moi, de faire entendre que, si la proposition 67 est examinée et étudiée tout entière *sicut jacet*, et non par morceaux découpés, elle accuse son caractère erroné, parce qu'on sent de quelle manière la première partie de la proposition doit être entendue: cette première partie sera dès lors considérée comme servant à justifier le divorce ».

suggerit *Boudinhon* (1), quasi tunc tantùm veritatem saperet, quando restringatur ad matrimonium ratum et consummatum, quippe cui soli competat *absoluta et indispensabilis* indissolubilitas (2).

A. De Smet.

VI

Q. *Describe ordinem et rationem cæremoniarum quæ in S. Communione extra Missam ministranda servandæ sunt, inde ab accessu sacerdotis ad altare usque ad distributionem, indicando præcipuas regulas generales quæ applicandæ veniunt.*

R. **Regulas generales præcipuas** præmittimus.

I. *Lotio manuum,* ex reverentia, præmittenda est tactui S. Eucharistiæ et sacrorum oleorum (3).

II. *Genuflexiones* in honorem SS. Sacramenti sunt actus adorationis (4) adeoque jure merito præscribuntur :

1° In primo accessu ad altare Sacramenti et in ultimo recessu; quibus casibus fiunt semper et unice *in plano* ante altare, quia peraguntur ratione accessus et discessus.

2° In Sanctissimo extrahendo e tabernaculo — vel publice exponendo (ut in Laudibus Vespertinis) —, quoties Sacramentum magis apparet oculis intuentium, adeoque :

a/ statim post apertum tabernaculi ostiolum ;

---

(1) *Revue du clergé français,* 1905 (tom. 42) p. 419-420.

(2) Et sane, uti ex dictis liquet, matrimonium meritò dicitur *jure naturæ* indissolubile, licet indissolubilitas nitatur in solo jure naturæ *secundario,* nec adeo sit absoluta et indispensabilis.

(3) Ita ante Missam, S. Communionis dispensationem, baptismum (Rit. Rom. II, I, 51) et Extremam Unctionem (Rit. Rom. V, II, 1).

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. XI, p. 56.

b/ statim post ablatum pyxidis cooperculum.

3° In reponendo Sanctissimo, e converso quoties in eo est ut oculis magis subtrahatur, adeoque :

a/ immediate antequam cooperiatur pyxis ;

b/ immediate antequam claudatur tabernaculum.

4° Exposito publice Sanctissimo vel super mensa altaris posito :

a/ quoties celebrans se divertit a Sanctissimo, se convertens ad populum vel discedens a medio altaris ;

b/ quoties rursus se convertit vel accedit ad Sacramentum.

III. Reverentia Sanctissimo debita requirit ut sacerdos nunquam « *terga vertat Sacramento* ». Ideo sacerdos se convertens ad populum debet discedere e medio altaris et paululum se retrahere « in cornu Evangelii » ; quamobrem debet bis genuflectere ex regula præcedenti sub 4°.

IV. Si duæ genuflexiones diversam ob causam præscriptæ (puta quia sacerdos discooperuit pyxidem et statim se convertit ad populum) sine intervallo sibi succedere debent, unica tantum peragenda est. Ratio patet.

V. Celebrans ad mensam altaris genuflectens, ponat super oram mensæ altaris, ut se sustineat, utramque manum disjunctam (nisi sit impeditus v. g. in consecratione panis), vel intra vel extra corporale, prout tetigerit Sanctissimum vel non.

VI. Quando celebrans in medio altaris se vertere debet ad populum semper *se vertit dextrorsum* « a sinistro latere ad dexterum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ ». (*Rit. celebr.* V, 1).

VII. *Cruces* efformandæ : 1/ habeant formam crucis græcæ, h. e. quatuor brachia sint æqualis longitudinis ;

2/ formentur manu et digitis extensis, parvo digito in rem benedicendam converso ;

3/ dum perficitur signum crucis simul verba pronuntientur ita ut congrue distribuantur.

VIII. Quoties sola dextera manu aliquid est perficiendum, sinistra manus *ponitur infra pectus* (vel super mensa altaris, si celebrans stet conversus ad altare).

*
* *

Præfatæ regulæ præ oculis sunt habendæ in interpretandis et servandis **rubricis Ritualis Romani** de *Ordine administrandi Sacram Communionem* (tit. IV, c. II):

1. *Sacerdos igitur sanctissimam Eucharistiam ministraturus, hostiis seu particulis pro populi multitudine consecratis... lotis prius manibus* (cf. supra, Reg. I) *et superpelliceo indutus* (1), *ac desuper stola coloris* albi (2) vel *officio illius diei convenientis, præcedente clerico seu alio ministro, procedit ad altare, manibus junctis,* vel, si corporale non sit præparatum in altari, deferens ante pectus corporale inclusum in bursa coloris stolæ convenientis (3). *Accensis* jam antea duobus *cereis*, bireto deposito, unico genu flectit ante medium altare in plano (cf. supra Reg. II, 1); ascendit in suppedaneum, absque capitis inclinatione explicat corporale; aperto tabernaculo statim genuflectit (vide Reg. II, 2 et V); *extrahit pyxidem et illam super corporale* deponit, et tabernaculum, si in eo remaneant aliæ species consecratæ, statim claudit (4); pyxidem, amoto (5) velo albo, *discooperit* et, posito

---

(1) De usu albæ et stolæ transversæ ante missam, cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 527 et t. IX, p. 594.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 594.

(3) Declaravit enim S. R. C., 24 Sept. 1842, *Neapolitana*, n. 2850[3], « decere ut a sacerdote deferatur » bursa; item 11 Jun 1880, *Viglevanen.*, n. 3515[1] « convenire ut bursa sit ejusdem coloris ac stola a sacerdote deferenda ».

(4) Clausum enim tabernaculum significat adesse sacras species; apertum vero censetur vacuum.

(5) Vel velum amovet simul cum pyxidis cooperculo cui adnectitur.

cooperculo extra (1) corporale, iterum genuflectit (R. II, 2°; V) (2).

Minister genibus flexis et capite profunde inclinato, *nomine populi, ad cornu Epistolæ,* ne terga vertat Sacramento dum ministrabitur, *facit confessionem generalem dicens:* CONFITEOR DEO OMNIPOTENTI *etc.*

« Omnino deficiente idoneo ministro » sacerdos ipse recitat *Confiteor* (3) (et infra respondet *Amen*), sive in infimo gradu altaris genuflexus, sive consultius ante gradus altaris stans corpore profunde inclinatus, eo modo quo hoc faciunt celebrans in principio missæ et diaconus in missa solemni (4). *Confiteor* recitabit sacerdos antequam altare ascendat.

2. *Tum sacerdos,* si pyxide discooperta finem Confessionis expectare debuerit (R. IV) *iterum genuflectit* (R. II, 4, b/), *et manibus junctis ante pectus vertit se* per dexteram suam (R. VI), *ad populum, advertens ne terga vertat Sacramento,* ideoque se retrahit e medio (R. III) *et in cornu Evangelii* clara voce (quia pro communicandis orat) *dicit,* semper in plurali numero: MISEREATUR VESTRI, OMNIPOTENS DEUS, ET DIMISSIS PECCATIS VESTRIS, PERDUCAT VOS AD VITAM ÆTERNAM. Respondet minister: AMEN. Deinde sacerdos manu sinistra infra pectus posita (R. VIII), *manu dextera in*

---

(1) Communiter quidem censent auctores pyxidis cooperculum ponendum esse *super* corporale, quando pyxis continet SS. Sacramentum; sed *extra* corporale locandum esse quando pyxis est vacua aut continet tantum hostias consecrandas. Sed, quum cooperculum nunquam Sacramentum immediate tangere debeat sicut nec purificari, non apparet nobis ratio positi discriminis. Juxta rubricas autem, super corporale admittuntur tantum calix, hostiæ consecrandæ vel consecratæ, vasaque eas continentia, necnon patena et manus celebrantis post tactum S. Hostiæ et ante purificationem. A pari censemus spiritui liturgiæ magis esse conveniens ut pyxidis cooperculum ex reverentia ponatur *semper extra* corporale.

(2) Verba Ritualis « facta *prius* et *postea* genuflexione... » intelligenda sunt, ut indicamus, de genuflexione facienda *ante* extractam pyxidem et *post* discoopertam.

(3) Dec. S. R. C. 31 Mart. 1879, *de Zacathecas,* n. 3488[3].

(4) Cf. ILL. VAN DER STAPPEN, *De administr. Sacramentorum,* q. 197, n. 3.

formam crucis signat communicandos (1) (R. VII), interim clara voce dicens, ad lineam rectam: INDULGENTIAM, ABSOLUTIONEM, ad lineam transversam: ET REMISSIONEM PECCATORUM VESTRORUM, jungensque manus pergit: TRIBUAT VOBIS OMNIPOTENS ET MISERICORS DOMINUS. ℟ AMEN.

3. *Deinde ad altare se convertit, genuflectit* (R. II, 4, b) *manu sinistra pyxidem* ad nodum *prehendit; et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum,* h. e. unam particulam *accipit et* paululum supra cuppam pyxidis ante pectus *elevat* ut populo ostendatur: *conversusque* dextrorsum (R. VI) *ad populum*, nullatenus recedens quia gerit sacramentum ante pectus, *in medio altaris dicit clara voce* digne ac devote: ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATA MUNDI. *Mox subdit:* DOMINE NON SUM DIGNUS UT INTRES SUB TECTUM MEUM, SED TANTUM DIC VERBO, ET SANABITUR ANIMA MEA, *quod iterum ac tertio repetit*: *qua formula etiam utendum est, cum feminæ communio administratur;* sunt enim verba evangelica.

4. *Postea*, manum dexteram quæ hostiam tenet paululum dimittens et tres digitos extensos lateri cappæ pyxidis (ad commoditatem et sustentationem) apponens, *ad communicandum accedit*, per gradus anteriores.

Vix aliqua requiritur attentio ut statim percipiatur quam congruæ sint illæ cæremoniæ præparatoriæ ad S. Communionem: confessio generalis cum dolore de peccatis et absolutio deprecatoria quæ ex opere operantis conscientiam purificare valet antequam recipiatur Deus totius puritatis; ostensio SS. Sacramenti sub verbis S. Joannis Baptistæ *Ecce Agnus Dei...* ad innovandam fidem in Christum realiter præsentem, peccati per mortem suam destructorem, et ad augen-

---

(1) Per virtutem enim crucis Christi dumtaxat concedit Deus indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum.

dum desiderium Illum suscipiendi; verba *Domine, non sum dignus* nomine fidelium prolata, ad eliciendum ad instar centurionis, actum humilitatis profundæ cum spe fiduciali conjunctæ (1). Utinam hæc fidelibus identidem explicentur.

C. CALLEWAERT.

(1) ILL. VAN DER STAPPEN, *op. cit.*, p. 203.

Miscellanea

I

Matrimonialia.

A/ Olim, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 556-557 et p. 601; t. X, 71, notavimus *sanationem in radice* regulariter quidem non concedi, quando utraque pars versatur in bona fide et neutra absque gravissimis incommodis moneri potest; huic autem regulæ nonnunquam derogari, signanter in casu quo meritò timetur ne matrimonii nullitas hucusque ignorata, postea innotescat. Et ita l. c. adduximus specimen sanationis concessæ super matrimonio invalido ob impedimentum affinitatis illicitæ, materialiter publicum, formaliter vero occultum.

En alterum hujusmodi convalidationis rescriptum, nuperrime impetratum in gratiam pseudo-conjugum, qui bona fide nuptias inierunt irritas *ex capite clandestinitatis,* nec poterant ob gravissimas rationes moneri: matrimonii autem nullitas hucusque ignoratur, sed, ex ipsa natura impedimenti, haud ægre detegi posset matrimonii vitium; cui eventui occurrendum censuit S. Sedes.

Beatissime Pater,

Gustavus Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit sequentia: N. N. ex... et N. N. ex..., diœcesis Brugensis subditi, paucis ante matrimonium hebdomadibus, diverterunt in X, ibique, mutato ob certas rationes et ad breve tempus domicilio civili, contractum civilem inierunt; coram parocho de X... contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum clandestinitatis, quum in dicto loco nec domicilium, nec quasi-domicilium, acquisiissent, ac parochus proprius, tum oratoris tum oratricis, præ inadvertentia, omiserit delegare parochum de X, ut præfato matrimonio assisteret. Quum autem oratores bona fide egerint, et in omnimoda versentur

bona fide circa valorem matrimonii, nec de ipsius nullitate, absque gravissimis incommodis, certiorari possint, supplex rogat Episcopus orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare ac proles exinde natas vel nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, præfatum matrimonium, sic, uti præfertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Præsentes autem litteræ in Cancellaria Episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit.

Datum Romæ ex S. Pœnitentiaria, die 15 Novembris 1906.

Ad quæ notari juvat :

1°/ Præsens sanatio in radice datur in forma propria *foro externo,* expressis nominibus, hac tamen lege ut, attenta ignorantia in populo fideli circa matrimonii nullitatem, non sit divulganda (1) nec a parocho in consueto registro inscribenda, sed secretò custodienda in Cancellaria Episcopali, ad hoc ut, si publica evadat matrimonii invaliditas, hujus convalidatio ac prolium legitimatio probari valeant (2).

2°/ Eadem sanatio, non secus ac illa quam memoravimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 602, fuit elargita *in forma gratiosa,* uti ex ipso tenore liquet; in neutroque nempe rescripto ulla inseritur clausula injungenda dispensandis, qui prorsus relinquendi sunt in bona fide, adeo ut non sit locus dispensationis fulminationem executori committendi (3).

---

(1) In rescripto relato apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 598, præscribitur ut matrimonii convalidatio evulgetur ad removendum scandalum : nota namque erat matrimonii nullitas.

(2) Rescriptum, de quo l. c., t. VI, p. 602, concessit S. Sedes in forma foro interno propria, sub fictis nominibus, cura sedulò adhibita ut, opportunitate data, suffragari possit in foro externo : nomina scilicet jubentur inscribi ab Episcopo in calce litterarum apostolicarum, quas diligenter custodiri oportet.

(3) Contrà in casu exposito, ibidem, t. VI, p. 599-600, sanatio fuit facta in forma commissoria, executione mandata Episcopo, ut, simul cum fulminatione, nonnullas clausulas insertas injungere potuerit.

B/ Non semel contigit preces offerri Ordinario ad effectum impetrandi dispensationem super impedimento *affinitatis ex copula conjugali in 1° gradu lineæ rectæ*, puta in gratiam viri nuptias ambientis cum filia vel matre uxoris defunctæ, aut cum vidua defuncti patris vel filii.

Notum autem sit frustra sollicitari hujusmodi gratiam. Et sane, admissa etiam sententia communiori præfatum impedimentum esse juris mere ecclesiastici, constans tamen est praxis S. Sedis dispensationem super dicto impedimento denegandi, uti constat ex testimonio Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. IX, c. 13, n. 4, necnon ex variis declarationibus S. Sedis, inter quas signanter attendantur Instr. C. S. O. 9 Dec. 1874 et Decr. C. S. O. 20 Febr. 1888 (1) (*Collectan.* S. C. de P. F., n. 1242, 1471); solutiones S. C. Conc. in *Causa Leodiensi,* 28 Maii 1796 (2) et in *Causa Malacitana,* 16 Junii 1894 (3), collato etiam facto narrato apud *Acta S. Sedis*, II, p. 127 (4).

Quæ praxis solet a S. Sede urgeri, saltem in ordine ad matrimonium contrahendum, etiam *ultra primum*

---

(1) Ab amplissima nempe facultate, pro moribundis concubinariis dispensandis concessa, excipitur affinitas legitima in linea recta.

(2) S. Congr., dispensationem sollicitatam denegans, notat: « Obstat sane hujusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, quod centies a S. Pontifice implorata, toties ab ipso, de voto etiam S. Inquisitionis, fuit denegata, licet a magnis principibus petita et copula inter affines intercessisset ».

(3) Parochus diœceseos Malacitanæ dispensaverat cum moribundo concubinario super impedimento affinitatis licitæ in 1° gradu: quod matrimonium prorsus reprobavit S. Congregatio, noluitque illud in radice sanare ad legitimandas proles. *Acta S. Sedis,* t. XXVII, p. 242 seq.

(4) Ibidem advertit actorum collator: « Ut autem cognoscatur quam firma sit praxis S. Sedis in deneganda præfata dispensatione... en casus: oratores cum litteris proprii ordinarii dispensationem in primo affinitatis gradu obtinuerunt; eademque dispensatio per ordinarium executioni est demandata; celebratum est matrimonium, ex quo filii orti sunt; post plures annos... cum dispensatio irrita reperta sit, petitio facta est instanter et instantius pro nova dispensatione, ut matrimonium convalidaretur. Verum licet agatur de deplorabili casu, dispensatio denegata est ».

gradum ejusdem lineæ rectæ, licet in hisce impedimentum rarius occurrat (1).

Cæterùm diligenter notetur inter dictos affines ne *civile* quidem matrimonium iniri posse, in nostris regionibus. Ex una namque parte, vi art. 161, « *en ligne directe,* le mariage est prohibé entre *tous* les ascendants légitimes ou naturels, et les *alliés* dans la même ligne »; ex alia autem parte non agnoscitur regi potestas dispensandi super ibidem statuto impedimento, cum, ex tenore legis 23 Aprilis 1827 (2) et 28 Februarii 1831 (3), restringatur potestatis regiæ exercitium ad solum impedimentum affinitatis *in linea collaterali.*

C/ Die 24 Novembris 1906 soluta est coram S. Congr. Concilii causa matrimonialis, cujus compendium refertur apud *Anal. eccles.,* XIV, p. 440 et seq.:

« In ecclesia Pontis Bovianensis, diœcesis Pixinensis, die 26 Nov. 1904 Orestes ac Maria matrimonium inierunt. Maria vero quæ jam antea cum quodam Augustino illicitum foverat amorem, ab eoque prolem susceperat, cum frustrà pertentasset ut iste seipsam in uxorem duceret, suo quodammodo honori consulendi causa, nonnisi ægre ad matrimonium contrahendum cum eodem Oreste inducta fuisse videtur.

Hoc inito, conjuges, comitantibus parentibus, sponsæ domum petierunt, ibique cœna, aliis adstantibus convivis,

---

(1) Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, IV, n. 438; Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio,* I, n. 703; Theol. Mechlin., *De Sponsalibus et matrimonio,* ed. quinta, p. 285, ubi refertur solutio C. S. O. 8 Dec. anni 1901, denegans dispensationem imploratam super *secundo* affinitatis gradu; *Acta S. Sedis*, II, p. 128, ubi Collator monet: Inutiliter itaque S. Sedi preces porriguntur ut dispensatio obtineatur pro matrimonio contrahendo... *generatim super impedimento affinitatis in linea recta ex copula licita* ».

(2) « En conformité de la disposition de l'article 7 de la loi du 26 Juin 1822, les dispenses de la prohibition du mariage entre *le beau-frère et la belle-sœur* (art. cod. civ. 162)... pourront dès à présent, pour des causes graves, être accordées par nous ». *Complément,* v° Mariage.

(3) « Il est loisible au gouvernement de lever, pour des causes graves, la prohibition consacrée par *l'art. 162* du code civil, pour le mariage entre alliés *au degré de frère et de sœur* ». *Ibidem.*

peracta est. Nunquam autem simul in eodem loco convenisse, nec sub eodem tecto cohabitasse videntur. Imo sequentis diei mane, quin matrimonium, uti narrant, cum legitimo sponso consummaverit, fugam arripuit, atque apud Augustinum sese contulit, cum quo in posterum, civili, prout vocant, matrimonio inito, communem vitam instituit...

Exinde Maria ut suæ conscientiæ consuleret, Ordinarium adiit, petiitque ut suum matrimonium cum Oreste contractum, utpote non consummatum, Apostolica dispensatione solveretur ».

Porro non deerant in casu probationes ex quibus constaret de non-consummatione matrimonii, *ex coarctata,* uti dicitur, siquidem, in quantum testimoniis est fides adhibenda, conjuges inde a contractis nuptiis, non convenerant soli (1). Præsto etiam sunt causæ canonicæ ad impetrandam dispensationem Pontificiam, seu dissolutionem matrimonii rati, ut nempe prolis legitimitati ac oratorum conscientiæ consuleretur.

Atvero non unus defectus est admissus in ipsius processus institutione: et quidem

1°/ testimonium *septimæ manus* (2), ad quod semper est recurrendum in causis pro matrimonii inconsummatione, non est exceptum nisi in confirmatione facti *coarctatæ*, dum, ad tramites juris, proprie ac potissimum est adhibendum, quemadmodum scitè notavit Defensor vinculi, « ad fidem faciendam *de veracitate*

---

(1) Sufficit, quod sponte sua intelligitur, ut de hoc solo facto rite constet, quin opus sit inspectione corporali mulieris. Attamen « il faut faire la preuve *de coarctata, de momento ad momentum*, établir que les époux, à aucune époque, à aucun moment, ne se sont rencontrés seuls ». Bassibey, *Le mariage devant les tribunaux ecclésiastiques,* Paris, 1899, n. 426.

(2) « Le droit canonique nomme *septima manus* sept témoins pris du côté du mari, et sept témoins prix du côté de la femme, ayant pour mission de déposer chacun en faveur de l'époux qui les a désignés. Ces témoins sont choisis parmi les plus proches parents: le père, la mère, les frères, sœurs, oncles, tantes, neveux; puis les alliés, et à leur défaut, les voisins, amis, et toutes personnes qui ont coutume de converser avec les époux, et par là même se trouvent plus au courant de leurs habitudes et de leur vie intime ». *Ibidem,* n. 362, s.

conjugum, ut bene norunt omnes qui vel a limine salutaverunt librum IV Decretalium, Tit. *De frigidis ac maleficiatis,* atque commentaria Doctorum in eumdem » (1).

2°/ et hic fuit gravissimus defectus, tribunal constituit ac processum confecit Ordinarius Piscenus *absque ulla S. Sedis delegatione :* quod fieri non licet, cum causa matrimonii rati non consummati reservata existat S. Sedi, sic providente Benedicto XIV, in Constit. *Dei miseratione,* 29 Nov. 1741, par. 15.

Nimirum in dictis causis, Ordinarius propria auctoritate procedere nequit nisi extrajudicialiter tantùm et provisorie, ut innotescat an casus sit attentione dignus necne: quodsi causam esse agendam judicaverit, debet Apostolicam delegationem impetrare, qua munitus processum instruere potest, abstinendo tamen a sententia ferenda quæ ulterius reservatur S. Sedi (2).

Ad dubium igitur propositum: « an sit præstandum SS° consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu? », respondendum censuit S. Cong.: « *Affirmative, prævia sanatione super defectu delegationis, et monitis Curiæ ministris ne hujusmodi processus instruant, absque S. Sedis delegatione et non servatis canonicis normis* ».

II

Circa formam Extremæ Unctionis.

Tomo XI, *Collat. Brug.,* p. 527-528, adduximus, brevi commentario illustratum, tenorem decreti C. S. O., 25 Aprilis 1906, circa formam sacramentalem Extremæ

---

(1) *Ibidem,* n. 356-360.

(2) « La délégation reçue de Rome pour instruire une cause de non-consommation doit être renouvelée à chaque nouveau procès. Telle est la décision de la Congrégation du Concile dans sa réponse à l'Archevêque de Varsovie, du 16 Juin 1894. Rien pourtant ne s'oppose à ce que le Souverain Pontife concède un indult extraordinaire pour procéder d'une manière générale dans les causes de ce genre ». BASSIBEY, n. 58.

Unctionis *in casu necessitatis* adhibendam. Nimirum ex dicto decreto eruendum censuimus formulam propositam, omninò generalem et absque ulla sensuum determinatione prolatam, esse simpliciter validam, adeoque Extremam Unctionem *non esse iterandam, nequidem sub conditione,* quotiescumque sub descripta forma fuerit administrata.

Porro Auctores, qui in variis periodicis præfatam decisionem interpretati sunt, passim admittunt invocatæ formæ validitatem, ast nonnulli rejiciunt conclusionem l. c. exinde deductam, ac volunt ut sacramentum eadem formula collatum, postea, si locus sit, sub conditione iteretur. Ita *Acta S. Sedis,* quorum verba, quoad substantiam, referunt *Nederl. Kathol. Stemmen*, 1906, p. 231 seq.; *Revue ecclés. de Metz,* 1906, p. 476 seq.; *Revue théol. française,* 1906, p. 467 seq.

Quorum Auctorum sententiam uti minus logicam repudiandam habémus. Et sane si præfatæ formæ valor admittatur, quem admittere cogimur ex eo quod absque restrictione docetur descriptæ formæ sufficientia, nulla jam suppetit ratio cur conditionaliter repetatur ejusdem formæ prolatio: sola namque ratio hujusmodi conditionalem iterationem legitimans potest reperiri in probabili dubio circa valorem, extra cujus dubii hypothesim non debet neque potest sacramentalis ritus denuò adhiberi.

Donec igitur aliter doceamur, inhæsitanter hærendum censemus solutioni l. c. datæ, quatenus sacramentum dicta ratione ministratum non sit iterationi obnoxium; sufficit nempe, si supervixerit infirmus sic citò inunctus, ut suppleantur, suo ordine, *orationes* prætermissæ, juxta præscriptionem *Rit. Rom.,* Tit. V, cap. I, n. 10.

Cæterùm hoc eodem modo decretum interpretantur *Ephemerides Liturgicæ,* 1906, p. 449 et seq.; quod autem spectat *Nederl. Kathol. Stemmen,* deinceps, p. 342 et seq., in nostrum sensum moderata est interpretatio prius proposita.

A. De Smet.

Documents de Jurisprudence

en matière de sépulture et de cimetière.

I. Un arrêté royal du 13 Juin 1904 annule la délibération, par laquelle le conseil communal de Couthuïn (province de Liége) a attribué les produits spontanés du cimetière au fossoyeur, à charge pour lui d'y faire les travaux d'entretien ; attendu que cette décision viole l'article 36-4° du décret de 1809, qui reconnaît aux fabriques le droit de faire siens les produits spontanés des terrains servant de cimetière (1).

A l'occasion de cet arrêté, nous croyons utile de transcrire un passage du rapport sur le décret de 1809, adressé à l'empereur par le ministre des cultes Bigot de Préameneu (2). Ce passage a trait à l'art. 36-4° précité ; il a également son importance pour établir le caractère religieux et confessionnel des lieux d'inhumation : « Si le terrain consacré aux inhuma-
» tions donne quelques produits spontanés, ils doivent être au
» profit de la fabrique pour deux motifs. Le premier est que
» la fabrique, qui n'est dirigée que par des sentiments reli-
» gieux ne voudra retirer aucuns profits pour lesquels il
» faudrait manquer de respect pour *un lieu saint*, au lieu que
» les communes louent les terrains comme un bien ordinaire,
» et les fermiers chercheront toujours à en tirer le meilleur
» parti. Le deuxième motif est, que si les communes jouis-
» sent des produits du cimetière, c'est une innovation con-
» traire aux règles, et qui s'est introduite dans un temps
» où les cérémonies religieuses étaient considérées comme
» étrangères aux inhumations, mais aujourd'hui les cime-
» tières sont au nombre *des dépendances de l'église paroissiale*. Si
» une paroisse a des habitants de différents cultes, le terrain
» se divise, afin qu'il y en ait une partie pour chaque culte,

(1) *Moniteur*, 3018.

(2) *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 268 ; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can et can.-civ. comp.*, ed. 7, n. 829, t. II, p. 156 s. Voir aussi l'ordonnance de la chambre du conseil du tribunal de Bruges, 12 Juin 1902, ap. *Collat. Brug.*, t, VIII, p. 393 s.

» et chaque partie est consacrée à un culte par les bénédic-
» tions et les cérémonies qui lui sont propres. Dans le culte
» catholique, le cimetière doit être bénit par l'évêque : le
» cimetière ou la partie de cimetière destinée aux catholiques
» fait donc réellement partie de leur établissement religieux ;
» s'il en résulte quelque profit, il doit donc appartenir à cet
» établissement, et ce profit, employé par la fabrique à des
» œuvres de religion, ne présentera qu'une idée de respect
» pour les morts, au lieu de l'idée contraire que présente la
» main étrangère et avide du fermier de la commune. »

On peut légitimement déduire de ce texte que, dans l'intention du président de la section de législation du Conseil d'État, le motif de l'attribution des produits spontanés du cimetière à la fabrique ne réside pas autant dans la corrélation de ce profit avec la charge de l'entretien du cimetière, que dans l'affectation du cimetière ou de la partie de cimetière à l'inhumation religieuse des fidèles (1).

II. Un arrêté royal du 5 Septembre 1905 annule la délibération en date du 28 Mai 1905, par laquelle le conseil de fabrique de Saint-Séverin (province de Liége) accorde à un particulier une concession de sépulture au cimetière de Saint-Séverin (2).

D'après les informations que nous avons prises, il s'agit, dans le cas, d'un cimetière propriété incontestée de la fabrique (3) ; celle-ci y fait toutes les réparations, l'an dernier elle y avait reconstruit le mur de clôture.

Cependant déférant aux réclamations de la commune, les autorités supérieures se sont prononcées contre la fabrique, « attendu que le droit de concéder des sépultures dérive, non de la propriété du sol, mais du droit de police que les communes exercent sur les cimetières aux termes de l'art. 16 du décret du 23 prairial an XII » (4).

La théorie — contraire à la doctrine professée par la quasi-

---

(1) *Collat. Namurcen*, 1904-1905, t. IV, p. 197 s ; Mgr Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e éd., p. 485.

(2) *Moniteur*, 4846.

(3) Ce droit de propriété a été explicitement reconnu dans un acte passé le 5 Avril 1877 entre la commune et la fabrique, acte approuvé le 22 Décembre 1877 par la Députation permanente.

(4) Arrêté du Gouverneur de la province de Liége, du 24 Juillet 1905.

unanimité des juristes catholiques — qui reconnaît aux communes le droit exclusif de faire à leur profit des concessions de terrain dans tous les cimetières, se perpétue dans la jurisprudence. Celle-ci introduite en Belgique à l'avènement du ministère libéral en 1847, a été suivie depuis 1864 sous les différents cabinets, même catholiques, qui se sont succédés (1).

III. Il a été jugé par un arrêt de la Cour d'appel de Toulouse du 25 Avril 1904 (2) que la propriété *d'un tombeau de famille* est une propriété d'une nature spéciale, avec affectation déterminée, placée en dehors du commerce, *intransmissible par le seul fait d'un legs universel*, destiné au contraire à passer de plein droit, aux continuateurs de la personne du défunt, aux héritiers du sang, à ceux en un mot, qui représentent la famille, et à plus forte raison lorsqu'ils portent le même nom patronymique.

La nature de la propriété d'un tombeau de famille est donc déterminée par le droit de jouissance spéciale et nominative conférée par une concession de terrain temporaire ou perpétuelle. Conséquemment elle ne peut être transmise aux personnes, en faveur desquelles la concession n'a pas été faite.

Un légataire universel, simple successeur aux biens du concessionnaire, ne pourra donc acquérir en cette qualité la jouissance d'une concession de terrain destiné à l'inhumation exclusive des membres d'une famille, ni la propriété d'un tombeau de famille élevée sur cette partie réservée du cimetière (3).

IV. Le tribunal civil de Mons (1e chambre) a statué par jugement du 27 Février 1903 (4) que la propriété des anciens cimetières établis avant la Révolution française appartient aux communes.

La fabrique de l'église d'Enghien invoquait en sa faveur l'origine du cimetière en litige, la législation de l'époque, la

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. II, n° 908 ss., p. 128.

(2) *Pasicrisie*, 1904, IV, 131.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 809, p. 128 s.; n° 835, p. 162 ss.

(4) *Revue catholique de droit*, 1903-1904, t. VI, p. 96 s.

possession constante de la fabrique, et, après la Révolution, certains actes de propriété.

Le tribunal a déclaré la demande de la commune fondée :

« Attendu que la fabrique défenderesse ne peut justifier » d'aucune disposition légale, soit décret du souverain ou » tout autre, qui lui aurait transféré la propriété du dit » cimetière ; qu'elle ne pourrait non plus avoir acquis la » propriété du dit cimetière par prescription, puisque les » cimetières ont toujours été, dans toutes les législations, » une *res sacra* ou hors du commerce, donc non susceptible » de réalisation et de prescription.

» Attendu, au surplus, qu'en admettant même, qu'antérieurement à la Révolution, le cimetière ait pu appartenir » à la défenderesse, il n'est plus discuté sérieusement aujourd'hui que le décret du 23 Prairial an XII ait attribué aux » communes la propriété des cimetières. »

Le même jugement a reconnu que la Fabrique peut demander aux tribunaux d'ordonner aux communes le remboursement des impenses qu'elle aurait faites au cimetière pour plantations etc.

Nous ferons observer que l'exposé des motifs du dit jugement est par trop sommaire et que, sans même parler du faisceau d'arguments sur lesquels s'appuye le droit de propriété des fabriques, on peut affirmer sans crainte de démenti que la question de savoir si le décret de Prairial a attribué aux communes la propriété des anciens cimetières est encore sérieusement discutée aujourd'hui. La preuve, c'est l'embarras des adversaires à trouver une disposition légale qui aurait transféré aux communes cette propriété.

Les uns invoquent le décret de Prairial ; les autres, les décrets de laïcisation des cimetières, émanés de la législation révolutionnaire ; d'autres, les avis du Conseil d'État des 5 Nivôse et 2 Pluviôse an XIII ; d'autres encore, les dispositions relatives aux biens faisant partie du domaine public de la commune (1) etc.

V. La question de la propriété des anciens cimetières dans les communes du Pays Rhénan (2) a fait l'objet d'un

---

(1) Cf. Giron, *Dictionnaire de droit administratif*, v° cimetière, n° 11.

(2) Le traité de Lunéville a incorporé la rive gauche du Rhin à la

arrêt de la Cour (Oberlandesgericht) de Cologne en date du 14 Décembre 1904, confirmant un jugement du tribunal (Landesgericht) de Trèves (1).

La Cour de Cologne a reconnu aux communes la propriété des anciens cimetières.

Voici, en substance, la partie expositive de cet arrêt.

On peut conclure de la nature juridique et du texte du Concordat de 1801 que les églises remises à la disposition des évêques sont redevenues la propriété des communautés religieuses (2). Mais en restituant les églises, le Concordat n'a pas entendu opérer le transfert de la propriété des cimetières nationalisés. On le prouve par la législation postérieure et antérieure au Concordat. En effet :

a/ Le décret décisif du 20 Prairial an X, postérieur au Concordat (3), dit dans ses articles 2 et 11 que *tous les biens* de quelque espèce qu'ils soient, sont mis à la disposition de la nation, à l'exception des presbytères et jardins y attenants, des édifices où s'exerce le culte catholique, des maisons épiscopales et jardins y attenants, des maisons canoniales des chapitres cathédraux et des bâtiments servant de séminaires dans les communes où la loi du 18 Germinal an X établit des évêchés. Donc les cimetières sont restés biens de la Nation.

b/ La restitution des cimetières aux communautés ecclésiastiques est incompatible avec le principe de l'égalité de tous les citoyens devant la loi, principe dont est imprégnée toute la législation française issue de la Révolution. Ce principe exige que tout citoyen ait droit après sa mort à une

---

France. La législation civile-ecclésiastique française lui est depuis lors applicable.

(1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 1905, t. LXXXV, p. 597 s.

(2) Cette reconnaissance aux fabriques de la propriété des églises a son importance. Pie X, dans son Encyclique *Vehementer Nos* 11 Febr. 1906 proteste en ces termes contre la confiscation des églises antérieures au Concordat : « Quod vero per summam injuriam indicit, quibus ædificiis » Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut » provinciarum aut municipiorum fore, singulari nobis est sollicitu- » dini ». *Collat. Brug.*, t. XI, p. 208.

(3) *Pasinomie*, 1e sér., t. XI, p. 221. « Arrêté portant suppression des ordres monastiques et congrégations régulières dans les départements de la Sarre, de la Roër, de Rhin-et-Moselle, et du Mont-Tonnerre.

place dans les cimetières communs, quelles qu'aient été ses opinions et ses croyances. Or ce droit ne lui serait pas reconnu, si les cimetières, propriété de l'église, avait un caractère confessionnel.

c/ L'art. 50 du décret du 11 Déc. 1789 impose aux autorités municipales l'obligation d'assurer la salubrité publique, et conséquemment de veiller au service des inhumations. De ce droit de police des communes, on peut déduire que l'État a transféré la propriété des anciens cimetières dans le domaine communal.

Ces motifs constituent à peine un semblant de preuve en faveur du droit des communes.

a/ L'arrêté du 20 Prairial an X — spécial du reste aux départements Rhénans — est antérieur à l'arrêté du 7 Thermidor an XI, qui rendit à leur destination les biens des fabriques non aliénés, et dont la force probante n'a pas encore été ébranlée. D'ailleurs, les dispositions de l'ancien droit et l'application du Concordat et des lois de restauration de la fortune ecclésiastique n'établissent-elles pas solidement que la restitution des églises comportait la restitution des cimetières, dépendances de celles-ci? (1). En Juillet 1809, Bigot de Préameneu disait dans son rapport cité plus haut: « L'Église, le presbytère et le cimetière sont entretenus par » la commune qui profite du culte; ils ne sont nullement sa » propriété » (2).

b/ L'argument tiré du principe de l'égalité des citoyens, exigeant la laïcisation des cimetières, est encore moins concluant.

La législation en vigueur en matière de sépulture nous semble être un compromis entre le principe de l'égalité des citoyens devant la loi et le respect des droits des différents cultes. Tous les citoyens, il est vrai, ont droit à une place dans un cimetière public; mais de son côté, le culte catholique a le droit d'avoir son cimetière, administré selon ses croyances, ses rites et ses usages. L'esprit du décret de

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, n° 790 ss. Voir aussi l'ouvrage trop peu consulté de Vouriot, *De la propriété et de l'administration des biens ecclésiastiques en France et en Belgique;* p. 105 ss. Paris, 1875.

(2) *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 533.

Prairial an XII, les travaux préparatoires et l'application de cette loi prouvent péremptoirement que chaque confession religieuse *doit* avoir son lieu de sépulture (1). — Au reste la question de confessionnalité des cimetières est indépendante de la question de propriété.

c/ Quant au troisième motif, il suffit de répondre que le droit de police et de surveillance des communes sur les lieux d'inhumation est parfaitement conciliable avec le droit des fabriques de posséder un cimetière.

A. De Meester.

---

(1) Ordonnance précitée du tribunal de Bruges, ap. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 391 ss.; *Collat. Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 14 ss.

Fabriques d'église.

Séance légale du mois de Mars. — Visite des bâtiments.

Aux termes de l'art. 5 de la loi du 4 Mars 1870, le trésorier est tenu de présenter son compte annuel au conseil dans une séance obligatoire qui se tiendra le premier dimanche du mois de Mars. Sous la nouvelle loi, le conseil a deux séances pour vérifier le compte : celle de Mars et celle d'Avril (art. 4 et 5). D'ailleurs, il est toujours loisible au conseil de charger le bureau de l'examen du compte et de lui en faire rapport à la séance d'Avril.

Le bureau après avoir vérifié le compte de l'exercice et le compte particulier du trésorier, établira la somme dont le trésorier est réliquataire ; il se la fera présenter pour la verser immédiatement à la caisse, dont il dressera ensuite l'état de situation en fin d'exercice. Il fera rapport de tout au conseil, qui a son tour examinera ces comptes et les arrêtera définitivement.

Les opérations de l'apurement du compte de l'exercice par le conseil consistent : 1° par rapport *aux recettes*, à vérifier le montant des recettes effectuées ; à examiner si aucune recette n'a été omise ; à s'assurer, en cas de non-recouvrement de quelques parties des revenus, si le trésorier a fait ou non les poursuites et diligences nécessaires contre les débiteurs en retard. 2° par rapport *aux dépenses* à vérifier le montant des dépenses payées ; à s'assurer si toutes les dépenses ont été autorisées et effectuées dans les limites des crédits ouverts au budget ; à examiner si les paiements sont appuyés de mandats et de factures en due forme.

Les pièces justificatives (mandats, quittances, récé-

pissés, factures, mémoires) doivent être classées d'après l'ordre des articles du compte, et réunies en liasse. Les mandats ne peuvent contenir que des dépenses imputables sur un seul et même article.

V. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, edit. 7, nº 1135 ss., p. 446 ss.; Vouriot, *Manuel des conseils de fabriques*, 3e édit., p. 22 ss.; *Index des Collationes Brugenses*. Table spéciale de droit civil-ecclésiastique, vº Comptabilité, *mandats, mémoires, compte, compte de la caisse; Collat. Brug.*, t. XI, p. 128 s., 393 s.

Nous rappelons aussi aux marguilliers et spécialement au trésorier l'obligation qui leur incombe de visiter avec des gens de l'art les églises, presbytères et autres bâtiments, propriété de la fabrique, au commencement du printemps — fin de mars —, pour qu'il soit pourvu aux réparations éventuelles, aux frais de qui de droit. On entend par gens de l'art, des entrepreneurs de bâtiments ou de simples ouvriers de la localité. Il ne sera nécessaire de s'adjoindre un architecte, que s'il s'agissait d'une réparation majeure. M. Vouriot fait justement remarquer qu'indépendamment de cette visite générale des édifices dans toutes leurs parties, il faut encore faire souvent celle des combles et des toitures, surtout dans les temps de pluie et de fonte des neiges et porter une attention toute particulière sur l'état des crépits et la conduite des eaux pluviales, qui sont l'agent le plus actif de la destruction des bâtiments.

Il est éminemment utile de faire constater les résultats de cette visite, par un rapport sur l'état des lieux.

V. Vouriot, *o. c.*, p. 76 ss.; *Index des Collat. Brug.* Table spéciale de droit civil-ecclésiastique, vº Édifices du culte, *visite et entretien*.

A. De Meester.

E S. Congregatione Concilii

De S. Communione danda infirmis non jejunis.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905, concessasque a SSmo D. N. Pio PP. X die 30 mensis Maii ejusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianæ Communionis propagatione; post additum præterea decretum *Urbis* et *Orbis*, die 14 mensis Februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cujus decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariæ, vix dicere est, quanta lætitia benignæ hujusmodi S. Sedis dispositiones exceptæ sint, præsertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendæ pietatis, quæsitum est, si quo forte modo consuli posset ægrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale jejunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatæ sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui jam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio, SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missæ in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem præscriptis. Præsentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romæ, die 7 mensis Decembris 1906.

† Vincentius Card. Episc. Prænestinus,
Præfectus.
C. De Lai, *Secretarius.*

Adnotatio.

Uti, apud *Collat. Brug.*, t. XI, pp. 717 ss., notavimus, propositum fuit, coram S. Congregatione Concilii, sequentis tenoris dubium, utrum nempe « infirmis (non periclitantibus), qui diuturno morbo laborent, nec naturale jejunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari possit, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur ».

Pro cujus dubii solutione recursum habuerunt Emin. Patres ad S. Pontificem, ut dignaretur, juxta ipsorum mentem, dispensare in lege jejunii naturalis : quam dispensationem benignè concessit Pius X, infra limites modò indicandos :

Nimirum 1°/ S. Pontifex in lege jejunii eucharistici dispensat cum *infirmis, jam a mense decumbentibus, absque certa spe ut citò convalescant :*

a/ Infirmi intelliguntur non quicumque ab adeunda ecclesia quomodocumque impediti, sed qui ægritudine afficiuntur corpus debilitante ac vires frangente, adeo ut ad dispensationis privilegium non forent admittendi qui, corde et stomacho validi, ob incedendi impotentiam, domi retinentur. Hanc interpretationem suadent tum subjecta materia, tum ipsæ determinationes immediate accedentes, uti: decumbere, convalescere.

Ex ipso facto infirmitatis, sensu exposito, intellectæ, præsumitur hujusmodi infirmos jejunium in sua integritate servare non posse, eo vel magis quod supponatur jam a mense decurrens. Non est igitur anxiè inquirendum utrum possent necne hujusmodi infirmi, illæso jejunio, communicare, nec torquendi sunt ut jejuni communicent, licet *conveniat* ut jejuni accedant, si commodè possint.

Cæterum clausula : *nec naturale jejunium.... observare queant* deficit in concessionis tenore, quamvis occurrat in decreti introductione historica : qua ratione vitantur anxietates, quæ sponte orirentur circa infirmos, de qui-

bus in casu, utrum, hic et nunc, sufficienter validi existant ad jejunium servandum necne.

b/ Oportet quod jam *decumbant a mense,* a triginta scil. diebus, utique non mathematicè computandis : quæ vox « decumbere » importat quidem infirmitatem, sensu superius indicato, non est tamen ita pressè sumenda ut applicetur solis ægrotis in lecto decumbentibus.

c/ Oportet quod absit *certa* spes ut *citò* convalescant. Dicitur *certa* spes, nec proinde officit *probabilitas* proximæ convalescentiæ, sed, ut excludantur ægroti a dispensationis favore, postulatur *moralis certitudo* de convalescentia citò consequenda : quæ certitudo acquiretur sive testimonio medici sive indubiis apparentibus indiciis.

Quid autem importet ly *citò*, ægre determinatur, et sanè cuidam latitudini relinquitur locus. Censemus autem, in hac temporis determinatione, rationem esse habendam tum durationis, quæ exigitur, a morbi inchoatione, tum restrictæ frequentiæ, quæ indulgetur, pro accessu ad S. Communionem : quo pacto, quousque a S. Sede pressius non determinetur tempus, non videntur posse, fracto jejunio, ad SS. Eucharistiæ participationem admitti qui, inde a mense ægrotantes, certò prævidentur *post unum alterumve diem* convalituri ; imo nec illi de quibus convalescentia *infra octiduum* instat futura, saltem si agatur de illis qui extra domus degunt, in quibus SS. Sacramentum asservatur aut missa celebratur, quique, ex hoc capite, rarius ad s. mensam permittuntur.

Forte posset, ratione habita, juxta dicta, frequentiæ, quæ indulgetur, in S. Communionis susceptione, ita proponi temporis determinatio : ut illi scilicet qui infra præfatas domos versantur, ac possunt, non jejuni, bis communicare in hebdomada, privilegio queant uti, si convalescentia non prævidetur *ante medium octiduum ;* reliqui vero, quibus licet bis tantùm in mense accedere,

si convalescentia non prævidetur ante *medium mensem* (1).

2°/ Cum hujusmodi infirmis non dispensatur in lege jejunii *absolutè et simpliciter,* quemadmodum contingit cum infirmis periclitantibus (2), sed *restrictive* tantùm et *limitatè.* Et quidem

a/ Ipsorum ad s. mensam accessus, non servato jejunio, limitatur *ad certas vices*, quatenus communicare possint « *semel aut bis in hebdomada,* si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis missæ in oratorio domestico; *semel vero aut bis in mense* pro reliquis ».

Ratio hujus distinctionis videtur fuisse, juxta *Votum* Consultoris, in hoc quod, pro infirmis extra domos versantibus, in quibus SS. Sacramentum asservatur aut missa celebratur, magis ac pro reliquis, incommodum foret sat grave, si plures infirmi chronici in parœcia haberentur; insuper timendum esset ne frequentior delatio SS. Eucharistiæ per vias et ædes, reverentiam minueret erga SS. Sacramentum.

b Non permittitur ipsis nisi ut aliquid *per modum potus* sumpserint ante Communionem; quæ restrictio hucusque passim inserebatur in dispensationibus pro casu particulari concedi solitis. Per illam non excluditur, uti explicitè docet C. S. O., 7 Sept. 1897, « usus jusculi (3), caffei aliorumque ciborum liquidorum, cum quibus misceri potest aliqua substantia, uti v. gr. con-

(1) Posset forsitan etiam facilius concessio applicari casui quo interim occurrat peculiaris aliqua festivitas, in qua infirmus vehementer exoptat S. Communione refici.

(2) Moribundi possunt, si aliunde nihil obstat, *etiam quotidie* SS. Eucharistiam suscipere *non jejuni*, quousque mortis discrimen perseverat; nec refert quod cibum sumpserint vel potum.

(3) Jusculum, gallicè bouillon. Et ideo citatum decretum non attendit *Revue ecclésiastique de Metz,* 1907, p. 9, ubi scribit: « Le bouillon toutefois nous semble exclu, car de sa nature il se prend *per modum cibi,* plutôt que *per modum potus* ».

dita farina (semoule) friatus panis (pain rapé) etc.: dummodò dicta mixtio non amittat naturam cibi liquidi » (1).

A. De Smet.

E S. R. U. Inquisitione

Coram Suprema Congregatione proposita sunt ab Ordinario Covingtonensi varia dubia circa interpretationem facultatis (Form. D, art. 6), qua noscuntur gaudere Ordinarii Stat. Fœder. Amer. « *sanandi in radice matrimonia contracta quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens super quo, ex Apostolicæ Sedis indulto, dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis* ».

Inter quæ dubia, ex integro relata apud American *Eccle-Ecclesiastical Review.*, 1906, p. 627 ss., potissimum attentione digna sunt hæc sequentia:

Nimirum resolvit S. Congregatio, die 22 Augusti 1906:

1°/ Prædictam « facultatem art. VI Formulæ D extendi posse ad casus Indulti diei 20 Februarii 1888, servatis ejusdem Indulti clausulis, facto verbo cum SSmo »; unde possunt prælaudati Ordinarii sanationem concedere etiam *pro foro externo* super impedimentis publicis, quando agitur de concubinariis moribundis, supposito utique quod adsit species seu figura quædam matrimonii (2).

(1) *Anal. eccles.*, VI, p. 142. Quæstio posita erat sequens: « N. N., ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit quod ob chronicum morbum jam obtinuit facultatem sumendi aliquid per *modum potus* ante Communionem. Quum autem notabiliter fuerit aggravatus morbus, nec satis ei sint consuetæ potiones, S. V. deprecatur ut concedatur facultas sumendi etiam ad sustentationem aliquid solidi cibi ». Latina versio ex italico.

(2) « Species hæc quoad sanationem matrimonii in radice... secundum omnes certè adest non solum in omni matrimonio, coram Ecclesia contracto; sed, si una saltem pars lege Tridentina non aut non certè ligatur, etiam in omni matrimonio contracto coram magistratu civili aut præcone hæretico aut alio modo intentionem matrimonii attestante, licet in omnibus his casibus matrimonium ob occultum impedimentum fuerit invalidum ». Putzer, *Comment in Facultates Apostolicas*, ed. 5a, n. 224; collato Feye, *De Impedimentis matrimonii*, n. 770.

2°/ Posse esse locum facultati etiam in casu quo « ambæ quidem partes cognoscunt nullitatem matrimonii sed una earum adduci non potest ad renovandum consensum », modò constet « verum datum fuisse consensum (1) sub specie matrimonii, et eumdem ex utraque parte perseverare ».

3°/ Quintum dubium ita exponitur: « Ex repetitis S. Inquisitionis decretis et responsis, notanter anni 1898, 1899 et 1900 emanatis, constat omnes facultates habituales a Sede Apostolica Episcopis concessas et concedendas intelligi debere datas Ordinariis locorum, sub quo nomine, præter Episcopum, veniunt Vicarii in spiritualibus generales, Vicarii Capitulares etc. Quo posito, petit utrum recte sentiant Doctores qui affimant limitationes quascumque, olim appositas facultatibus, delegandi Vicarium Generalem jam evanuisse, ipsumque Vicarium absque ulla delegatione vel communicatione facta ab Episcopo gaudere prædictis facultatibus, eisque servatis servandis semper valide uti ».

Ad quod respondetur: « *affirmative,* quoad facultates de quibus in dubio proposito, servato tamen, quoad licitum usum, debito subordinationis officio erga proprium Episcopum ».

Quæ solutio plane conformis est disciplinæ in dubii tenore memoratæ, quatenus omnes facultates habituales Episcopis concedendæ vel olim, etiam ante a. 1897, concessæ, intelligantur concessæ Ordinario, et signanter Vicario Generali.

Eo enim ipso quod facultas censetur concessa ipsi Vicario Generali, non debet ei ab Episcopo delegatione transmitti, ac proinde ipsum non attingunt limitationes in Indultis forsan appositæ olim quoad potestatem delegandi.

Pariter ex eodem principio sequitur Vicarium Generalem hujusmodi facultatibus semper uti *validè* absque ulla Episcopi licentia, neque a *valido* usu ab Episcopo posse prohiberi; ad licitum vero usum, uti sponte liquet, debet Vicarius Generalis sese conformare in hac re arbitrio Episcopi, servato erga ipsum debitæ subordinationis officio.

Juxta nuperrimas hasce resolutiones S. Sedis, moderanda sunt nonnulla in egregio cæteroquin commentario, quod in

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 488.

præsentem facultatem interpretandam proponit PUTZER, o. c., n. 225.

A. DE SMET.

E Sacra Congregatione Rituum

I

De lectionibus I nocturni; de Missa exequiali in feria IV Cinerum.

TARBIEN.

Reverendissimus Dominus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 3923, diei 30 Junii 1896, *Plurium diœcesium* (1), præcipiente Lectionem de Scriptura occurente in duplicibus infra II classem, excipiuntur tamen Lectiones, quæ « jam approbatæ fuerunt, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu majoribus, seu etiam minoribus ». Quæritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eæ peculiares Lectiones, quæ certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio diœcesano, sed etiam eæ omnes, quæ assignantur de Communi, et in prædictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in festo S. Dominici, die 4 Augusti, indicantur pro 1 Nocturno Lectiones *Beatus vir*, etc., de Communi Conf. non Pontif. 2° loco; sicut etiam

(1) Citatum decretum n. 3923 ita statuit: « Præsentibus rerum adjunctis inspectis, lectiones I nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus I vel II classis, illis tamen lectionibus exceptis quæ approbatæ jam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu majoribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adjunctis Sacra Rituum Congregatio approbare deinceps censuerit ».

v. g. in festo S. Fausti (in Proprio Provinciæ Auxitanæ ad 28 Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad Lectiones *Fidelis sermo?*

II. Utrum feria IV Cinerum in Ecclesiis parochialibus ubi unicus est sacerdos, celebrari possit Missa exequialis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, reque mature perpensa, respondendum censuit: (1)

Ad I et II: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 5 Julii 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præfectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II

De altaris fixi mensa consecrata et titulo.

RATISBONEN.

SEU CONGR. SS. REDEMPTORIS PROVINCIÆ BAVARICÆ.

R. P. Mathias Prechtl, Rector Provinciæ Bavaricæ Congregationis SS^mi^ Redemptoris, de consensu sui R^mi^ Procuratoris generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subjecit; nimirum:

I. In Ecclesia S. Sepulchri, Congregationis SS^mi^ Redemptoris in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis diœcesis, extant tria altaria, scil. S. Joannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V., et Quindecim ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro lapide, sed ex duobus lapidibus inæqualibus, qui tamen cœmento in unum conjuncti sunt. Quæritur: Utrum hæc tria altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tamquam execrata?

---

(1) Quodsi occurrat missa exequialis celebranda, benedictio cinerum facienda est non solemniter sed privatim, sine cantu, omnino independenter a missa exequiali. Si enim solemnis fiat benedictio, idem sacerdos qui cineres benedixit debet etiam ipse celebrare missam de die, ut patet ex decretis S. R. C. nn. 946 et 2783. Cf. DE HERDT, *S. Liturgiæ praxis*, t. III, n. 20, 10.

II. In ecclesia parochiali ejusdem civitatis mensa altaris majoris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media major pars ex marmore, duæ aliæ laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides cœmento in unum sunt conjuncti. Itaque quæritur: Estne hoc altare fixum valide consecratum; et si *negative*, media major pars ex marmore poteritne adhiberi tamquam altare portatile?

III. Num absque indulto Apostolico et auctoritate tantum ordinaria, titulus altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. gr. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si *negative*, num saltem super altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu loco imaginis S. Sebastiani tituli altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea picta retro post altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Juxta Pontificale Romanum et decreta S. R. C. n. 2862, *Fanen.* 17 Junii 1843 ad 1, n. 3725, *Meliten.* 26 Aprilis 1890, et n. 3750, *Salamantina* 14 Nov. 1891, mensa altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem *negative*, ad secundam *affirmative;* et si commode altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensæ collocetur ad instar altaris portatilis.

Ad II. *Negative* ad utrumque.

Ad III. *Negative* ad utrumque juxta decretum n. 2752 *Congregationis Missionis* 27 Augusti 1836 ad 5 et 7.

Ad IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III

Circa genuflexiones et oscula in Missa et cæremonias Communionis infirmorum.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM

CONGREGATIONIS MONTIS CORONÆ.

Expetenti Kalendaristæ Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronæ, de consensu sui R^mi^ Superioris generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, ita respondere rata est:

I. Minister inserviens Missæ in altari, ubi SS^mum^ Eucharistiæ sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur utramque ampullam vini et aquæ, quin tamen osculetur manum celebrantis.

III. Oscula in Missa pro defunctis et Feriæ VI in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur calicem et patenam, juxta Rubricam Missalis, *part. II, tit. 13, n. 2,* et Cæremoniale Episcoporum, *lib. I, cap. 18,* § *16, et lib. II, cap. 11,* § *5.*

IV. 1°. Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum præceptum paschale.

2°. Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc.

3°. Minister infra Missam in casu *Confiteor* et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Novembris 1906.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Præfectus,*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotationes.

Ex responso primo patet in missa, ad altare in quo Sanctissimum non asservatur æque ac ad altare ubi asservatur, ministro genuflectendum esse — unico genu — a/ quoties transit ante medium seu crucem altaris; b/ quando accedit ad altare a sacristia vel alio loco dissito; c/ similiter quando ab altari discedit ad sacristiam vel locum dissitum.

Non videtur posse concludi similiter esse genuflectendum, quando ascendit ampullas ad offertorium deferens: hic accessus non videtur comprehendi verbis decreti et dicta genuflexio ab auctoribus communiter non præscribitur.

Notatu dignum est genuflexionem ministrorum inferiorum *semper esse faciendam in plano* (1), ut patet ex decr. S. R. C. 14 Jan. 1898, *Parisien*, n. 3975, ad 1 (2), et versus crucem, ante medium altaris. Contra diaconus et subdiaconus in missa solemni nunquam ad altare genuflectunt in plano, nisi in primo accessu et ultimo recessu.

Ad secundum. Ritus celebrandi VII, 4, expresse tantum agit de osculo ante porrectionem solius ampullæ vini, dicens: « accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum celebrantis) ». Ex hoc responso nunc patet idem — jure merito (3) — statuendum esse de ampulla aquæ et utramque ampullam osculandam esse non tantum ante porrectionem sed etiam post receptionem. Merito tamen suspicari licet osculum ampullæ aquæ posse omitti, si sacerdos, ut mos est apud nostrates, ampullam non

(1) Etiam dum transfert librum.

(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 242. Ex eodem decreto a pari deducendum videtur ministro ad communionem Missæ ampullas deferenti genuflectendum esse non in ora suppedanei, ut quidam volunt, sed in plano cornu epistolæ.

(3) Ita jam docebat Ill. Van der Stappen, *Cæremoniale*, cap. VIII, (16), 9.

manu prehendit, sed parvo cochleari paululum aquæ inde haurit.

In responso tertio statuitur authentice regula generalis quam tradidimus apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 675. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 240.

IV. *Quartum responsum* controversiam inter auctores agitatam (1) liquido dirimit juxta principia generalia et verum spiritum liturgiæ. Quid enim rationi magis congruum quam ut adhibeatur numerus pluralis ubi pro pluribus oratur, singularis vero ubi pro uno? Jamvero ubi S. Communio distribuenda est in ecclesia, toti communitati præsentium fidelium offertur communicandi occasio, adeoque merito supponit Ecclesia plures adesse vel posse accedere communicantes. Item infra missam, quum tantopere cupiat Ecclesia ut fideles etiam sacramentaliter sacrificio participent (2), orationibus suis quasi omnes allicit ad sacram mensam, etiamsi communio uni tantum infirmo danda prævideatur. Quare in utroque casu, sicut *Confiteor* dicitur « nomine populi » (Rit. Rom. IV, II, 1), ita etiam merito formulæ *Misereatur* VESTRI... adeoque et *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum* VESTRORUM *tribuat* VOBIS... dicuntur in plurali, et quidem « *ad altare* more solito » (sub n. 2° et 3°).

Ubi vero agitur de communione infirmi, Ecclesia intentionem et preces omnes convertit in hunc solum infirmum. Quamobrem « *facta de more confessione generali sive* AB INFIRMO, *sive* EJUS NOMINE *ab alio, sacerdos dicit* » in singulari: *Misereatur* TUI et *Indulgentiam... peccatorum* TUORUM *tribuat* TIBI... Si autem per accidens pluribus simul infirmis in eodem cubiculo, sub iisdem cæremoniis S. Communio ministranda esset, pluralis, ut patet, numerus esset servandus.

---

(1) Tres opiniones, adjectis argumentis et auctoritatibus, vide apud KUNZ, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, p. 219, nota 4.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p.

« Quod si... sumpta fuerit una tantum particula consecrata, tunc ea infirmo administrata, sacerdos, prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit (1) », dicens formulam qua uti solet post communionem in ecclesia, sed in singulari: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii † et Spiritus Sancti descendat super* TE *et maneat semper.*

In responso IV, 2° et 3°, supponitur celebrantem posse infra missam ministrare sacram communionem sicut populo ita et infirmo. Qua in re servandum est decretum 19 Dec. 1829, *Florentina,* n. 2672¹: « Animadvertendum quod si celebrans pro Viatici administratione intra Missam altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere », sed faciendam esse extra Missam. Quæ regula confirmatur explicite decretis nn. 2885 et 3099¹, nec ei obstat concessio « attentis peculiaribus circumstantiis » facta Ordini S. Joannis de Deo decreto n. 3323 ad 1 et 2.

C. CALLEWAERT.

(1) Rit. Rom. IV, IV, 24.

Consultationes

I

Quadam feria VI, in aliquo pago Flandriæ, ingressus est extraneus quidam ignotus cauponam et petiit carnes. Caupo in memoriam hujus extranei revocavit esse diem abstinentiæ ipsumque rogavit utrum esset dispensatus. Respondit ille: « Parum curo de præceptis Ecclesiæ servandis; tantummodo feria VI in Parasceve abstineo a carnibus ». Quæritur utrum caupo illi extraneo carnes præbere potuerit.

Respondetur: Negative, quia deficit ratio proportionate gravis qua materialis cooperatio ad peccatum extranei excusetur.

Explicatur. 1. Certe non licet sponte hospitibus offerre cibos prohibitos, quia foret invitatio ad peccatum, ergo scandalum directum et cooperatio formalis. Sed petentibus, quorum petitionis liceitas vel illiceitas omnino ignoratur, licet dare carnes diebus prohibitis, quia odiosum et durum esset inquirere utrum petentes legitimam causam habeant vel non: ignotus merito præsumitur bonus, quia nemo malus nisi probetur (1). Non inutile erit advertere in his circumstantiis, præsertim quando illud occurrit in loco ubi talia raro eveniunt, melius esse ut mensa instruatur seorsum, ne forte adventanti detur scandalum.

Unde in casu non debebat *directe* inquirere caupo, utrum extraneus ignotus, esset quavis de causa excusatus a præcepto abstinentiæ. Optime tamen egit monendo extraneum esse feriam VI, ita ostendendo tum se ipsi hospiti cibos esuriales ministrare paratum esse, tum sese exonerari velle, quantum fieri potest et debet,

---

(1) Cfr. NOLDIN, *Summa Theologiæ Moralis*, vol. II, Œniponte, 1906, p. 136. — LEHMKUHL, *Theologia Moralis*, vol. I, ed. 8ª, nº 677.

ab omni cooperatione ad formalem transgressionem præcepti Ecclesiæ (1).

2. Quum autem compertum sit hospitem de facto non esse excusatum, sequitur jam gravem rationem requiri ut cauponi liceat materialiter cooperari peccato, præbendo carnes illegitime petenti (2). Quæ gravis ratio sane non est perditio lucri hic et nunc ex negatis carnibus provenienda; sed foret v. gr. notabile damnum oriundum ex diminutione confluxus hospitum. Quod, quum generatim in pagis Flandriæ non verificetur, dicendum est, nisi adfuerint circumstantiæ omnino speciales, cauponi in casu non licuisse carnes ministrare.

3. Posset cuidam occurrere dubium utrum, inspecto hujus extranei responso, hic applicandum foret principium certum quod sic enuntiat Lehmkuhl, l. c.: « *Nunquam* licebit carnes dare, quando in contemptum religionis petuntur ». Jamvero videtur applicationem esse negandam. Aliud enim est facere aliquid *in contemptum* religionis, aliud *contemnere* religionem. Aliquo modo contemnit præcepta religionis, explicite vel implicite, omnis qui deliberate quodcumque peccatum committit; sed contemptus religionis non est *finis,* ne quidem partialis, cujusvis actionis peccaminosæ.

In casu proposito, extraneus fatetur se præcepta Ecclesiæ scienter transgredi, ideoque supra diximus gravem rationem requiri ut hujusmodi petitioni fiat satis; non tamen innuere videtur se agere *hunc in finem*

---

(1) Nec ab illa vel simili monitione excusantur caupones, quando, uti in civitatibus non raro evenit, indiscriminatim catholici et acatholici ad cauponam confluunt. « Hinc si prævident adfuturos esse hospites, qui cibos prohibitos petant, possunt mensam cibis licitis et illicitis instruere; et si prævident neminem petiturum esse cibos esuriales, solum cibos ex carne parare possunt; tenentur autem hospites monere ipsos posse cibos esuriales accipere et petentibus tales ministrare debent ». Noldin, l. c.

(2) Quoad principia circa liceitatem cooperationis, cf. *Collat. Brug.*, tom. VIII, p. 438 ss.

ut ostendat despectum religionis (1). Unde ex hoc capite non prohibebatur hospiti præbere carnes.

A. SOETAERT.

II

Q. In parochia X instat festum *Adorationis perpetuæ*, et, vigiliâ ipsius festi, accedunt parochiani ex X ad vicinam parochiam V confessionem peracturi. Dubium autem movetur utrum confessarii parochiæ V hujusmodi pœnitentes absolvere valeant *a reservatis*, vi facultatum quæ in diœcesi Brugensi conceduntur, juxta elenchum *Libelli*, II, B, 3°, p. 22-23.

Respondetur *affirmando*.

Hæc solutio affirmativa eruitur ex ipso tenore concessionis: non dicitur enim: « facultatem confessariis concedi in adoratione perpetua... », quod posset ita intelligi ut concessio restringatur ad festum Adorationis celebratum in parochia respectiva ipsorum confessariorum, sed dicitur facultatem a reservatis confessariis indulgeri *in gratiam fidelium confitentium in Adoratione perpetua...* », adeo ut festum Adorationis perpetuæ, ac proinde tempus quo confessarii dicta facultate gaudent, sit attendendum *potius respectu pœnitentis quam respectu confessarii* (2).

Potest igitur confessarius a reservatis absolvere quoscumque pœnitentes ad ipsum accedentes ex parochia, in qua festum Adorationis agitur, idque « a vi-

---

(1) Despectus formalis religionis erui potest ex variis adjunctis, vel ex modo quo carnes petuntur, vel aliquando ex circumstantiis temporis: sic, qui prandium solemne omissis cibis esurialibus, parandum curaret pro feria VI in Parasceve, per se censeretur agere in despectum religionis.

(2) Dicitur: « *potius* respectu pœnitentis quam respectu confessarii », quia non videtur excludi respectus ad ipsum confessarium: quo pacto confessarii parochiæ V, si ibidem festum ageretur Adorationis perpetuæ, possunt a reservatis absolvere pœnitentes extraneos eò advenientes ex alia parochia, in qua similis solemnitas non celebratur.

gilia hujus solemnitatis et per totam ejus octavam, necnon die præcedente vigiliam Adorationis perpetuæ, quoties hæc solemnitas incidit sive in feriam II^{m}, sive in diem qui proxime subsequitur festum de præcepto » (1).

Profectò, ad hujus facultatis exercitium, requiritur, quemadmodum in ipso *Libello* accuratè determinatur, ut confessarius (non parochus 1^{æ} vel 2^{æ} classis) degat infra limites *territorii in quo jurisdictionem exercet,* nempe infra terminos parochiæ suæ vel proprii decanatus, vel communitatis suæ communitati conterminæ.

Nota facultatem, de qua hîc, restringi ad absolutionem a casibus *ab Episcopo Sibi* reservatis, seu *Nobis et a Nobis,* uti solet dici, exclusis non modò casibus R^{o} P^{ci} reservatis, sed etiam casibus qui, ratione censuræ, Ordinario reservantur *a jure communi*, qualis est abortus.

III

Q. Titius, habitans in A, matrimonium inire cupit cum Bertha minorenni, 17 annorum. Hæc domum et parochiam suam B reliquit cum animo non redeundi, et jam per sex hebdomadas habitat etiam in A, quin de ejus profectu ac nova habitatione cura sit matri Berthæ. Quæritur ubinam Bertha domicilium habeat in ordine ad matrimonium, et coram quonam parocho matrimonium inire possit validè et licitè?

Respondetur.

1°/ Conservat Bertha domicilium maternum: ipsa namque, utpote minorrennis, non potest *propria voluntate* dicto domicilio renuntiare et sibi novum acquirere.

Nec refert quod mater Berthæ profectui ejusque commorationi in parochia A non contradixerit; et sane, licet admittatur, ad tramites dictorum apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 351, quod *parentum voluntate* possit mi-

(1) Circa tenoris interpretationem cf. *Collat. Brug.*, t. VI. pp. 336 et 431.

norenni acquiri domicilium a paterno domicilio distinctum, dato scilicet a parentibus pleno et efficaci consensu in hoc ut filius vel filia definitive domui paternæ renuntiet, non videtur hic, attenta ratione agendi matris mere negativa, illa conditio verificari.

2°/ Si Bertha secessit in parochiam A cum animo ibi manendi, vel in perpetuum, vel saltem per majorem anni partem, ibidem contraxit quasi-domicilium, idque a primo momento quo cœpit ibidem, cum præfata intentione, habitare.

Vidimus enim, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 353, nihil impedire quominus minorennes proprio facto et propria voluntate acquirant quasi-domicilium.

Conclusio: Juxta exposita, parochus de B *validè et licitè* assisteret matrimonio; item, data hypothesi de qua sub 2°/, parochus de A, cum uterque censeatur parochus proprius sponsæ: et ita coram alterutro parocho, in casu, posset indifferenter matrimonium celebrari validè et licitè.

Nota. Abstrahimus, in dubii solutione, a domicilio sponsi Titii, ratione cujus domicilii parochus de A nuptiis assistentiam præberet validè.

IV

Q. Antonius, puer 9 annorum, ante duos ferme annos Viaticum suscepit in infirmitate gravi, a qua deinceps convaluit; exinde autem non fuit ad S. Mensam admissus, licet sufficienter discretus et instructus existat. Porro postulatur 1°/ an dictus puer non teneatur præcepto communionis paschalis; 2°/ an possit ab accessu ad S. Synaxim prohiberi.

Respondetur.

Ad 1m: Probabilius dicto præcepto non adstringitur puer de quo quæritur.

Equidem generatim præceptum SSæ Eucharistiæ sumendæ obligat omnes fideles discretionem adeptos (1),

(1) Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 4 et can. 4.

qui nempe « saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in sacra Hostia præsentiam Christi Domini » (1). Atvero

a/ Doctores passim strictius urgent illam dispositionem, discretionem scilicet, ubi agitur de præcepto ecclesiastico (jus divinum determinante), quo præcipitur annua communio paschalis, quam ubi agitur de præcepto *divino* determinatè urgente, in periculo scilicet mortis. Et ita BENED. XIV, *De Synodo diœces.*, l. VII, cap. 12, n. 3, scribit: « Verum, etsi Doctores ita inter se dissentiant (in determinanda ætate Communionis suscipiendæ), ferè tamen communiter fatentur, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo et possit et debeat SS° Viatico muniri »; quibus addit verba Suarezii, existimantis « in illo articulo dandam esse communionem cuicumque homini habenti usum rationis ad peccandum, et capaci confessionis et Extremæ-Unctionis ».

Contrà pro Communione, vi præcepti *ecclesiastici* instituenda, idem Pontifex, l. c., n. 2, opinionem proponit plurium Auctorum, qui « perfectiorem usum rationis expectandum censent, ut pueri ad annuam Communionem adstringantur, quatenus non omnis discretio, quæ sufficiens habetur ad se expiandum sacramentali confessione, satis est ad rite percipiendam Eucharistiam, cujus excellentia majorem exigit in suscipiente judicii maturitatem, ut debita religione ac reverentia ad eam accedatur ».

Et sanè urgentior est spiritualis necessitas pueri moribundi, ut salutari Viatico reficiatur, quam pro reliquis pueris, adeoque favorabilius interpretanda est conditio ad Eucharistiæ susceptionem requisita (2).

---

(1) C. S. O., 10 Aprilis 1861, apud BUCCERONI, *Enchiridion*, n. 320.

(2) Ita etiam favendum est sacramenti administrationi in casu quo, hic et nunc, *probabiliter dubitatur* de necessaria mentis discretione penes puerum periclitantem. Cæterum cum pueri, etiam rationis non compotes, capaces sint ad SS. Eucharistiam *validè et fructuosè* suscipiendam, conditio

b/ Etiam, supposita sufficienti rationis discretione, pro incurrenda *per se* obligatione præcepti *ecclesiastici*, non illicò propterea urget implenda obligatio asserta.

Nimirum *per accidens* potest hajusmodi obligatio ulterius differri, quotiescumque scilicet, *de consilio proprii sacerdotis,* opportunum ductum fuerit, *ob aliquam rationabilem causam*, ad tempus ab eucharistica sumptione abstineri: ita explicitè disponente ipso Concilio Lateranensi IV, in quo latum fuit præceptum de annua Communione.

Jamvero passim, in nostris regionibus, viget consuetudo, quatenus determinetur, sive ab Episcopo pro tota diœcesi (1), sive a parocho, de consensu Episcopi, pro sua respective parochia, tempus quoddam pro omnibus pueris idem, quo ad Communionem solemniter admittantur, præmissa diuturna instructione ac præparatione. Quæ temporis determinatio, etiamsi forsan ultra annos discretionis, pro pluribus saltem pueris, differatur, non sine legitimis ac sapientissimis rationibus fieri contingit.

Reverà ipsa solemnitas ac religiosa pompa, quibus instituitur primus ad S. Mensam accessus, omnibus pueris simul in corpore accedentibus, influxum maxime salutarem exercet tum in adstantes, signanter parentes, tum præprimis in ipsos neo-communicantes, in quibus augetur reverentia ac alta mente reposta relinquitur

---

de sufficienti discretione unice requiritur ex præcepto Ecclesiæ ad meram *liceitatem*, ac proinde ad tutò procedendum, sufficit *probabilitas* de dictæ conditionis verificatione, siquidem sacramentum sic ministratum nulli periculo exponitur, sive nullitatis, sive infructuositatis.

(1) In nostro jure diœcesano Brugensi non datur stricta temporis determinatio ab Episcopo facta, uti videre est in *Pastorali Brugensi*, p. 71, et in *Libro Manuali*, ed. 2a, p 147: « Pueri ad primam Communionem non admittantur, nisi prius diligenter examinati et instructi, eaque discretione et ætate sint, ut dijudicare possint Corpus Domini. Et licet certum ætatis tempus describi nequeat, quo annos discretionis attigisse dicantur, dum alii citius alii tardius matures sunt, id tamen inter decimum et duodecimum annum solet accidere ».

hujus solemnitatis faustissima memoria. Præterea, idque præcipuum, in hoc unicum reperitur remedium, ut adeo necessariæ instructioni religiosæ infantium efficaciter provideatur, cum ad 1m Communionem sese præparantes tam dociles soleant existere, ac, ipsa peracta, ulteriori instructioni plerumque subtrahantur penitus.

Quibus attentis et qua stante consuetudine, dicendum videtur pueros, in nostris regionibus, ad Communionem paschalem, vi præcepti Lateranensis, non obligari ante annos pro prima Communione solemni rite statutos, licet constiterit nonnullos ocius ad sufficientem judicii maturitatem pervenisse, uti in casu proposito obtinere censetur.

Ad 2m: Secluso stricto præcepto, non est dubitandum Antonium, de quo in casu, *posse,* posita sufficienti instructione, ad S. Communionem a parocho admitti; quod cæteroquin valet de quibusvis pueris quos constat necessariam discretionem, ad normam dictorum sub 1o, esse adeptos; quos omnes licet admittere ad S. Mensam, ante tempus pro prima Communione solemni generatim statutum.

Quinimo *non possent* hujusmodi pueri, *SSæ Eucharistiæ participationem appetentes,* ab ea, *privatim percipienda, prohiberi aut repelli:* quod manifeste eruitur ex solutione S. Sedis in *Causa Anneciensi:* Sacra nempe Congr. Concilii, die 21 Julii 1888, decretum latum ab Episcopo Anneciensi, quo statuerat pueros ad primam Communionem non esse accipiendos ante duodecimum annum completum, approbavit quidem, sed *ad modum* tantùm, addendo: « modus est, ne Episcopus parochos prohibeat ab admittendis ad primam Communionem iis pueris de quibus certò constat eos ad discretionis ætatem, juxta Conciliorum Lateranensis IV et Tridentini decreta, pervenisse »; quæ verba « *ad primam Communionem* » ita sunt intelligenda, juxta declarationem S. Pontificis, diei 23 Julii subsequentis, ad exclusionem primæ

communionis *in forma solemni* (1). Possunt igitur juniores pueri, certò instructi satis, et signanter illi qui in articulo mortis jam communicaverunt, prohiberi a 1ª communione solemni, non autem a communione privata, si ad eam admitti desiderant.

Quodsi id non sollicitant, prudenter perpendat parochus varia adjuncta (2), utrum opportunum sit ejusmodi pueros ad communionem spontè invitare, vel eorum ad S. Synaxim accessum differre usque ad tempus consuetum primæ communionis: quod ultimum, in nostris regionibus, in usu esse videtur.

Quacumque autem in hypothesi, curet parochus ne, hac in re, quid a praxi in diœcesi recepta alienum agat absque prœvio recursu ad Episcopum, a quo practicam instructionem expostulet.

V

Q. Paula majorennis habet parentes in C, et, laborandi causa, moratur in parochia D, exinde singulis ferme quindenis ad domum paternam remeans. Porro cum sponso accedit ad parochum de C, matrimonium initura, cui matrimonio inhæsitanter assistit laudatus parochus, reputans sponsam esse parochianam suam, ratione paterni domicilii quod ab ipsa servari censet. Acta autem matrimonii celebratione, audit parochus sponsos, nonnullis jam ante nuptias diebus, domum locasse in D, ac in ea sponsam habitasse cum sponso, ea tamen lege ut sponsa nonnisi de die ibidem degerit, dum noctem, apud sororem intra ejusdem paræciæ D fines, transegerit.

---

(1) *Nouv. Rev théol.*, t. XXI, p 20 ss.; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 281 ss.

(2) Ita ex una parte videat parochus ne, propter exceptionem a norma pro 1ª communione peragenda statuta, difficultates suscitentur pro regula in alios urgenda, et ex alia parte curandum habet ne ex nimia communionis dilatione admiratio forsan provocetur ac offensio penes illos qui norunt aliquem puerum jam in mortis periculo communicasse.

Quæritur utrum validè celebratum fuerit matrimonium ?

Respondetur favendum esse valori matrimonii in casu.

Ratio est quia Paula nupturiens censetur conservasse domicilium parentum usque ad ipsum celebratum matrimonium. Poterat quidem, utpote majorennis, dicto domicilio renuntiare, sed eam ipsi non valedixisse liquet ex frequenti ejus ad domum paternam remeatu.

Nec officit quod aliquibus diebus ante matrimonium discessit ad parochiam D, cum intentione ibidem post nuptias manendi : hujusmodi namque a paternis ædibus discessus de se non importat, uti docuimus, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 356 s. *definitivam renuntiationem* domicilio parentum, quæ renuntiatio definitiva redditur dumtaxat post nuptias celebratas, nisi de expressa voluntate contraria constet : quod hic non obtinet.

Renuntiatio nimirum, si eam importat descriptus discessus sponsæ in locum in quo, post conjugium, est habitatura, non est nisi *provisoria* et *quasi conditionata,* ejusque ratihabitio definitiva pendet ab implenda conditione matrimonii ineundi : « cum sponsis perspecta sit, arguit Wernz, in *Voto*, apud *Collat. Brug.*, l. c., relato, incerta sors nuptiarum... domicilium in domo materna non solent deserere ante nuptias celebratas, ne rem certam cum re dubia commutent ». Quodsi dubium quoddam remaneat, lex ipsa voluntatem sponsæ interpretata est, in jure Romano a foro ecclesiastico in hac re tacite admisso : « *ea quæ desponsa est, ante contractas nuptias suum domicilium non mutat* ».

Cui juris interpretationi favet etiam Causæ solutio, relata apud BASSIBEY, *De la clandestinité dans le mariage*, 1903, p. 135-136.

Nota. Paula igitur non habet domicilium in parochia D, licet nihil obstat quominus ibidem contraxerit quasi-domicilium, juxta dicta superius sub responso ad III^m^. Ratio autem cur non acquisierit domicilium, uti ex dictis liquet, est in hoc quod censetur sponsa

non valedixisse domicilio paterno in C: ratio proinde non est, uti ex expositis innui videtur, quia, in parochia D, in domo locata, diem, in altera, noctem transigebat sponsa Paula: domicilium namque matrimoniale attenditur non ratione domus, sed ratione parochiæ, in qua habitatur, ita ut domicilium acquiratur per factum realis habitationis cum intentione definitive ac perpetuò manendi *intra terminos ejusdem paræciæ,* in diversis licet ædibus.

A. De Smet.

VI

De portione canonica.

Q. Utrum in casu quo aliquis homo moritur in hospitali et ibidem ejus fiunt exequiæ, rector hospitalis tumulantis proprio defuncti parocho solvere debet portionem canonicam?

R. Cum portio canonica debeatur quotiescumque defunctus extra ecclesiam propriam, quacumque de causa, legitime in aliena tumulatur, *de jure communi* portio canonica debetur propriæ ecclesiæ defuncti ab hospitali exempto tumulante. Quæstio tamen est in concreto examinanda. Etenim existere posset in casu consuetudo localis contraria, vi cujus parochus defuncti quartam funeralem exigere non valeret (1).

VII

De Benedictione puerperarum.

Q. Vigebat olim in diœcesi brugensi consuetudo a *Pastorali* probata, vi cujus puerperæ a parocho vel alio sacerdote ex ipsius licentia benedictionem recipiebant (2), et quidem in ecclesia parochiali tantum et

(1) Cf. *Causam Papien.* (Pavie) Funerum d. 20 Jan. 1906, ap. *Analecta ecclesiastica*, 1906, t. XIV, p. 335 ss.; *Nouv. rev. théol.*, 1907, t. XXXIX, p. 37 ss.

(2) Tit. *De introductione mulieris in ecclesiam post partum.*

non domi. Porro, Sacra Congregatio Concilii episcopo cuidam, qui postulatum proposuerat litteris 17 Jan. 1896 (1) circa benedictionem mulieris post partum, communicari mandavit decretum S. C. Rituum diei 13 Junii 1893 (2), quo statuitur hanc benedictionem fieri debere a parocho, si expetitus ipse fuerit, *posse* autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiæ.

Nihilominus *Compendium juris canonici* in Seminario classicum (nº 483, editionis 6ᵉ, t. I, p. 412; editionis 7ᵉ, p. 401) videtur docere jus antiquius particulare nostrum non ideo fuisse abrogatum.

Quoniam autem contingit sacerdotes absque parochi licentia, puerperas ad benedictionem in oratoriis semipublicis admittere, *quæritur quænam sit hodie quoad hanc benedictionem disciplina in diœcesi brugensi servanda.*

R. Ea disciplina apud nos est servanda quæ a *Pastorali brugensi* imponitur et a præfato *Compendio juris canonici* recte proponitur. Ratio est, quia decreta recentiora supracitata jus nostrum particulare nequaquam abrogaverunt.

Circa benedictionem mulierum post partum hæc habet decretum generale 10 Dec. 1703 (3), ad VI: « An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, ovorum et similium sint de juribus mere parochialibus ». Responsum est: « Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri *debere* a parochis ». Inde jus commune aperte favebat juri exclusivo parochorum, eo vel magis quod decretum U. et O. anni 1703 variis decretis particularibus S. C. C. (4)

(1) Non autem litteris 17 Jan. 1897, cf. *Analecta ecclesiastica*, 1896, t. IV, p. 222; *Nouv. rev. théol.*, 1896, t. XXVIII, p. 640.

(2) In nova Guardelliana, nº 3813, diei 21 Nov. 1893.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. I, in append. p. 577.

(4) Citantur causæ 31 Martii 1759 ap. *Thes. resolut. S. C. C.*, t. 28, p. 8, 21, 28; 26 Apr. 1788. *ibid.* t. 57, p. 42 ss.

confirmatum fuerit. Ex quibus apparet jus nostrum particulare meram hujus legis generalis observantiam imposuisse.

Nihilominus non ita concorditer ab omnibus, hæc functio ut parochialis habita est (1); tum propter usum variis in locis discrepantem; tum maxime propter decreta S. C. C. particularia (2) in contrarium facientia. Quibus accedit recens decretum a. 1896, quod etiam, prouti videtur, ut formaliter particulare habendum est. Sed, uti optime notat Feye, *l. c.,* nihil refertur in his causis de earum circumstantiis; quare, stantibus generalibus decretis a. 1703, dicendum est in casibus prædictis adfuisse titulum sive consuetudinis sive statuti episcopi sive alium, quo cessaverat in iis locis benedictio illa esse functio parochialis.

Quin imo, etiam si Decretum a. 1896 ut formaliter aut æquivalenter generale habendum esset (3), tamen censemus non eo abrogatum fuisse jus consuetudinarium in nostra et aliis Belgii diœcesibus vigens (4). Agitur enim de consuetudine particulari secundum jus, quæ legem dubiam juxta certum et definitum sensum obligatorio modo observandam esse statuit et quæ per legem generalem contrariam non corruit.

A. De Meester.

---

(1) Cf. Feye, tract. autogr. *de parochis*, p. 226 s.; Piat, *Prælectiones juris regularis*, t. II, p. 362 s.; *Monitore ecclesiastico*, 1906-1907, t. XVIII, p. 276.

(2) Diei 19 Maii et 9 Junii 1708, ad X, ap. *Thes.*, t. 9, p. 499; 3 Dec. 1718 et 7 Dec. 1720, *ibid.*, t. I, p. 208, 647 s; cf. Feye, *l. c.*

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 483; *Nouv. rev. théol.*, *l. c.*

(4) Piat, *o. et l. c.*, nota 4 ubi citantur statuta diœc. gandav. et mechlinien.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

—

I

Explica Ep. Jud. 17-21.

II

An et cur judicium, ex quo procedit actus voluntatis meritorius de condigno, debet esse entitative supernaturale?

III

Titius viduus matrimonium init cum Titia vidua, cujus filia Bertha nubit Carolo, filio Titii. — Carolo mortuo et Titia defunctâ, Titius nuptias inire ambit cum præfata Bertha.

Expone quodnam obstet et undenam oriatur impedimentum: 1/ matrimonio Caroli cum Bertha; 2/ matrimonio Titii cum Bertha.

IV

Anna post mortem Petri conjugis nuptias ambit cum Paulo fratre defuncti mariti, desponsato nepti (nièce) Annæ, cum qua nepte idem Paulus olim copulam habuit.

Determina, breviter explicando, impedimenta matrimonio Pauli cum Anna opposita.

V

Caius, vivente uxore, adulteratur cum Paula, eique promittit matrimonium post mortem uxoris ineundum: quod ut citius contrahere valeant, communi consilio, veneno interimunt Caii uxorem.

Determina quot et ex quonam capite præsto sint impedimenta matrimonii inter Caium et Paulam.

VI

Quomodo absolvenda est cæremonia communionis infirmorum tum in cubiculo ægroti tum in ecclesia?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. *Ostende, textibus ex ipsa epistola desumptis, quænam fuerit occasio scribendæ I ep. S. Joannis et quisnam fuerit scribentis scopus.*

R. I. A. **Occasio.** *Ep. I S. Joannis, sicut Evangelium Joannis quod confirmationis gratiâ comitata fuerit, præcipue scripta est occasione periculi quod pro ecclesiis Asiæ Minoris ex propagatione falsæ christologiæ Cerinthi oriebatur. Secundarie ad I ep. exarandam Apostolus permotus fuit peculiaribus personarum locorumque adjunctis quæ genuinos mores christianos in discrimen vocare nata erant.*

B. **Scopus.** *Joannes in I Ep., quemadmodum in IV° Ev., primarie intendit inculcare Jesum esse Christum seu Messiam a Prophetis promissum et Filium Dei; præterea vitam vere christianam delineare voluit, inculcando in specie monita de fuga peccati et observantia mandatorum, de charitate fraterna necnon de vitanda participatione in cultu Ethnicorum.*

II. **Responsum explicatur et probatur** per partes textibus ex ipsa epistola adductis ad confirmationem.

A. **Occasio.** 1/ *Ep. I Joannis IV^m Ev. comitata fuerit* (1). Intima enim est utriusque scripti ad invicem relatio, ità ut a quibusdam I Jo. Evangelii præfatio vel supplementum dicta fuerit; minus recte tamen cùm IV^m Ev. et proprium prologum (I, 1-18) et proprium supplementum (c. XXI) habeat. Cùm utrobique eadem sit præfatio idemque scopus, epistola comes potius

(1) Identitas auctoris utriusque scripti datâ operâ probatur apud Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ catholicæ*, Brugis, 1907, p. 168.

Evangelii dicenda videtur, vel commentarius seu homilia in Evangelii textum (1). Epistola Evangelium comitabatur ad illud commendandum et confirmandum; ità *I Jo.* V, 13: « Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei ».

2/ Nihil mirum igitur si *utrumque scriptum eadem occasione editum fuisse* dicamus, sc. præcipue occasione periculi quod pro christianis Asiæ Minoris (2) ex propagatione falsæ christologiæ Cerinthi oriebatur.

Imprimis *pseudo-doctores* ab Ecclesia apostolica avulsi (II, 19), conabantur christianos Asiaticos ad sua placita perducere; ità *I Jo* II, 26: « Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos »; IV, 1: « quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum »; II, 18: « et nunc antichristi multi facti sunt ».

Errabant autem in doctrina christologica. Etenim negabant quoniam Jesus est Christus (II, 22); negabant « Filium » (II, 23); « *solvebant* Jesum », i. e. non confitebantur « Jesum Christum in carne venisse » (IV, 2-3 coll.); contra ipsos statuit auctor Jesum esse « Filium Dei », eumque « venisse per aquam et sanguinem... non in aqua solum, sed in aqua et sanguine » (V, 5-6). Non negabant quidem Messiam fuisse promissum, vel etiam ipsum in terris jam apparuisse, vel Jesum habuisse veram naturam humanam (3), sed « Jesum » negabant, i. e. infitiabantur personam historicam narrationis evangelicæ Jesum, esse Messiam et Filium Dei. Fatebantur quidem Jesum « in aqua » (baptismatis) venisse, verùm eum non venisse « in sanguine » (crucis) contendebant.

---

(1) Cf. PLUMMER, *The epistles of St John,* Cambridge, 1900, p. 34 s.

(2) Ad hos enim scripta est Ev. Jo. et I Jo. Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 165 s.; BELSER, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B., 1905, p. 339.

(3) Uti plures tenent, v. g. CEULEMANS, *Commentarius in Epp. Cath. et Apoc.*, Mechliniæ 1904, p. 117. In I Jo. non proprie dictum *docetismum* refelli egregie ostendit ZAHN, *o. c.*, t. II, p. 573 s.

Jamvero falsa hæc doctrina christologica in I Jo. impugnata, jure merito asseritur esse *doctrina Cerinthi ejusque asseclarum*, qualis ex S. Irenæo elucet. Scribit (1) enim Irenæus de Cerinthi doctrina: « Jesum autem subjecit, non ex virgine natum, (impossibile enim hoc ei visum est), fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium (2), similiter ut reliqui omnes homines, et plus potuisse justitia, et prudentia, et sapientia ab omnibus. Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quæ est super omnia, Christum figura columbæ; et tunc annunciasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse, et resurrexisse: Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem » (3).

Cerinthus igitur Christum inter et Jesum distinguens, identitatem Jesu cum Christo respuebat, adeoque Christum ipsum carnem assumpsisse et in carne passum esse, seu incarnationem et passionem personæ divinæ negabat. Concedebat quidem Christum Deum cum Jesu aliquo modo in baptismo fuisse unitum (4), sed « in fine » vitæ Jesu, hunc hominem dereliquisse ità ut solus homo Jesus passus fuerit. Per se patet hanc doctrinam identicam esse erroribus statim supra descriptis, quos in I Jo. confutatos reperire est.

Præterea S. Irenæus, discipulus mediatus S. Joannis

---

(1) *Adv. Hær.*, I, 26, 1.

(2) Si, quod Irenæus hîc testatur, Cerinthus virginitatem B. M. V. negavit, rite intelligitur *Jo.* I, 13-14.

(3) Cf. Kunze, *De historiæ Gnosticismi fontibus quæstiones criticæ*, Lipsiæ, 1894, p. 45 ss.; Huempel, *De errore christologico in ep. Joannis impugnato*, Erlangen, 1897; A. Camerlynck, *De quarti evangelii auctore*, t. I, Lovanii 1898, p. 73 ss.; t. II, Brugis, 1900, p. 207 ss.; Zahn, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, t. II, p. 572 ss.; Belser, *o. c.*, p. 340 s.

(4) Cf. etiam *Adv. Hær.*, III, 11, 7: « Qui autem Jesum separant a Christo et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum præferentes Evangelium, corrigi possunt ». Hæc pariter de Cerinthianis intelligenda arbitramur, qui Ev. Mc. præferebant propterea quod a narratione baptismatis Jesu exorditur.

Apostoli per S. Polycarpum, explicite testatur Apostolum conscripsisse quartum Ev. (adeoque 1am Epistolam) ut auferret « eum qui a Cerintho inseminatus erat errorem » (1).

3/ Occasionem ut ita dicam *secundariam* scribendi Apostolo præbuerunt *peculiaria quædam adjuncta personarum ac locorum,* quæ genuinos mores christianos in discrimen vocare nata erant. Quod hæc occasio Joannem præcipue non impulerit liquet imprimis ex eo quod conditio moralis lectorum generatim laudibus digna et periculo corruptionis non adeo obnoxia videatur ; dein ex facto quod defectus reprehendendi ex humana infirmitate potius quam ex pravis doctrinis moralibus oriundi appareant. Nihilominus juxta *I Jo.* III, 7-10, circa lectores reperiri videntur *pseudodoctores* (2) falso contendentes justitiam christianam cum peccato esse compossibilem seu sine observatione legis divinæ consistere posse (3).

Cùm præterea christiani *Asiatici* medii inter ethnicos moribus depravatos (*I Jo.* II, 16) et cultibus idololatricis deditos (*I Jo.* V, 21) degant, aliquale semper perversionis ac vetitæ in re religiosa communicationis periculum adesse apparet, contra quod lectores jure meritò præmuniendos auctor arbitratur. Neque obliviscamur in Apocalypsi II, 6 Ephesinam ecclesiam laudari quia « odit facta Nicolaitarum » quorum doctrina Pergami et Thyatiræ celebrabatur, quæque tria elementa

---

(1) Adv. Hær., III, 11, 1. Cf. Camerlynck, *o. c.*, t. II, p. 285 ss. Cerinthum Joanni Ephesino coævum fuisse, eumque Ephesi docuisse plures auctores meritò tenent.

(2) *I Jo.* III, 7 : « Filioli, nemo vos seducat ».

(3) Immeritò tamen quispiam autumaret errores morales ex impugnata falsa christologia fuisse oriundos, vel a Cerinthianis fuisse sparsos. Cf. Zahn, t. II, *o. c.*, p. 572. Immerito pariter contendere videtur Belser, *o. c.*, p. 341 in I Jo. refelli Cerinthianos judaizantes Legis Mosaicæ obligationem urgentes, majori ex parte Judæo-christianos. Cf. Camerlynck, *De quarti Evangelii auctore,* I, p. 76 ss.

præcipua complecti videtur: fornicationem, idolothytorum manducationem et « altitudines Satanæ » (1).

B. **Scopus** (2). *Primarie intendit Apostolus refellere errores dogmaticos circa personam Jesu Christi* (3). *Contra Cerinthianos ostendit:*

a/ *identitatem personæ Jesu, ex evangelica historia noti, cum promisso Messia.* Conferri possunt hæc loca: *I Jo.* I, 3, 7; II, 1, 22: « Quis est mendax nisi qui negat quoniam Jesus est Christus »; III, 23; IV, 2-3; V, 1: « Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est »; V, 6.

b/ *Hunc Jesum Christum (Messiam) esse Filium Dei frequenter inculcat.* Ita I, 3, 7: « Societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo »; II, 22-23; III, 8, 23: « Et hoc est mandatum ejus: Ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi »; IV, 15: « Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet »; V, 5: « Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? »; V, 9-11, 20.

c/ *Alte animis infigit Filium Dei seu personam divinam Jesum Christum incarnatum et passum esse ut genus humanum redimeret;* v. g. I, 7: « Sanguis Jesu Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato »; II, 22-23; III, 5, 8; IV, 2-3: « Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est »; IV, 9-10; V, 6: « Hic est (sc. Filius Dei v. 5) qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua

---

(1) *Apoc.* II, 12-24.

(2) Auctores quidam, uti SALMOND (apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible,* Edinburgh, II, p. 734) hunc finem assignant: scribit auctor ep. ut lectores societatem habeant cum ipso ejusque sociis, et dicta societas sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo (I, 3); ut auctor ejusque socii, visa ista societate « gaudium plenum » habeant (I, 4), utque sciant lectores se habere vitam æternam (V, 13). Verùm hic finis apparet omnino generalis et quasi ultimus seu remotus saltem, atque in omnibus fere epistolis N. T. reperitur. Assignari præterea potest ac debet finis magis proximus atque immediatus.

(3) Cf. *Jo.* XX, 31; *II Jo.* 7.

solum, sed in aqua et sanguine ». Testimonio autem quod Jesu Christi divinitati datum est in aqua baptismatis (1) et in sanguine crucis (2), accedit testimonium Spiritus, qui in Prophetis de Jesu velut de Messia et Filio Dei, testificatus fuerat. Quod triplex testimonium, revera nonnisi « unum » testimonium sunt divinum attestans: « quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est » (3).

2/ *Scopus moralis.* Præcepta moralia et principia dogmatica intime connexa apparent, nec ità facile sectiones morales a sectionibus dogmaticis secerni possunt (4). In monitis practicis inculcandis, stylo minus polemico utitur auctor. Etenim, ut jam observavimus, determinatos adversarios non insectatur, sed, occasione data, varias res a christianis faciendas monet vel fugiendas (maxime mundum perversum et triplicem concupiscentiam II, 15-17). Inter varia autem monita ac præcepta unum est quod frequentissime in hac ep., sicut in reliquis scriptis, commendat et lectorum animis instillat, ad quod continuo et cum voluptate redit, sc. *præceptum de charitate fraterna.* Ita maxime II, 7-9; III, 10-18; III, 23; IV, 7-12, 21; V, 2.

Contradictores tamen arguere videtur (II, 29; III, 12) qui lectores « seducere » (III, 7) conabantur, contendentes nempe christianam justitiam consistere posse cum peccatis contra Dei legem. Contra quos Joannes *fundamentalem oppositionem justitiam inter et peccatum* vigere, datâ operâ ostendit II, 29; III, 12.

Epistolam claudit (V, 21) *monitum de vitanda idolo-*

---

(1) *Mt.* III, 16; *Mc.* I, 10; *Jo.* I, 32-34.

(2) *Jo.* XIX, 34-37.

(3) *I Jo.* V, 7-9. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 169 ss.; 207 ss.

(4) A. c. I, 5 — II, 17 præcipue morum præcepta inculcantur, dum a. c. II, 18 — IV, 6 magis proponuntur veritates dogmaticæ. Pars IV, 7 — V, 21 tam moralis quam dogmatica esse apparet. Ut tamen epistolæ argumentum analysi logicæ aliquatenus subjici possit, aliæ divisiones usurpari posse videntur. V Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 179 s.

latria, vel saltem quacumque participatione in cultu Ethnicorum (1).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Quæritur utrum et quo modo actus, ut sint de condigno meritorii, debeant referri in Deum.*

R. I. **Prænotandum.** Ut propositæ quæstioni clare possimus respondere, imprimis consideremus oportet alium esse modum loquendi de hac re apud *S. Thomam,* alium apud *posteriores theologos,* nominatim diversam esse significationem locutionis: relatio *virtualis.*

A POSTERIORIBUS THEOLOGIS distinguitur quintuplex *relatio* in Deum:

a/ *habitualis*, quæ consistit in sola existentia habitus charitatis in supposito, quando aliquod bonum opus operatur;

b/ *actualis*, quæ consistit in actu charitatis actualiter movente ad actum alterius virtutis et illum in finem suum, Deum propter se dilectum, ordinante;

c/ *objectiva*, quæ consistit in actu charitatis olim elicito et nunquam retractato, qui tamen non amplius virtute durat, qua moveat ad agendum;

d/ *virtualis*, quæ consistit in actu charitatis olim elicito et adhuc permanente non quidem in se (sic enim esset actualis) sed *virtute* in alio actu ad quem movet vel quo mediante movet ad alium actum (2);

---

(1) Juxta decretum apostolicum *Act.* XV, 20, 29; cf. XXI, 25. ZAHN, *o. c.*, t II, p. 571.

(2) Exemplo res declarari potest: Si quis statuat ire Romam, mediaque ad hunc finem adhibet, in hunc etiam finem refert omnes actus suos qui ad illum finem conducunt. Unde quando parat sarcinas et alia itineri inservientia in his actibus virtualiter manet illa prima intentio, etiamsi actu non cogitet de faciendo itinere. Si vero aliquid aliud agat, cum hoc fine non connexum, puta comedere, bibere, non facit illos actus ex fine eundi Romam.

e) *connaturalis,* quæ non nascitur ex *præcedenti actu* sed ex *necessaria connexione* inter aliquam *virtutem* et *virtutem charitatis :* consistit in naturali inclinatione actus alicujus virtutis in finem charitatis (1).

S. THOMAS distinguit relationem *habitualem, actualem, virtualem. Habitualis* relatio est totius hominis et omnium suorum facultatum in Deum ordinatio per gratiam sanctificantem et charitatem, quæ sunt habitus animæ inhærentes : sic remanet homo habitualiter ordinatus ad Deum etiam dum dormit et nihil operatur, etiam dum peccat venialiter (2).

Actualis relatio habetur quando homo cogitando de Deo hìc et nunc ordinat ad Deum suam operationem.

Virtualis adest relatio ex hoc ipso quod homo, *habitualiter* ad Deum *conversus* per charitatem, *agit* aliquid quod est *moraliter bonum :* hæc actio, sine ulla alia conditione, est virtualiter relata in Deum. Unde, secundum S. Thomam, virtualis relatio non supponit aliquem actum charitatis præcedentem *ex cujus influxu* procedat, seu a quo, saltem mediate, *dependeat* illa actio quæ dicitur virtualiter relata, sed virtualis relatio habetur ex hoc solo quod *finis operis,* intentus ab agente, tendat, natura sua, ad finem ultimum. Audiamus S. Doctorem : « Omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod semper de Deo cogitetur : hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ ; sed quod omnia *virtute* referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod, sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus ; ita etiam intentio principalis finis *virtute* manet in omnibus finibus secundariis : unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem ; sicut

(1) Cf. SUAREZ, *De Gratia,* L. XII, c. 9, n. 1 ; CARD. MAZZELLA, *De Virtutibus infusis,* Romæ, 1884, n. 1341 ; HURTER, *Compendium Theologiæ dogmaticæ,* Œniponte, 1896, T. III, n. 229.

(2) Cf. S. THOMAS, *De caritate,* q. unic a. 11, ad 3 ; II-II^æ, Q. XIV, a 8.

medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis se ipsum ordinat in Deum, sicut in finem; in omnibus quæ propter se ipsum facit manet virtute intentio finis ultimi, qui Deus est; unde in omnibus mereri potest, si caritatem habet » (1).

« Ad hoc quod aliquis sit actus meritorius in habente caritatem, non requiritur quod actu referatur in Deum, sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui habitu refertur in Deum; sicut si aliquis volens peregrinari propter Deum, emat equum, nihil actu de Deo cogitans, sed solum de via quam jam in Deum ordinaverat: hoc est enim meritorium (2). Sed constat quod ille qui habet caritatem, se et omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiam si actu de Deo non cogitet; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit *referibilis* in Deum. Sed hoc non potest esse quin sit peccatum saltem veniale. Ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius, vel est peccatum » (3)

II. Hisce præmissis respondemus: actus, ut sint meritorii, debent referri in Deum implicite, h. e., VIRTUALITER, secundum quod intelligitur a S. Thoma hoc vocabulum: hæc autem virtualis relatio duo importat, nempe *habitualem ordinationem* hominis ad Deum

---

(1) *De caritate,* q. unic., a. 11, ad 2. — « On le voit par ce passage, les termes *ordination, relation virtuelle* n'ont pas chez S. Thomas le sens qui leur est donné par les théologiens plus modernes. Chez ces derniers, l'acte *virtuellement* rapporté à la gloire de Dieu, fin de la charité, doit dépendre, médiatement au moins, d'un acte antérieur de charité, tellement qu'il ne serait pas, si l'influence de cet acte antérieur faisait totalement défaut. Pour S. Thomas, il suffit à la relation virtuelle que la fin particulière, objet de l'acte, s'harmonise avec la fin dernière, et que *l'agent* demeure *habituellement* ordonné vers cette fin de la charité ». TERRIEN, *La grâce et la gloire,* Paris, 1897, T. II. p. 47, note 2.

(2) Ut patet in sequentibus, emptio equi, secundum S. Thomam, non est meritoria, *quia* fit *ex influxu* alicujus actus præcedentis, sed *quia finis* emptionis est referibilis in Deum.

(3) *De Malo,* Q. II, a. 5, obj. 11 cum sol.

per charitatem, ac *operationem* cum intentione finis operis qui sit referibilis in Deum. Hoc porro idem statuit ac sententia modernorum qui tenent non requiri nisi relationem *connaturalem*.

Ratio autem hoc admittendi est quia, cæteris suppositis conditionibus, quando adest virtualis relatio, suprà ad mentem S. Thomæ explicata, jam nihil in actione videtur deficere a vero obsequio præstando Deo: consequenter nihil deest ut opus sit meritorium (1).

Adnotatio. 1. Secundum exposita, homo qui semel fecit actum perfectæ charitatis, ideoque se suaque omnia in Deum retulit, quamdiu per mortale peccatum illam non retractavit ordinationem, reddit meritoria omnia sua opera moraliter bona. Igitur ut operationes bonæ acquirant rationem *meriti* non requiritur ut homo frequenter offerat explicite Deo omnia sua opera: sufficit enim *virtualis relatio* quam exposuimus. Præterea explicita oblatio, facta v. gr. initio diei, *per se sola* non est actus *imperans* alias operationes et proinde in has non necessariò exercet realem influxum. Ideo explicita relatio in Deum, quæ requiritur ut opera evadant meritoria non differt ab ipso actu charitatis qui præsupponitur, et ille actus in tantum repeti debet in quantum hæc repetitio exigitur *ad observandum præceptum charitatis*.

Hæc est S. Thomæ doctrina, quæ sic exponitur:

« Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet quod intentio actua-

(1) Non sufficit *habitualis* relatio quia cum illa potest homo nihil agere: qui vero nihil agit, non meretur; imo, remanente habituali relatione, potest homo peccare venialiter; peccando autem nemo meretur. Ad rem S. Thomas: « Habitualiter refert in Deum et qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendens, ut dormiens; sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto; sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto caritatis; cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem. *De caritate*, l. c.

lis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni quæ dicitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum; hoc nihil aliud est quam quærere quando oportet habitum caritatis exire in actum: quia quandocumque habitus caritatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi » (1).

2. *Non* tamen *inutilis* est censenda illa piorum hominum *praxis qua initio uniuscujusque diei opera sua offerunt ad Dei gloriam* in unione cum Christi meritis. Nam: 1°, ejusmodi oblatio, maxime initio diei, est opus optimum charitatis et ideo est *valde meritorium;* deinde est etiam, si recte fiat, *impetratorium;* 2°, hæc intentio, præsertim si ferventer fiat, realiter sæpe, quamquam non advertatur, influit in actiones subsequentes, ex quo influxu fit ut istæ actiones, præter meritum quod de se habent, alio merito longe altiore et nobiliore adaugeantur, eo videlicet quod opera mutuantur ex motivo charitatis in illa influente (2); 3°, hæc oblatio includit propositum vitandi omnia peccata et consequenter juvat hominem ut, de facto, per diem evitet peccata; quod auxilium eo majus erit quo ferventius fit hæc oblatio; præsertim efficax erit si jungitur cum illo rerum in die agendarum conspectu, quem ascetici vocant *examen prævisionis*, quo in concreto applicatur, pro die incipiente, materia examinis particularis; 4°, tandem hæc oblatio impellit hominem ut actus virtutis *ferventiores* eliciat: quod omnino notandum est in præsenti materia; nam valde probabilis, ut videtur, est illa sententia quæ tenet actus *remissos* non obtinere *actu* augmentum gratiæ ac virtutum, quia, in hypothesi, non disponitur

(1) S. Thomas, in II, D. XL, Q. I, a. 5, ad 6.
(2) Cf. Schiffini, *De gratia divina*, Friburgi Br. 1901, p. 686, n. 391.

homo ad hoc augmentum (1). — Nemo non videt quam efficax sit ad vitam supernaturalem augendam ut pluries in decursu diei iteretur talis oblatio.

J. Van der Meersch.

III

Q. Proba, contra Protestantes et Græcos, doctrinam catholicam de omnimoda indissolubilitate matrimonii rati et consummati, etiam in casu adulterii, non infirmari ex S. Matthæi, c. V, 32 et XIX, 9.

Prænotandum.

Matrimonium, uti suprà, *Collat. Brug.*, XII, p. 106 ss., ostendimus, est *jure naturæ* indissolubile, ita tamen ut a jure naturæ *primario* excludatur dissolubilitas *arbitraria,* a solo autem jure *secundario* dissolubilitas *infrà certos limites restricta.*

Unde deduximus *auctoritate divina,* in jure naturæ secundario dispensante, matrimonium, in quibusdam determinatis adjunctis, posse dissolvi, posita scilicet aliqua causa, sive per generalem dispositionem, sive per singularem dispensationis actum, in casu particulari; Deum etiam hanc potestatem exercere posse *mediante Ecclesia* ministerialiter agente.

Porro ex infra dicendis liquebit reipsa hujusmodi dari adjuncta in quibus, Deo sic providente, immediatè vel mediatè, matrimonii vinculum disrumpi queat, ac potestatem matrimonium, positis ponendis, dissolvendi de facto fuisse concessam Ecclesiæ. Atvero tenet catholica doctrina huic dispensandi potestati ecclesiasticæ jure divino subtractum esse penitus matrimonium *ratum et consummatum* (2), ac nullam dari, sub œconomia

(1) Cf. S. Thomas, I-II^{æ}, Q. LII, a. 3; Q. CXIV, a. 8, ad 3; II-II^{æ}, Q. XXIV, a. 6; Cajetanus, in I-II^{æ}, Q. LII, a. 3; Billot, *De Virtutibus infusis,* Romæ, 1901, p. 44.

(2) Matrimonium ratum et consummatum est matrimonium inter baptizatos validè contractum, vel in infidelitate initum ac, per utriusque Baptisma, sacramentum effectum (ratum), quod matrimonium ratum *secuta est* copula *de se apta generationi* (consummatum).

nova, causam ob quam a Deo concessa sit dicti matrimonii dissolutio (1): in specie sub anathemate urget Concilium Tridentinum Ecclesiam non errare « quum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi ».

Hæc doctrina de indissolubilitate matrimonii rati et consummati, omni subtracta Ecclesiæ dispensandi facultate, ac omni exclusa dissolutionis causa, etiam ex causa adulterii alterutrius conjugum, hæc, inquam, doctrina est vindicanda contra Protestantes et Græcos, tam schismaticos quam unitos, ad Mt., V, 32 et XIX, 9, provocantes (2).

Differunt autem inter se utriusque speciei adversarii, quatenus Græci, saltem uniti, secus ac Protestantes, non directe nec explicitè erroris accusant Ecclesiam Romanam, docentem matrimonium ratum et consummatum non posse solvi ex causa adulterii, ac adeo non subsunt anathemati per Tridentinum canonem 7° lato (3).

---

(1) Potuisset sanè Deus indulgere ut, etiam sub lege evangelica, ipsum matrimonium, inter christianos consummatum, ex quibusdam causis dissolvatur; ac potuisset Ecclesiæ dare potestatem dictum matrimonium dispensando dissolvendi; sed neutrum a Deo esse factum ex ecclesiasticis documentis compertum est: « In tanta autem confusione sententiarum quæ serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte conjuges, quæcumque demum caussa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit ». Leo XIII, *Arcanum*.

(2) Praxim Ecclesiæ Russicæ exhibet *Revue Augustinienne*, 1906, p. 378: « *Mariage mixte et divorce en Russie* ».

(3) Notum est Patres Tridentinos priorem decreti redactionem, juxta quam directe sub anathemate urgebatur matrimonii indissolubilitas ex capite adulterii, mutasse, id postulantibus legatis Venetis, ita ut anathema solos Ecclesiam Latinam erroris accusantes, nec adeo Græcos, attingeret. De quo cf. Theiner, *Acta genuina Conc. Trid.*, II, ubi, p, 312, priorem formulam et, p. 338, petitionem reperies oratorum Reipublicæ Venetiarum.

Attamen in re, quod spectat ipsam doctrinam et non docendi modum, idem, in utraque formula, proponitur, ac propugnantes et practice ap-

RESPONSUM.

Tenendum est, contra quosdam Interpretes, in oppositis textibus agi de legitimo (1) matrimonio christiano (2), (quod supponitur consummatum), ac fornicationem poni pro fornicatione matrimonium consequente, seu pro adulterio (3); quo posito, objicientibus respondemus:

Illi versiculi Mt., V, 32 (4), et XIX, 9 (5), non sunt in hunc sensum interpretandi, quasi docerent, juxta adversariorum placita, matrimonium posse quoad vinculum dissolvi ex causa adulterii, sed possunt conciliari cum doctrina catholica de omnimoda ejusdem matrimonii indissolubilitate. Quod probamus

---

plicantes, uti faciunt Græci, matrimonii dissolubilitatem, ex causa adulterii, si non hæreseos, indubii saltem erroris ejusque hæresi proximi arguuntur. Non est proinde cur decretum conciliare prodatur ceu decretum disciplinare, sed doctrinale est dicendum, ac in eo authentice docetur matrimonium, in casu adulterii, solvi non posse Illogice etiam procedunt, dum contra Latinos theoretice et practice vindicant matrimonii dissolubilitatem, et Latinos contrarium urgentes nolunt erroris accusare. Cf. PERRONE, *De Matrimonio christiano,* III, pp. 359-388; PALMIERI, *Tract. de matrimonio christiano,* p. 141 s.; SASSE, *De Ecclesiæ Sacramentis*, II, p. 415 s., 426 ss.; VACANT, *Dictionnaire de Théologie catholique*, V° *Adultère* (L') et le lien du mariage d'après le Concile de Trente, col. 498-505.

(1) Quibusdam placuit ibidem agi de unione fornicaria, quasi Christus dixerit, conjugium tunc tantùm solvi posse quando est unio fornicaria: cui explicationi contradicunt textus et contextus, qui solum intendunt matrimonium ritè contractum.

(2) Alii voluerunt Christum locutum esse in citatis locis de matrimonio Judæorum solvendo in casu adulterii: contra quos clamat integer contextus, ex quo manifestissime patet oppositionem fieri ad matrimonium Hebræorum. Cf. V, 31-32 et XIX, 8-9.

(3) Auctores quidam fornicationem immeritò intelligunt de fornicatione stricte dicta, matrimonium antecedente, quæ esset ratio solvendi matrimonium posteà initum: cujus tertiæ sententiæ expositionem ac refutationem videsis apud PERRONE, l. c. p. 161 ss.

(4) « Ego dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit adulterat ».

(5) « λέγὸ δὲ ὑμιν ὅτι ὅς ἂν ἀπολήσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχαται ».

A/ **Indirecte**, quatenus plura obstant quominus dicta adversariorum interpretatio admittatur :

1°/ Obstat jam ipsa oppositio inducta inter imperfectionem mosaicæ et perfectionem novæ œconomiæ circa matrimonium, quatenus, sub nova Lege, matrimonium reducitur ad pristinam firmitatem : huic nempe fuit derogatum indulgendo duritiæ cordis Hebræorum, quæ derogatio nunc est tollenda. Cf. V, 31-32 ; XIX, 8-9.

2°/ Obstant loci paralleli Marci, X, 11 (1), et Lucæ, XVI, 18 (2), in quibus absolute et absque restrictione Christus urget mœchari illum qui, uxore dimissa, aliam ducit.

3°/ Obstat alterum incisum versiculi 32[i], apud Mt., V, (3) : ibi enim absolute et illimitatè enuntiatur : qui dimissam duxerit mœchatur ; quod non esset verum si dimissa ob adulterium esset soluta a vinculo, uti contendunt plerique Protestantes et Græci (4).

4°/ Obstat inconveniens non exiguum, quod nempe, in sententia adversa, mulier adultera dimissa melioris conditionis esset quam mulier dimissa innocens, quodque hujusmodi disciplina præberet incitamentum adulterii (5).

---

(1) « ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν ».

(2) « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur ».

(3) Deest hoc incisum, in editione Græca NESTLE, apud Matthæum, c. XIX, 9 ; cf. tamen KNABENBAUER, *Commentarius in Evang. sec. S. Matthæum*, II, p. 138, ubi refert codices in quibus incisum adest vel desideratur.

(4) « Gerade diese ausnahmslose Fassung zeigt deutlich, dass von irgend einer erlaubten und darum auch vor Gott gültigen Entlassung keine Rede ist ». B. WEISS, *Das Matthäus-Evangelium*, 1898, Göttingen, p. 118, ubi etiam dicit esse ganz willkürlich objicere in secundo inciso subintelligendam esse eamdem ex primo inciso exceptionem « nisi ob fornicationem » ; idque eo vel magis, quod, uti notat ZAHN, *Das Evangelium des Matthäus*, Leipzich, 1903, p. 240 : « die Wiederholung wesentlicher Satzteile in parallelen Darstellungen ähnlicher Fälle die Regel ist », quemadmodum v. gr. apparet paulò infrà, apud Mt., c. VI, 4, 6, 18.

(5) « Tum enim adulteræ mulieri quasi præmium tribueretur a Christo,

5°/ Tandem si vinculum disrumpi posset ratione adulterii, non fuisset ratio discipulis adeo reclamandi contra duritiam legis matrimonialis. Cf. Mt., XIX, 10.

B/ **Directe,** quatenus apta potest proponi illorum textuum interpretatio quæ concordet cum doctrina catholica de omnimoda indissolubilitate, ac excludat dissolutionem matrimonii ex causa adulterii, licet prima fronte id ægre fieri posse videatur, cum pronum censeatur, ex sententia Christi ibidem prolata, concludere: ergo qui dimiserit uxorem propter fornicationem *non* facit eam mœchari, — qui dimiserit uxorem ob fornicationem et alteram duxerit *non* mœchatur (1).

Nimirum 1°/ quod spectat Mt., V, 32, etiamsi hæc conclusio esset legitima: « ergo, qui dimiserit uxorem adulteram *non* facit mœchari » (2), inde nondum sequeretur matrimonium quoad vinculum solvi: simpliciter scilicet affirmaretur viro uxorem adulterantem dimit-

---

ut, vinculo prioris matrimonii soluto, impune transiret ad alia vota, dum mulier innocens et pudica quæ a viro injuste repudiaretur ad perpetuam continentiam obligaretur. Nonne ita via aperireretur plurimis sceleribus? Et si quis in matrimonio multas cum uxore experiretur molestias vel amore libidinoso caperetur, nonne quam maximum existeret incitamentum ad adulterium committendum, si quamprimum eo peccato ipsum vinculum matrimonii solveretur? » KNABENBAUER, *Commentarius in Evang. sec. S. Matthæum*, 1892, I, p. 226.

(1) Cf. TURMEL, *Histoire de la Théologie positive*, Paris, 1904, p. 157 s., et p. 349, qui, priori loco citato, nimis facile agnoscit S. Epiphanium et S. Basilium erroneè interpretatos esse S. Mt, ejusdemque erroris reum suspicatur Tertullianum. Quod valet etiam de pluribus aliis auctoribus catholicis, uti, data opera, ostendetur; inter quos SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes*, Gratz, 1898, p. 543 s.; E. PHILIPPE, apud *Canon. Contemp.*, 1902, p. 207; FREISEN, *Geschichte des Canonischen Eherechts*, Paderborn, 1893, p. 772; CIGOI, *Die Unauflösbarheit der christlichen Ehe*, Paderborn, 1895, p. 31 s.; SOUARN, *Dictionnaire de Théol. cath.*, V° *Adultère* (L') et le lien du mariage d'après les Pères, col. 481 s.

(2) Juxta ZAHN, l. c., p. 238, potius nihil est ex verbis Christi concludendum pro hypothesi dimissionis factæ ex causa adulterii, et mere abstrahitur ab illa quæstione: « Wenn nun Jesus von dem Urteil über den Mann, welcher sein Weib entlässt, den Fall ausnimmt, dass Unzucht als Grund der Scheidung vorliege, so ist dem Wortlaut nichts anderes zu entnehmen, als dass in diesem Fall das Urteil nicht zutreffe ».

tenti non esse adscribendum peccatum ab uxore dimissa committendum, si cum alio viro commisceatur, siquidem usus esset jure suo (1); quo pacto *indirecte* enuntiaretur nuptias initas cum uxore, quacumque ex causa, etiam adulterii, dimissa, esse mœchiam, quemadmodum in altero inciso ejusdem versiculi 32i directe docetur.

2°/ Quod spectat Mt., XIX, 9, (2) interpretanda est sententia Christi:

vel a/ quasi esset elleptica ac sic integranda: qui dimiserit uxorem suam, quod non licet facere nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; ita ut exceptio casus fornicationis solum afficiat prius propositionis membrum « dimittere », cui soli membro grammaticaliter conjungitur (3).

Qua ratione hoc unicum posset deduci, uxorem scilicet posse dimitti ob fornicationem, dimissione quoad torum et cohabitationem, quin vinculum disrumpatur (4): ita sustineretur, in tota sua amplitudine, alterum Mt., V, 32i incisum; « qui dimissam duxerit mœchatur », et harmonice cum Mt. convenirent Mc., X, 11, Lucas, XVI, 18 et S. Paulus, 1a Cor., VII, 11.

vel b/ quasi hæc verba μὴ ἐπὶ πορνείᾳ et παρεκτὸς λόγου πορνείας significent, uti suprà jam notavimus pro cap. V, 32, Christum Dominum *abstrahere* ab illa hypothesi qua vir dimittat uxorem ob fornicationem, adeo ut, ne indirecte quidem, intenderit aliquid docere pro casu quo

---

(1) Posset etiam sic intelligi: vir repudians uxorem quam adulteram reperit, non facit eam mœchari, siquidem ipsa facto suo jam mœchata est.

(2) Idem valet de V, 32, pro quanto non placent dicta sub 1°.

(3) Analogum exemplum proponit QUINQUET DE MONJOUR, *Histoire de l'Indissolubilité du Mariage en France*, Paris, 1901, p 12: « Supposez une loi ainsi conçue: quiconque aura chatié son fils, sauf pour de graves raisons, et l'aura tué, sera puni. — Direz vous qu'en certains cas le droit est donné au père de mettre son fils à mort, et que l'excuse absolutoire, l'impunité assurée aux coups, doit s'étendre au fait de meurtre »?

(4) Hujusmodi dimissionem, quæ scil. vinculum relinquit intactum, quæque reconciliationi manet obnoxia, nitidè describit S. Paulus, 1a Cor., VII, 11: « Quodsi discesserit (uxor), manere innuptam, aut viro suo reconciliari ».

ejecta fuerit mulier adultera. Ita ZAHN, l. c., p. 583 s.: « Auch hier, wie V, 32, nimmt Jesus den Fall des durch Unzucht des Weibes erfolgten tatsächlichen Bruchs der Ehe, von seinem Urteil aus, ohne zu sagen, was in diesem Fall zu geschehen habe und zu urteilen sei »; ac infra: « Wie Jesus den Fall beurteilt haben würde, dass ein Mann aus unzureichendem Grunde sein Weib entlässt, ohne eine neue Ehe einzugehen, und den anderen Fall dass einer sein ehebrecherisches Weib verstösst, dann aber eine neue Ehe eingeht, *lässt sich aus dem Text nicht entscheiden* » (1).

Ex quibus omnibus ad abundantiam eruitur, ex S. Mt., ll. cc., nullatenus infirmari doctrinam de omnimoda indissolubilitate matrimonii rati et consummati (2).

Nota. In proposita solutione supponitur verba, ex quibus difficultas movetur « μὴ ἐπὶ πορνείᾳ et παρεκτὸς λόγου πορνείας reipsa pertinere ad orationem Christi Domini, quam referunt Mt. et Mc. Jamvero non immeritò forsan id in dubium vocari potest, nec gratuitò suspicetur aliquis Auctorem 1i Evangelii, sermonem dominicum referendo, dicta verba addidisse, non quidem alterando veritatem, sed ex inspiratione addendo in verbis Christi abstrahi a dimissione ob adulterium juxta modo dicta sub 2°, b/; vel addendo explicationis gratia verbis Christi, in modum parenthesis, dimitti quidem posse uxorem ob adulterium, salvo vinculo, ut sub 2°, a/.

---

(1) Simili modo S. Augustinus: « Cum dicimus: quicumque mulierem præter causam fornicationis a viro dimissam duxerit, mœchatur, de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus eum qui eam duxerit quam propter causam fornicationis maritus dimiserit ». KNABENBAUER, o. c , II, p. 144.

Hæc etiam solutio vitat difficultatem quæ potest oriri ex eo quod fornicatio indicetur tanquam *unica* causa divortii a toro et cohabitatione, cum plures dentur.

(2) Inter ipsos Protestantes non desunt Auctores, uti ZAHN et B. Weiss, quorum sententiam indicavimus, in hoc catholicis consentientes. Cf. etiam auctores citatos apud DER KATHOLIK, t. XXXIV, 1906, p. 310 s.: « *Die Bergpredigt und die Unauslöslichkeit der Ehe* ».

Reverà juxta opinionem indies magis vulgatam, Evangelium secundum Matthæum, quod præ manibus habemus, in sua confectione dependet, non secus ac Evangelium S. Lucæ, a Mc. et a Logia, et in specie Mt., cap. V, ostenditur derivari a Logia, cap. vero XIX, 9, a Mc., X, 11: quod ultimum signanter apparet manifestè vel ex obvia textuum græcorum inspectione.

Porro inter utramque relationem Mt., XIX et Mc., X, hanc alteram, utpote primævam, tamquam verba Christi pressius referentem, sine addita explicatione, accipere merito possumus, ita ut verba de quibus suprà non fuerint in genuina sermonis Christi relatione prolata. Ulterius autem præsumitur eadem verba occurrentia, c. V, 32, fuisse ex XIX, ob parallelismum translata, non autem desumpta ex Logia, eo vel magis quod desint apud S. Lucam, XVI, qui ex eodem fonte scriptum suum deprompsisse censetur.

IV

Q. *Determina potestatem R. Pontificis circa validi matrimonii dissolutionem.*

Prænotandum.

1°/ Matrimonium est *ratum*, seu sacramentum, quando est initum inter duos baptizatos, vel initum inter infideles, post nuptias utrosque baptizatos (1).

2°/ Matrimonium est *consummatum*, vel non, prouti conjugium valide contractum *secuta est* (2) copula de se apta generationi (3).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 32 ss.

(2) Copulà onanisticà vel undecumque non perfectà matrimonium non consummatur.

(3) Non refert quod copula matrimonium præcesserit; ad consummationem requiritur ut prævio matrimonio successerit, vel in ipso contracto matrimonio fuerit peracta. Nimirum, quemadmodum id exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. XI, pp. 635 ss,. ante Concilium Tridentinum, copula succedens sponsalibus, ipso facto, præsumptione juris et de jure, inducebat matrimonium illudque simul consummabat; ac etiam nunc potest copula sponsalitio contractui superveniens, si animo conjugali sit habita, eumdem effectum sortiri, in locis legi clandestinitatis non subjectis.

Unde 3°/ Matrimonium ratum, absque copula nuptias consequente, est matrimonium *ratum non consummatum.* — Matrimonium ratum, cui successit copula, est matrimonium *ratum et consummatum.* — Si copula secuta est quidem matrimonium, sed non qua ratum, utpote habita ante utriusque conjugis Baptisma, non est propriè neque ratum non consummatum, neque ratum et consummatum, sed potius *consummatum et ratum;* vel, si a nonnullis dicitur ratum non consummatum, constituit peculiarem speciem matrimonii hujusmodi.

Matrimonium *legitimum* erit consummatum vel non consummatum, prout copula ejus validam celebrationem secuta fuerit necne.

Jamvero, sub responso ad III^m Qu., vidimus matrimonium *ratum et consummatum* omnimoda indissolubilitate frui; hìc autem ostendemus *primo* matrimonium *ratum non consummatum* (et a fortiori legitimum non consummatum) *certò* posse dissolvi, ac *secundò* matrimonium *legitimum consummatum,* supposita alterutrius partis conversione, necnon *consummatum et ratum probabilius* dissolvi posse, auctoritate S. Pontificis. Et quidem

I/ Quod spectat Matrimonium **Ratum non Consummatum:**

A/ **Existentia** potestatis, penes S. Pontificem, hujusmodi matrimonia dissolvendi hodiedum jam non est dubia, cum passim ac inhæsitanter a R. Pontifice exerceatur (1): in quo usu certo ac constanti practice docetur ab Ecclesia potestatis existentia (2).

B/ **Origo historica** exercitii potestatis ascendit usque ad tempora Alexandri III (1159-1181). Nimirum tunc temporis celebris vigebat controversia inter Scholam

(1) Cf. varia exempla quæ affert De Becker, *De Sponsalibus et matrimonio,* ed. 1903, p. 418-419, in nota

(2) Cf. Palmieri, *Tractatus de Matrimonio Christiano,* p. 210 s.; Wernz, *Jus Decretalium,* IV, p. 1024, in nota ad n. 698, ubi, juxta Suarez, urget vim probandi hujusmodi usus.

Bolonienseni et Scholam Parisiensem circa naturam matrimonii (1): priores, duce Gratiano, docebant matrimonium non consummatum esse matrimonium initiatum dumtaxat, et non verum matrimonium, nec sacramentum, ac variis ex causis dissolubile (2), illud autem ex copula tandem accipere rationem perfecti matrimonii, sacramenti et indissolubilitatis (3); alii, præeunte Petro Lombardo, vindicabant rationem veri matrimonii, ejusque sacramenti, conjugio non consummato, solo consensu inito, eique omnimodam indissolubilitatem agnoscebant (4).

Porro Alexander III, qui, dum erat Magister Rolandus, adhæserat placitis Scholæ Bolononiensis, seu *Copulatheoriæ,* signanter in *Summa* (5), postquam ad S. Pontificatum fuit evectus, cœpit mediam quamdam inter utramque Scholam sequi viam: ex una parte matrimonio non consummato agnoscendo rationem veri conjugii et sacramenti, ex alia parte ipsi denegando absolutam, quam urgebat schola Parisisiensis, indisso-

---

(1) Circa solemnem hanc controversiam, quæ adeo magnum influxum exercuit in evolutionem juris matrimonialis, cf. FAHRNER, in egregio opere *Geschichte der Ehescheidung,* Herder, 1903, I, pp 123-146 et 169-193; ESMEIN, *Le mariage en droit canonique,* Paris, 1891. I, p. 95-139; SEHLING, *Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe,* Leipzig, 1885, p. 33-56.

(2) Causæ hujusmodi erant, juxta Gratianum, inter alias, votum, fornicatio, et signanter aliud matrimonium superveniens consummatum.

(3) Eorum theoria ideo vocabatur *Copulatheoria.* Matrimonium solo consensu initum nec copula consummatum appellabant sponsalia, et conjugem non cognitam dicebant sponsam, cognitam autem vocabant nuptam.

(4) Distinguebant inter sponsalia de futuro et sponsalia de præsenti: matrimonium ex solo consensu dicebant sponsalia de præsenti et promissionem futuri matrimonii, sponsalia de futuro: hisce autem sponsalibus de futuro applicabant varias solutionis causas quas Bolonienses, non distinguentes sponsalia a sponsalibus, admittebant pro matrimonio rato non consummato.

(5) Ita, pro matrimonio non consummato, agnoscit, præter alias causas dissolubilitatis, votum, affinitatem supervenientem, amentiam, non autem, sicut Gratianus, matrimonium superveniens consummatum. Cf. FAHRNER, o. c., p. 174, 185 s.

lubilitatem. Ita ex una parte, *contra Scholam Bolonienseni*, decernit, in cap. 3, X, IV, 4, matrimonium non consummatum per succedens matrimonium consummatum non dissolvi (1), et explicitè hanc solutionem urget « quamvis alii aliter sentiant et aliter etiam a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum » ; item clare admittit distinctionem Petri Lombardi inter sponsalia de præsenti et sponsalia de futuro (2); ex alia vero parte, *contra Scholam Parisiensem,* statuit matrimonium non consummatum esse dissolubile, signanter ex causa *voti* (3), vel *supervenientes affinitatis* (4), saltem publicæ, quo in duplici casu novas nuptias permittit ineundas post matrimonium copulà non consummatum: cæteroquin explicite declarat indissolubilitatem, de qua Christus loquitur in Evangelio, soli matrimonio applicari per copulam consummato (5).

Jamvero, quod sedulò nota, S. Pontifex, in moderanda hac sua disciplina, ostendit se habere matrimonium non consummatum, quoad ejusdem dissolutionem, *tanquam potestati ac jurisdictioni Ecclesiæ obnoxium,* adeo ut Ecclesia, in variis ampliationibus aut restrictionibus causarum divortii, *disciplinariter* procedere queat, pro opportunitate judicans de restrictione adhibenda vel extensione concedenda.

Et reverà aliter non explicatur quomodo Alexander III, in dubiis propositis circa dissolutionem matrimonii non consummati, suam decisionem det, dicendo: « *tutius* videtur... *convenientius* » (6); quomodo provocet, pro solvendo matrimonio non consummato, ad judicium Ecclesiæ; (7) — quomodo, pro superveniente affinitate,

---

(1) Item c. 4 (6) et 5 (7) *Compil. Antiqu.*, I, IV, 4.
(2) c. 6 (8) *Comp.*, I, IV, 4.
(3) c. 2 et 7, X, III, 32; collato tamen c. 5 (7) *Comp.*, I, IV, 4.
(4) c. 2, X, IV, 13.
(5) c. 7, X, III, 32.
(6) c. 5 (7), 4 (6) *Comp.*, I, IV, 4.
(7) c. 5 (7) *Comp.*, I, IV, 4: « cum... sine judicio Ecclesiæ separari non debeat ».

virtutem dissolvendi restringat ad casum quo crimen evaserit publicum; — quomodo non permittat matrimonium in una regione disrumpi propter eamdem causam, ob quam in alia regione, attenta diversa consuetudine, dissolvi indulgetur (1); — quomodo adeo facile solutionem admittat quam fatetur prædecessorum solutioni contrariam (3, X, IV, 4); — quomodo Innocentius III tanquam causam divortii abrogaverit superveniente affinitatem, ab Alexandro III admissam, ac Urbanus III admiserit lepram (2), ab Alexandro III et Innocentio III repudiatam (3).

Equidem non datur textus in quo ab Alexandro III vel Innocentio III, ad potestatem pontificiam dissolvendi matrimonium non consummatum explicitè provocatur (4); sed ex tota eorum agendi ratione eruendum videmus dissolubilitatem dicti vinculi dependere, infra certos limites, a dispositione Ecclesiæ, ab eaque dependere majorem vel minorem latitudinem in probandis solutionis causis, adeoque R. Pontificem super descripti matrimonii vinculo dispensare posse.

Jam inde ab ineunte sæculo 13°, Auctores nonnulli cœperunt potestatem S. Pontificis diserte vindicare contra alios, signanter theologos, contradicentes; ac sub exordio sæculi 15i citantur jam actus RR. PP., uti Martini V et Eugenii IV, per quos similem potestatem aperte exerceri liquet; sæculo autem 16° sæpius consuevit Ecclesia illa potestate uti, et indies auctus est numerus Auctorum dictæ potestati faventium, donec certo et unanimi consensu fuerit agnita (5).

---

(1) c. 2, X, IV, 15.

(2) Cf. FAHRNER, o. c., p. 196.

(3) Cf. etiam modum loquendi Innocentii III, circa virtutem Voti dissolvendi matrimonium ratum c. 14, X, III, 32, (ed. Friedberg), collato FAHRNER, o. c., p. 195.

(4) C. 2, X. IV, 13, in novi matrimonii concessione, *dispensatio* memoratur. Cf. tamen GILLMANN, *Zur Geschichte der kanon. Ehescheidung*, apud *Der Katholik*, 1904, t. 29, p. 209.

(5) Monuit suo tempore Bened. XIV, *Quæst. canon.*, qu. 279: «Nullam

Quam successivam doctrinæ Auctorum evolutionum, cum variis in utrumque sensum eorumdem argumentis, nitidè expositam videsis apud FAHRNER, o. c., p. 208-215, et 316-331 ; cf. etiam ESMEIN, o. c., I, p. 124-135.

C/ **Natura et exercitium potestatis.**

1°/ Ecclesia, ex una parte, dissolvendo matrimonium ratum non consummatum, non exercet potestatem quasi propriam, sed quasi ministerialem et instrumentalem, qua nempe utitur nomine et auctoritate Dei, cui soli competit, sive mediatè sive immediatè, dispensare in jure naturæ secundario : prouti explicavimus apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 111 s., collatis pp. 106 ss.

Ex alia parte veram exercet Ecclesia potestatem ac auctoritative relaxat vinculum matrimonii rati non consummati (1), ex virtute auctoritatis divinæ ipsi, infra certos limites, ministerialiter concreditæ (2): de quo cf. SANCHEZ, *De sancto matrimonii sacramento*, l. II, Disput. 14, n. 5, ubi etiam solvitur difficultas oriunda ex ratione sacramenti (3).

2°/ Ad ejusdem potestatis legitimum exercitium requiritur

a/ *causa proportionata*, quemadmodum logice sequitur ex ipsa natura potestatis quam in casu exercet R. P., quatenus scilicet non procedit ex auctoritate sibi in propriam concessa, sed ex potestate vicaria et ministe-

---

de potestate S Pontificis moveri amplius posse quæstionem, in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas et in praxi recepta, uti notorium est ».

(1) Solutio illa vinculi importat quod conjuges possint *validè* novum matrimonium inire, si aliunde non obstat impedimentum ; nonnunquam autem ipsis vel alterutri parti prohibetur ad nova vota transire, saltem inconsulta S. Sede.

(2) Circa quasdam recentiores adulteratas conceptiones potestatis pontificiæ, cf. FAHRNER, o. c., p. 337 s.

(3) « Dum dispensat (S. Pont.) in matrimonio rato, id facit destruendo fundamentum contractus humani ;... licet matrimonium ratum sit sacramentum, pendet tamen ex contractu humano tanquam ex fundamento ».

riali, adeo ut dispensatio absque juxta causa censenda foret nulla et invalida (1).

b/ *plena ac juridica probatio,* ad quam ritè stabiliendam variæ formalitates præscribuntur observandæ, quas confer apud WERNZ, o. c., p. 1025 ss., in nota ad n. 698, necnon apud DE BECKER, o. c., p. 419-420.

II/ Quod spectat matrimonium **legitimum consummatum** ac **consummatum et ratum**:

Probabilius affirmandum est S. Pont. posse dissolvere hujusmodi utriusque speciei matrimonium, illud nempe quod appellavimus consummatum et ratum, necnon matrimonium legitimum consummatum, modò alterutra pars per Baptismum fuerit constituta jurisdictioni Ecclesiæ obnoxia.

Ratio est 1°/ quia neutrò in casu habetur matrimonium ratum consummatum: non in altero casu, cum matrimonium infidelium, per *unius* partis Baptisma, non fit sacramentum, nec adeo ratum (2); non in priori casu, cum dictum matrimonium sit quidem ratum, non autem ratum consummatum, siquidem, juxta superius dicta, copula non est secuta matrimonium *qua ratum,* seu postquam, per utriusque Baptisma, sacramentum evaserit.

Jamvero videtur quod in litteratura ecclesiastica *solum* matrimonium *ratum et consummatum* prodatur qua absolutè indissolubile, ac ecclesiasticæ dispensationi penitus subtractum. Et ita, uti suprà notavimus, Alexander III, c. 7, X, III, 32, ad legitimandam suam concessionem novi matrimonii ineundi a viro cujus uxor religionem erat professa, addit soli matrimonio rato consummato applicari verba Christi Domini, omnimodam indissolubilitatem urgentis.

---

(1) Cf. FAHRNER, o. c., p. 331-334; GASPARRI, *Tract. canon. de Matrimonio,* II, n. 1081, ubi auctoritates citantur, et causæ justæ enumerantur nonnullæ; collatis SANCHEZ, o. c., II, Disp. 15, n. 6; SCHMALZGRÜBER, *In l. IV Decret.,* XIX, n. 51.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 34 ss.

Ulterius 2°/ potestas Ecclesiæ universim dissolvendi matrimonium in infidelitate initum, et post utriusque conjugis Baptisma non consummatum, eruitur ex pluribus documentis quibus censentur RR. PP. hujusmodi potestatem exercere: conjugi namque ab infidelitate converso novum matrimonium permittunt, adeoque invalidum pronuntiant prius matrimonium contractum et consummatum, in variis casibus in quibus nullatenus verificantur sed prorsus deficiunt essentiales conditiones casus Apostoli, adeo ut sola explicatio rationabilis sit recurrendi ad dissolutionem prioris matrimonii ex auctoritate Pontificia.

Ad illa documenta jam provocavimus eaque partim adduximus apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 549 ss.; reliqua autem citata et egregiè explicata videsis apud De Becker, o. c., p. 456-460, ubi etiam in utrumque sensum auctoritates afferuntur.

V

Q. *An, quodnam et quo jure matrimonium dissolvitur per* professionem religiosam?

Respondetur.

Per professionem religiosam *solemnem* dissolvitur *jure ecclesiastico* matrimonium *ratum non consummatum.*

Explicatio:

1°/ Dissolvitur matrimonium **ratum non consummatum**, seu, juxta notiones suprà datas, matrimonium initum inter baptizatos, vel initum, inter infideles, post nuptias utrimque baptizatos, quin copula matrimonio successerit.

Non dissolvitur igitur matrimonium ratum, *quomodocumque* consummatum, etiam violenter extorta copula a viro infra tempus bimestris legaliter concessi ad deliberandum de ingressu religionis: manet utique, post hujusmodi violentam matrimonii consummationem, uxori integrum religionem ingrediendi, invito licet ma-

rito, ac solemniter profiteri; sed per illam solemnem professionem non dissolvitur matrimonium, nec fas est viro in sæculo relicto ad novas nuptias convolare (1).

2°/ **Per professionem solemnem**: ergo non per votum ingrediendi Religionem, nec per ingressum Religionis, neque etiam per professionem votorum *simplicium,* neque per susceptionem Ordinis sacri, sed per solam emissionem votorum *solemnium*, in Ordine regulari stricte dicto (2).

Virtus dissolvendi matrimonium ratum antea contractum professioni religiosæ agnoscitur, in Jure Decretalium, ab Alexandro III, c. 2 (3) et 7, X, III, 32, et ab Innocentio III, c. 14, ibidem.

Quod autem coarctetur dicta dissolvendi virtus ad sola vota *solemnia,* ad exclusionem votorum simplicium, id constat ex variis Ecclesiæ documentis, signanter ex canone 6, Sess. XXIII, Conc. Tridentini (4), necnon ex declaratione Pii IX, 25 Jan. 1861, decernentis: « nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi; non vero per professionem votorum simplicium » (5). Quod con-

---

(1) Cf. Wernz, o. c., p. 1029 s.; Fahrner, o. c., p. 303-306; Rosset, *De Sacramento matrimonii,* 1895, I, nn. 684-692; Schmalzgrueber, In l. III Decr., ad tit. 32, n. 11-14.

(2) Distinctionem inter vota simplicia et solemnia vide apud De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canonicum,* I, n. 565, cum AA. citatis.

(3) « Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut etiam sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodò carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire, quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in sæculo remanere ».

(4) « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit ». Cui decreto ferendo quomodo Protestantes occasiones dederint, exponit Fahrner, o. c , p. 291-296.

(5) Immeritó invocat Fahrner, o. c., p. 195, testimonium Bonifacii VIII, cap. unic., tit. 15, L. III in VI° Decr.: decernit namque ibidem solum votum solemne præ voto simplici valere « quantum ad

firmat Benedictus XIV, *De Synodo diœc.*, l. XIII, cap. 12, n. 9 (1).

Unde, contra nonnullos olim Auctores, deneganda est matrimonii rati solvendi efficacia votis simplicibus emissis, in Societate Jesu, post biennium tyrocinii : qui frustrà provocant ad Constit. Gregorii XIII, 1 Febr. 1583, *Ascendente Domino*, vi cujus Constitutionis valent quidem dicta vota matrimonium *contrahendum dirimere*, non autem *contractum disrumpere* (2).

Quod etiam *Ordinis* susceptio, seu emissio voti castitatis in suscepto ordine solemnizati, non sufficiat ad matrimonium contractum dissolvendum, licet valeat matrimonium contrahendum irritare, manifeste docetur a Joanne XXII, *Extrav.*, cap. unic. tit. VI : « Antiquæ concertationi capientes imponere... præsenti declaramus edicto, quod, licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax

---

matrimonium post contractum dirimendum », a. v. voto solemni, non autem voto simplici, matrimonium *contrahendum irritari;* quod ex toto contextu liquet, et ex collatione cum cap. unic., tit. VI *Extrav.* Joannis XXII, eo vel magis quod eumdem effectum tribuat ordinis susceptioni.

(1) « Animadvertendum tamen est privilegium hoc esse concessum tantummodò religiosæ professioni, emissæ in aliqua ex approbatis Religionibus, in quibus nimirum emissa castitatis, paupertatis et obedientiæ vota, solemnium vim et naturam obtinent ; nunquam vero professioni emitti solitæ in quibusdam piarum mulierum cœtibus... quarum vota, non inter solemnia, sed inter simplicia recensentur, juxta constantem atque conformem sententiam tribunalium tum Rotæ, tum Congregationis Concilii, quæ sæpe sæpius matrimonia, ab illis post castitatis votum contracta, valida pronunciarunt, ex quo ejusmodi vota simplicia fuerint, non autem solemnia ».

Addit etiam *ibidem* supponi vota solemnia cum voto *perfectæ* castitatis, ita ut matrimonium ratum non solvatur professione, licet solemni, in iis ordinibus militaribus « in quibus non indefinita sed plerumque conjugalis castitas, vel a secundis nuptiis abstinentia vovetur ». Cf. etiam Feye, *De Impedimentis matrimonii*, 1903, n. 515, not. 4.

(2) Cf. Fahrner, o. c , p. 308-310; Wernz, o. c., p. 1030, n. 698; Feye, n. 516; Gasparri, o. c., n. 574, 1082.

reputandum, ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, quum nec jure divino nec per sacros reperiamus canones hoc statutum, invalidum est censendum ».

Quibus attentis matrimonium ratum non solvitur per professionem factam a *monialibus* Galliæ et Belgii, quæ communiter censentur non emittere vota solemnia. Quod spectat *viros* uxorem non cognitam deserentes ut Religionem stricte dictam ingrediantur, non sunt a vinculo conjugali soluti, adeoque non potest pars in sæculo manens ad alias nuptias convolare, antequam altera solemnem emiserit professionem : ad quam juxta legem 19 Martii 1857, a S. C. super Statu Regularium latam, non admittitur nisi post tres annos inde a votis simplicibus emissis; hæcque ipsa vota simplicia præire debet annus integer novitiatus (1). Monet tamen Pius IX, in laudata declaratione 1861, quod posset, in casu, sive ipse vir sive ejus conjux, recurrere « ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate ut statim emitti possint vota solemnia ». Cf. FEYE, o. c., n. 519.

3°/ **Jure ecclesiastico** : per actum scilicet Ecclesiæ, exercentis potestatem, non quidem propriam, qua utitur in condendis legibus merè ecclesiasticis, sed ministerialem et instrumentalem, quam descripsimus apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 111, collata p. 185 (2); quo pacto deserendi sunt Auctores non pauci professionis solemnis ad matrimonium solvendum efficaciam deducentes ex jure naturali vel ex jure divino immediato (3).

Hæc nostra sententia vel ex eo *probatur* quod aliter

---

(1) Peculiaris habetur disciplina pro Societate Jesu, in qua vota solemnia non ab omnibus emittuntur, et, ab illis qui ad illa admittuntur, nonnisi diu post vota simplicia.

(2) Hæc potestas, uti ex dictis ll. cc. liquet, non est *mere* ecclesiastica, ac imò aliqua ratione dici potest divina, et ita BILLOT, o. c., p. 411, dicit matrimonium, in casu, solvi ex jure divino *mediato, usum potestatis clavium consequente.*

(3) Cf. AA. in varium sensum citatos apud FAHRNER, o. c , pp. 296-301 ; WERNZ, o. c., n. 698, not. 47-49.

non explicatur quomodo *solum* votum *solemne* privilegium habeat, præ voto simplici, matrimonium solvendi, cum professione simplici, non secus quam professione solemni, essentialiter perficiatur vita religiosa (1), ac ipsa solemnitas jure merè ecclesiastico sit constituta (2).

Multum etiam *favet* evolutio historica, suprà breviter exposita, usus potestatis pontificiæ in dispensando super matrimonio rato non consummato: ex quibus non obscurè eruitur votum tanquam causam divortii fuisse admissum, ipsa auctoritate Ecclesiæ, *in modum generalis dispensationis* super vinculo matrimonii rati: quod vinculum, uti vidimus, quoad dissolubilitatem suæ jurisdictioni obnoxium habebat Ecclesia, adeo ut practicè judicaret sese posse, infra certos limites et justa posita causa, matrimonium dispensando solvere, sive in casu particulari, sive per generale statutum, adjuncta determinans in quibus matrimonium solvatur.

Ita etiam intelligitur quomodo Innocentius III, c. 14, X, III, 32, (ed. Friedberg), videatur tentasse abrogationem dictæ causæ solutionis, sicut et abrogavit affinitatem supervenientem, ab Alexandro III admissam.

Argumenta adversariorum refutata videsis apud FAHRNER, l. c., WERNZ, o. c., p. 1033 ss., et apud BILLOT, o. c., p. 410 et ss., ubi signanter attende solutionem objectionis deductæ ex eo quod solutio vinculi matrimonialis per professionem religiosam sit objectum definitionis dogmaticæ in Concilio Tridentino: quod prima fronte videtur ægre conciliandum cum sententia proposita.

Nota. 1°, Haud difficulter admittetur matrimonium

---

(1) Ita simpliciter professi in Soc. Jesu indubitanter sunt veri religiosi, necnon omnes in aliis ordinibus vota simplicia emittentes: quod cæteroquin authentico judicio Ecclesiæ est confirmatum in Constitutione Leonis XIII, *Conditæ*, circa Instituta votorum simplicium.

(2) Ita Bonifacius VIII, cap. un., tit. 15, l. III, in VI°; « Nos igitur, ait, attendentes quod voti solemnitas *ex sola constitutione Ecclesiæ* est inventa... ». Cf. etiam suprà distinctionem inter votum solemne et simplex.

legitimum non consummatum, supposito Baptismate ab una parte suscepto, posse dissolvi per partis conversæ professionem solemnem.

2°/ Quod autem spectat matrimonium *legitimum consummatum,* alterutra parte baptizata, et signanter matrimonium quod vocavimus *consummatum ratum,* non ita obvia est solutio.

Et sane agitur hîc de applicando privilegio per positivum Ecclesiæ actum adnexo professioni religiosæ: quod privilegium non est absque positivi juris fundamento extendendum. Jamvero non constat de exemplo solutionis hujusmodi, ac juris textus professioni agnoscentes effectum solvendi matrimonii ratum, accipiendi sunt, uti dicit WERNZ (1), de matrimoniis ratis « prout *ex communi usu loquendi* intelliguntur, neque favor pontificius arbitrarie extendi potest ad istam speciem omninò *singularem* matrimoniorum ratorum, quæ in infidelitate verè fuerunt consummata » (2). Quo pacto non esset sententia vinculi dissolutioni favens in praxim deducenda, inconsulta S. Sede.

Notetur tamen quod, admissa, juxta dicta, potestate R. Pontificis dispensandi super matrimonio infidelium consummato, sive legitimo sive rato effecto, non videtur aliquid obstare quominus Ecclesia professionis solemnis efficaciam extendat etiam ad descripta matrimonia solvenda: foret merum exercitium potestatis dispensandi in modum generalis statuti, quemadmodum ejusdem potestatis exercitium est respectu matrimonii rati proprie dicti; quod exercitium continetur, infrà certos limites et posita justa causa, in vindicata potestate dispensandi.

3°/ Ad dubium, utrum Ecclesia posset statuere matrimonium ratum non consummatum dissolvi etiam *ex*

---

(1) o. c., n. 699, ubi citantur AA. in utramque partem opinantes.

(2) Suprà jam ostendimus matrimonium consummatum ratum, si non est æquiparandum matrimonio rato consummato, non esse tamen ratum non consummatum, nisi secundum peculiarem speciem.

alia causa generali quam ex professione solemni, censemus respondendum affirmative, posita utique legitima ratione.

Hoc enim rursus continetur in potestate pontificia, qualis ex suprà disputatis abunde eruitur agnoscenda, nempe dispensandi, justa de causa, super matrimonio rato non consummato, sive in casu particulari, sive per legem generalem, adeo ut eadem potestate qua Ecclesia admiserit causam voti, posset, positis ponendis, etiam aliam causam admittere solutionis: quod cæteroquin vidimus factum ab Alexandro III, cum affinitate superveniente.

A. De Smet.

VI

Q. Interpretare articulum XVIII Const. « Officiorum ac munerum »: *In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat: si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.*

R. Eadem ac supra (1) adhibita methodo, antequam singula hujus dispositionis verba interpretanda suscipimus, quædam de anteriori legislatione exponemus.

Juxta adagium quod legem credendi lex statuat supplicandi, Sancta Romana Ecclesia semper singulariter curavit de textu librorum liturgicorum integerrime servando, eumque contra novatorum conamina sedulo defendit (2). Leges et normas in horum librorum editione tenendas statuerunt decursu sæculorum variæ Romanorum Pontificum Constitutiones, quæ consueverunt approbatis in editionibus textui sacro

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 36 ss.

(2) Péries, *L'index*, p. 117. Paris, 1898; *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1905, t. V, p. 230 s.; Dom Baümer, *Histoire du Bréviaire*. Trad. par Dom Biron, t. II, p. 324 ss. Paris, 1905.

præmitti. Quarum præcipuæ sunt: quoad Missale, Bullæ Pii V *Quo primum* 12 jan. 1570, Clementis VIII *Cum sanctissimum* 7 julii 1604, et Urbani VIII *Si quid est* 2 sept. 1634; quoad Breviarium, Bullæ Pii V *Quod a nobis* 9 julii 1568, Clementis VIII *Cum in Ecclesia* 10 maii 1602, et Urbani VIII *Divinam psalmodiam* 25 jan. 1631; relate ad Rituale, Cæremoniale et Pontificale, Litteræ Benedicti XIV *Quam ardenti studio* 25 martii 1752, quibus prædecessorum suorum ordinationes in unum coegit. Hisce præscriptionibus, sub gravissimis pœnis vetabatur ne in novis librorum liturgicorum editionibus aliquid textui typico immutaretur, ei addendo vel detrahendo. Præterea novæ editiones Pontificalis, Missalis, Breviarii et partium ex Breviario desumptarum absolute prohibebantur, nisi prævie munirentur facultate in scriptis obtinenda in Urbe a S. C. Rituum (1) et extra Urbem ab Ordinario; quæ facultas, in initio et fine libri imprimenda, insuper mentionem facere debebat de diligenti facta collatione cum exemplari authentico et de reperta utriusque textus conformitate.

Decreta generalia de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis § 4 plures condiderunt prohibitiones speciales tum relate ad Missale et Rituale, tum relate ad alios libros liturgicos, uti sunt: officia Beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum aut Sanctarum aliaque hujusmodi (2).

---

(1) Urbanus VIII, C. *Divinam psalmodiam* decreverat quod Missalia et Breviaria Romæ imprimi deberent typis vaticanis; Decretum S. C. Rit. 26 april. 1834 romanis typographis et editoribus veniam fecit edendi libros liturgicos. Quæ editiones approbatæ et conformes repertæ a S. Congr. extra Urbem ut authenticæ haberi possunt. Cf. *Decreta authentica C. S. Rit.* nº 2716.

(2) « § 4. *Quædam ad ritus sacros spectantia quæ prohibita sunt:* 1º Bene-
» dictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a S. Rit. Cong.
» 2º Exorcismorum formulæ diversæ ab iis quæ præscribuntur in regulis
» Ritualis Romani et earumdem usus absque prævio examine coram Or-
» dinario.... 4º Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum
» Pii V, præsertim quæ *Venetiis* apud *Junctas, Sessas....*, et quoscumque
» alios impressa sunt ab. an. 1596 (proscribebantur quia textum S. Scri-
» pturæ non juxta Vulgatam nuper correctam ediderunt). 5º Officia
» B. M. Virginis vel Sanctorum aut Sanctarum, aliaque hujusmodi
» absque approbatione S. Rituum Congregationis edita vel edenda.
» 6º Rituali Romano additiones omnes factæ aut faciendæ post refor
» mationem Pauli V, sine approbatione S. Congregationis Rituum ».

Cui juri antiquo circa prohibitionem et censuram librorum liturgicorum statuto, amplam sane attulit emendationem Constitutionis *Officiorum* articulus XVIII nunc per partes interpretandus.

1/ *In authenticis editionibus Missalis*, etc., h. e. in authentico sive typico textu denuo edito — ita concise et concinne P. Wernz (1). Textum typicum exhibet exemplar typographiæ cameralis authenticum, manu secretarii ipsius S. C. firmatum et sigillo obsignatum; textum authenticum quoque præseferunt editiones recognitæ a S. C. Rituum uti conformes originalibus et quæ hinc, ob additas subscriptiones gerunt authenticitatis signa (2).

2/ *aliorumque librorum liturgicorum.* Sunt v. gr. Horæ diurnæ, officia defunctorum, Hebdomadæ sanctæ, Beatæ Mariæ Virginis. Inter quos veniunt jam libri cantum gregorianum continentes, de quibus in *Appendice* quædam speciatim notabimus. Non tamen tales reputantur libri devotionis privatæ, in quibus quædam partes Missalis vel Breviarii uti ordo Missæ, vesperæ dominicales una cum aliis variis precibus continentur. Illi reguntur art. 20 (3).

3/ *a Sancta Sede Apostolica approbatorum.* Nullus liber ut liturgicus haberi et usui liturgico destinari potest, nisi a S. Rit. Congr. approbetur.

4/ *nemo quidquam immutare præsumat.* Ex una parte, in illis novis editionibus juxta typicam vel authenticam factis, quævis mutationes utcumque parvæ, quocumque fiant modo et a quovis inducantur, ansam præbent latæ prohibitioni; ex alia parte, requiritur ut illæ mutationes inducantur ex præsumptione seu consulto, scienter aut ausu temerario. Proinde attenduntur modi-

---

(1) *Jus Decretalium.* T. III. *Jus administrationis,* nº 111. p. 126. Romæ, 1901.

(2) LEGA, *De judiciis ecclesiasticis.* Lib. II. Vol III, p. 454. Romæ, 1900.

(3) VERMEERSCH, *De prohibitione et censura librorum,* ed. 4, p. 97 s., Romæ-Tornaci, 1906.

ficationes intentionales, non menda typographica (1). Nec etiam mutatus censetur textus authenticus quia ad utilitatem utentium, plura extenduntur vel repetuntur quæ in textu authentico per abbreviationem tantum reperiuntur. Ipsius Rituum Congregationis est opportuno tempore modificationes vel correctiones libris liturgicis introducere, allaborante commissione historico-liturgica a Leone XIII instituta (2).

5/ *si secus factum fuerit hæ novæ editiones prohibentur.* Ex illo clarissimo textu sequentia legitime deducuntur:

a/ Si illæ editiones non conformes sunt textui typico absolute prohibentur. Unde nec vendi, nec usui venire, nec retineri possunt.

b/ Si vero conformes sunt permittuntur. Modo ergo constet eas cum authenticis concordare, sive habeant approbationem Episcopi sive non habeant, dicendum videtur earum usum jam non interdici (3).

Sunt qui haud improbabilem censent (4) sententiam juxta quam libri illi *pro usu liturgico* adhiberi non possent nisi Episcopi specialem approbationem et conformitatis attestationem, juxta jus Urbani VIII præseferrent. Quæ sententia nec respondet textui Constitutionis, nec intentioni legislatoris. Romanus Pontifex enim evidenter attendit ad usum liturgicum illorum librorum, quum nullum soleant habere alium usum quam liturgicum; clare alludit ad jus antiquius, illudque pro parte renovat, pro parte silentio premit; cogitavit præbere omnibus leges claras et scitu faciles et inde voluit ut hac Constitutione unice regamur quoad integram materiam de censura et prohibitione librorum, abrogatis omnibus

---

(1) Quæ etiam in ipsis authenticis editionibus irrepsisse fatetur ipsa Sacra Congregatio, decreto 26 april. 1834.

(2) Tales correctiones nuperrime factæ sunt textui typico Gradualis Romani editionis vaticanæ. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 102 ss.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. II, n. 1323, p. 672 cum plerisque auctoribus.

(4) *Ephemerides liturgicæ*, 1898, p. 206 ss., p. 521-534; R. P. Vermeersch in 3ª ed. *op. cit.*, p. 76; in 4ª, p. 101.

legibus anterioribus et quovis alio Romanorum Pontificum hac de re statuto jussuque (1). Cæteroquin, si periculum est ne propter hanc juris antiqui emendationem, formula precandi aut litandi in Ecclesia corrumpatur, nova lege providebit legislator.

c/ Sed, an illi libri liturgici edi prohibentur sine licentia Ordinarii?

Hic sermo est de minus absoluta prohibitione, quæ per se non prohibet usum aut retentionem libri sine censura editi. Jam vero affirmandum videtur præteriri posse speciales approbationis formalitates juris Urbani VIII. De illis nec verbum habet nostrum documentum (2). Sed quæstio ponitur de necessitate reportandi generalem Ordinarii licentiam. Non caret certe omni probabilitate opinio a Pennachi et ab aliis propugnata (3), juxta quam hæc prævia edendi licentia non requireretur. Nullum enim stringens afferri potest argumentum ex ipso textu Const. *Officiorum* ad hanc obligationem stabiliendam (4). Attamen opinio contra-

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 513 ss. Ipse P. VERMEERSCH, 4 ed , p. 99, argumenta allata adeo solide evolvit, ut vix aliqua probabilitas sententiæ oppositæ remaneat.

(2) SCHNEIDER (*Die neuen Büchergesetze der Kirche*, p. 90. Mainz, 1900) arguit ex silentio hodiernæ legislationis ut demonstret necessitatem reportandi non præviam licentiam edendi, sed approbationem Episcopi qua constabit de conformitate novæ editionis cum textu authentico. At vero juxta dicta, quod non expressit legislator abrogavit.

(3) *Acta Sanctæ Sedis*, t XXX, nº 36, p. 338; *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1901, p. 313 ss.; 1905, p. 233; LEGA, *o. c.*, p. 454; SCHNEIDER, *l. c.*

(4) Quod probatur *ad hominem*. R. P. Vermeersch in 1ª et 2ª editione sui operis arguit ex articulo 41, cum liber liturgicus respiciat *religiosam disciplinam;* in 3ª vero, hac prætermissa probatione, argumentum ducit ex art. 20, si privato usui saltem libri liturgici destinentur, et ex art. 44 utpote qui considerari possint ut novæ editiones operis censuræ submittendi; in 4ª vero, cum P. Wernz (*o. et l. c.*, p. 126, nota 72), affert ut fundamentum suæ sententiæ, præter artic. 44, articulum 41 non quatenus comprehendit libros qui religiosam disciplinam respiciunt, sed quatenus complectitur omnia scripta in quibus *religionis specialiter interest,* hinc majorem ambitum huic locutioni tradendo quam in prioribus editionibus. Certe mirum est quod in nullo articulo hi libri nominatim exprimantur; cum tamen menfio fiat de tot aliis specialis argumenti libris quoad censuram prævie obtinendam, (a. 41, 13, 17, 19, 20 etc.).

ria, communior et in praxi tutior his sequentibus commendatur argumentis. Quomodo primò constare poterit de illorum librorum conformitate cum textu authentico et de eorum usu legitimo, nisi adsit approbatio Episcopi? Quomodo invigilabit Episcopus in novas editiones ut edantur conformes authenticis, nisi præviæ suæ censuræ subjiciantur? Deinde art. 41 requiritur hæc prævia censura pro omnibus scriptis in quibus religionis specialiter interest. At, inquit P. Wernz (1), nisi ludere velimus verbis, accurata editio librorum liturgicorum speciatim interest Ecclesiæ. Tandem, aliquo sensu, liber liturgicus denuo editus, dici potest nova editio libri approbati (art. 44).

Ordinarius hanc non concedet approbationem, nisi certior factus de omnimoda conformitate cum textu authentico.

Appendix. *De libris liturgicis cantus gregoriani.*

Primo loco notandum venit quod relate ad textum sacrum, valeant principia superius tradita.

Restituto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiquo cantu gregoriano *Motu proprio* 22 nov. 1903 et Decreto generali 8 jan. 1904 (2), mox traditæ sunt normæ pro publicatione et editione librorum liturgicorum melodias gregorianas continentium, sc. *Motu proprio* 25 aprilis 1904 (3) et Decretis S. Congr. Rituum 11 aug. 1905 (4) et 14 febr. 1906 (5). Ex quibus sequentia deducuntur.

1° Editio authentica est illa quæ typis vaticanis, labore Commissionis Romanæ de cantu gregoriano et auspiciis Romani Pontificis et Sacræ Rituum Congregationis vulgata est.

2° Proprietas litteraria editionis vaticanæ remanet

---

(1) *o. et l. c.*

(2) *Collat. Brugen.*, t. IX, p. 111 ss., 122.

(3) Duclos, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse*, p. 131 s. Rome-Tournai, 1905.

(4) *Collat. Brugen.*, t. X, p. 572.

(5) *ibid.*, t. XI, p. 653 s.

penes Sanctam Sedem. Hæc tamen, certis adhibitis cautelis (1) ut in tuto sit integritas cantus typici, aptis typographis et editoribus facultatem concedet eam ex toto vel ex parte imprimendi ac spargendi.

3° Editione parata, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de ejus concordantia constet cum editione typica vel cum melodiis propriis approbatis a præfata Commissione pontificia; prævia collatione diligentissime facta et scriptis relata, a censoribus in cantu gregoriano peritis. Potest Ordinarius approbare editiones notulis musicalibus modernis exaratas vel signis rythmicis munitas, dummodo ei iterum constiterit de eadem fideli conformitate.

Nec mirum videatur quod severiores formalitates præscribantur relate ad editionem hujus generis librorum liturgicorum, cum agatur de nova lectione, ubique introducenda et in principio ab omni corruptione servanda; dum e contrario pro aliis libris liturgicis, textus authenticus a sæculis impositus, jam ubique in approbatis editionibus incorruptus servatur.

A. De Meester.

(1) Decretis 11 aug. 1905 et 14 fev. 1906. Cf. *Collat. Brugen.*, t. X, p. 653 ss.

La bénédiction
et la procession des Rameaux.

Il est, dans le cours de l'année liturgique, peu de solennités aussi touchantes que celle de la bénédiction et de la procession des Rameaux, venant célébrer le triomphe et la glorification du Christ Rédempteur, au milieu des gémissements du temps de la Passion, sur le seuil même de la Semaine des Douleurs. Et cependant, nos cérémonies d'aujourd'hui n'offrent plus qu'une réduction et une image assez faible des hommages imposants rendus au Christ Triomphateur par le moyen âge, dans des solennités aussi variées qu'enthousiastes, dont l'idée fondamentale et les principaux éléments avaient été légués à nos aïeux par la liturgie primitive de Jérusalem (1).

Grâce en effet à la découverte récente de la *Peregrinatio ad loca sancta,* attribuée d'abord erronément à S. Silvie d'Aquitaine (2) nous pouvons aujourd'hui mieux saisir la signification de nos cérémonies actuelles et en suivre l'admirable évolution depuis le IVe siècle jusqu'à nos jours. Nous y trouvons une image

(1) Voir Dom E. Martène, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis ritibus officiis,* Lugduni, 1706, cap. XX; H. Thurston, S. J. *Lent and Holy week,* London, 1904, chap. V; *La Domenica delle palme nella storia liturgica,* dans *Civiltà Cattolica*, 1906, t. II, p. 3-18 et 159-177.

(2) Cette *Peregrinatio,* dont nous ne possédons encore qu'une partie, fut retrouvée par Gamurrini et publiée pour la première fois en 1887.

Une femme pieuse et forte, du nom d'Ethéria, religieuse ou abbesse d'un monastère du Nord-Ouest de l'Espagne, comme l'a prouvé dernièrement Dom M. Férotin (*Rev. des quest. histor.*, t. 74, 1903, p 367-397), y raconte à ses consœurs, dans un style simple et plein de bonhomie, mais avec une précision et un luxe de détails tout à fait remarquables, tout ce qui avait frappé son esprit observateur et sa curiosité de femme intelligente, au cours d'un pèlerinage de trois ou quatre années qu'elle avait fait vers 380-388 en Palestine et en Orient, où elle visita tous les Lieux Saints en se faisant un devoir de ne manquer aucun office liturgique.

frappante de l'Église du Christ, toujours ancienne et toujours la même dans les principes de sa liturgie comme dans son essence, mais toujours jeune et toujours nouvelle dans les manifestations de sa vie et de son culte qu'elle sait merveilleusement adapter aux conditions si variées de tous les temps et de toutes les nations.

Voici comment on célébrait à la fin du IVe siècle à Jérusalem, d'après la *Peregrinatio*, la fête des Rameaux. Que le lecteur veuille bien remarquer les détails du récit: il y trouvera presque tous les éléments qui amplifiés se retrouveront dans la procession des Rameaux au moyen âge (1).

A la fin de l'office matutinal célébré à l'église du Calvaire (Martyrium), l'archidiacre, avant de renvoyer les fidèles, les invite à se réunir de nouveau à une heure de l'après-midi, à l'église appelée *in Eleona*, située *en dehors de la ville* dans le jardin des Oliviers. A l'heure indiquée le peuple s'assemble à la dite église: quand l'évêque a pris place sur son siège, on y chante des *hymnes*, des *antiennes*, des *leçons* appropriées au lieu et au temps. Vers trois heures on se rend en chantant des hymnes à l'église de l'*Imbomon*, bâtie sur l'endroit d'où Notre Seigneur était monté au ciel. On y chante encore des *hymnes*, des *antiennes*, des *leçons* et des *oraisons de circonstance*. Vers cinq heures du soir on lit dans l'*Évangile* le récit de l'entrée de Jésus à Jérusalem. L'évêque se lève pour se *rendre à la Ville sainte:* tout le peuple le précède et l'entoure en chantant des hymnes et des antiennes, auxquelles on répond toujours par ces mots: *Béni soit Celui qui vient au nom du Seigneur!* Tous les *enfants*, même ceux qui doivent être portés sur le bras de leur mère, ont dans les mains des rameaux, qui de *palmier*, qui d'*olivier*. Et l'*évêque qui représente le Christ* est ainsi conduit « in eo typo quo tunc Dominus deductus est » (2). Tout le monde est à pied, même les

(1) Edit. de Gamurrini, Rome, 1887, p. 90-92. Voir Dom F. Cabrol, *Etude sur la Peregrinatio Silviæ. Les églises de Jérusalem, la discipline et la liturgie au IVe Siècle*, Paris, 1895, p. 91-95.

(2) Dom Cabrol, o. c., p. 94, croit pouvoir conclure de ces mots que

grandes dames. La procession se déroule lentement, descend la hauteur et entre dans la ville qu'elle parcourt pour conduire l'évêque à l'église de l'*Anastasis* ou de la Résurrection, où on célèbre le lucernaire, l'office du soir.

De Jérusalem (1), la **procession** des Rameaux — de leur bénédiction il n'est pas question — passa aux autres églises orientales, (2) et bientôt, l'Orient la transmit à l'Occident où nous en trouvons des indices au moins dès le VIIe siècle (3) et où elle nous apparait pleinement formée dès le IXe siècle (4).

---

l'évêque était, comme le Christ, assis sur un âne. Ce détail, s'il était vrai, n'aurait certes pas échappé à l'esprit observateur d'Ethéria, qui fait remarquer au contraire que tout le monde était à pied. Car le texte doit être corrigé et lu : ils faisaient la route « pedibus *omnes sed et si quæ matronæ* sunt, aut si qui domini ».

(1) Voir encore S. Cyrille de Jerusalem, *Catéchèse* IX, 19.

(2) Il en est question dans les Lettres festales de S Athanase, dans des homélies du IVe Siècle εἰς τὰ βαΐα (cf. Montfaucon, *Collectio nova Patrum* II, p. XVII s), dans la *Vita S. Euthymii* par Cyrille de Scythopolis (VIe s.), ch. 11 ; dans les anciens livres liturgiques grecs.

(3) Voir S. Isidore de Séville, *De Officiis* I, 28 ; *Etymologiæ* VI, 18, n. 15 ; S. Adelme, († 706) évêque de Sherborne ; Ven. Beda, († 735) *Homilia,* 33. Dom Morin a publié (*Revue Bénédict.*, 1903, p. 375-388) des textes du VII-VIIIe siècle, indiquant deux évangiles pour le dimanche de Rameaux « super ramos olivarum ». Les plus anciens *Ordines Romani* n'ont pas d'indications. La 2e bénédiction pour la messe du Dimanche des Rameaux dans le Sacramentaire Grégorien parle des palmes portées en main, mais n'insinue pas de procession. Celle-ci ne nous est pas venue de Rome. Cf. F. Cabrol, *Origines liturg.* ch. VIII.

Mais nous devons signaler ici avant tout un document de la plus haute valeur, publié en 1904, par Dom Férotin O. S. B. dans la collection *Monumenta liturgica.* C'est le *Liber ordinum* en usage dans l'Eglise Wisigothique et Mozarabe d'Espagne du Ve au XIe siècle Il semble à l'auteur que nous avons là dans l'*Ordo in ramos palmarum ad missam* (ad missam = à l'heure de la messe), « le cérémonial le plus ancien de la bénédiction et de la procession des Palmes... L'évêque bénissait des palmes (ou des branches de saule et d'olivier) dans une église de la ville ; puis la procession s'organisait, et accompagné de tout le peuple portant des rameaux, il se rendait dans une autre église, où avait lieu la tradition du symbole aux catéchumènes, suivie de la messe à l'ordinaire » (*op. cit.*, p. 179).

(4) Voir p ex. la dernière partie de l'hymne *Gloria laus* (Migne, Patr. lat., t. 105, col. 308) ; Amalaire de Metz, *De eccles. offic.* I, 10.

La coutume de porter des rameaux et de chanter l'Hosannah peut être

En perdant ses attaches topographiques avec la scène historique, la cérémonie fut plus libre dans ses allures et put s'adapter aux conditions locales très variées. En pénétrant dans les milieux mystiques du moyen âge occidental, elle reçut une interprétation plus symbolique et s'enrichit de quelques ajoutes plus dramatisées. Mais au milieu des multiples variantes on n'a pas de peine à discerner partout et toujours le caractère premier et traditionnel : remémorer la triomphale entrée de Jésus à Jérusalem et célébrer la glorification du Christ Rédempteur.

De nos jours, la bénédiction et la procession des Rameaux se font dans chaque église. Au moyen âge (1), comme à Jérusalem, la cérémonie était unique et générale : le peuple de toute la ville, le clergé séculier et régulier de toutes les églises y prenait part. La procession ne sortait pas d'une église pour revenir bientôt à son point de départ. Le clergé et les fidèles étaient convoqués, là où la topographie le permettait, à une église située en dehors de la ville, de préférence sur quelque hauteur, rappelant le mont des Oliviers et l'église *in Eleona* de la *Peregrinatio* (2). Là se faisait la bénédiction et la distribution des rameaux.

Aussitôt après se formait le cortège qui devait triomphalement conduire à Jérusalem, c'est-à-dire à la ville en l'église cathédrale ou primaire, le représentant du Christ.

Dans la plupart des églises, le Sauveur était, comme

---

née spontanément dans diverses églises ; mais malgré les divergences, les particularités de la procession se ressemblent trop pour le fond et ont trop d'analogie avec la cérémonie décrite par Ethéria pour qu'on puisse, semble-t-il, nier l'influence de l'Orient, de Jérusalem en particulier, sur les usages liturgiques de l'Occident. On en jugera par la suite.

(1) Pour la spécification des particularités que nous renseignons, nous renvoyons aux ouvrages cités p. 200, surtout à Dom Martène. Pour notre Flandre, nous avons consulté les manuscrits liturgiques des bibliothèques du Séminaire de la Ville et de l'Évêché.

(2) DURAND, *Rationale divinorum officiorum*, lib. VI, c. 67.

à Jérusalem, simplement représenté par l'évêque ou le célébrant. Il en fut ainsi toujours à Rome, d'où nous sont venues les principales cérémonies de notre Missel actuel. Dans une foule d'autres localités, le goût de la représentation et du symbolisme, si développé au milieu du moyen âge, voulut accentuer davantage la signification du mystère du jour. Les uns faisaient monter le célébrant sur une ânesse; d'autres fois celle-ci, au lieu de porter un homme en chair et en os, était montée par un simulacre de Christ bénissant; parfois on se contentait d'un tableau représentant le Sauveur sur sa monture (1). D'autres fois le Christ était surtout honoré dans la croix (2): celle-ci dans tous les cas était découverte: on enlevait le voile qui couvrait la croix processionnelle durant le temps de la Passion. Ailleurs on faisait porter sur un brancard richement orné, le livre des évangiles (3) qui fut de tout temps et est encore aujourd'hui considéré comme une figure très expressive du Verbe incarné (4).

En Angleterre, en Normandie et dans quelques autres localités, c'était Notre Seigneur lui-même réellement présent dans le Saint Sacrement, porté en grande pompe, qui recevait les adorations, les chants de triomphe et les joyeux Hosannah du clergé et de la foule: une sorte de procession du Saint Sacrement introduite plusieurs siècles avant l'établissement de celle de la Fête-Dieu (5).

---

(1) Surtout en Allemagne, où on a conservé plusieurs de ces tableaux et de ces « Palmesel ». La même coutume existait a Anvers et à Tirlemont. Voir *Rond den Heerd,* t. VI, p. 145.

(2) En Flandre, entre autres aux abbayes des Dunes, de Ter Doest d'Oudenbourg, dans les églises de Dixmude et de la Madeleine aux portes de Bruges. Outre la croix processionnelle ordinaire, on portait souvent une grande croix spéciale.

(3) On y ajoutait parfois les reliques les plus insignes.

(4) Voir *Collat Brug* , t. X, p. 305; t. XI, p. 548.

(5) Cet usage remonte au moins au temps de Lanfranc, Abbé du Bec en Normandie et plus tard archévêque de Cantorbery (1005-1089).

2/ in die vero in quam transfertur festum, si illud transfertur non tantum quoad officium sed etiam quoad solemnitatem extrinsecam et feriationem. Et ita est de festo Annuntiationis quod, apud nos seu in diœcesibus antiquæ provinciæ Mechliniensis, transfertur in feriam

(1) Cf. v. g. De Herdt, *Praxis Pontificalis*, t. III, n. 360, 2°.
(2) Intellige: Patronum *hoc est* Titularem ecclesiæ.
(3) Dec. S. R. C. 1 dec. 1905, *Rhemen.* ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 187.
(4) Quæ enumerantur ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 188.

II immediate sequentem si occurrerit in Dominica Passionis, in feriam vero III post Dominicam in Albis si occurrerit infra hebdomadam majorem vel paschalem, et celebrandum est « tam a clero quam a populo ». Et licet in nostris regionibus jam non sit festum de præcepto, nihilominus missa exequialis prohibetur, non jam in die 25 martii — nisi forte ex alia ratione — sed in præfata feria III in quam transfertur festum (1).

Ex undecimo responso sequitur: 1° in functione Benedictionis SS. Sacramenti, quam Laudes vespertinas nuncupare solemus, inter *Tantum ergo* cui adnecti debet versiculus cum oratione SS. Sacramenti et Benedictionem, nihil cantari aut recitari posse, nisi, tali existente consuetudine, laudes *Deus sit benedictus*. Quæ regula sæpius jam inculcata fuit (2).

2° Nulla alia Oratio cantari potest nisi quando aliæ preces dictæ vel cantatæ fuerunt. Oratio v. g. B. Mariæ Virginis non est admittenda nisi ad concludendum Litanias vel Antiphonam vel aliud « mottetum » in honorem Deiparæ (3).

3° Imo in festo et infra octavam Corporis Domini, unica dumtaxat admittitur Oratio, in honorem nempe SS. Sacramenti. Quæ restrictio videtur omnino nova.

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug*, t. VI, p. 550; Ill. Van der Stappen, *De officio divino*, q. 172, 4°; De Herdt, *S. Liturgiæ praxis*, t. III, n. 92.

(2) Anteriora decreta videsis ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 696.

(3) Cf. Decr. S. R. C. 23 mart. 1881, *Neapolitana*, n. 3530.

E Sacra Indicis Congregatione

Decreto 11-12 decembris 1906 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quæ sequuntur:

L'abbé E. Lefranc, *Les conflits de la Science et de la Bible*. Paris, 1906.

Segismundo Pey-Odeix, *El Jesuitismo y sus Abusos*. Colecciòn de articulos. Barcelona, s. a.

Idem. *Crisis de la Compania de Jesùs*, hecha por personas eminentes en santitad y letras. Ibid.

Albert Houtin. *La Question biblique au XXe siècle*, Paris, 1906.

L. Laberthonnière decreto S. Congregationis edito die 5 aprilis 1906 (1), quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem insertus est, laudabiliter se subjecit.

(1) *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 419.

Consultationes

I

Q. Qui retinet unum ex objectis piis, quibus sunt adnexæ indulgentiæ apostolicæ, potest varias lucrari indulgentias, dummodo *consueverit* missæ interesse. An posset determinari, ut quid *minimum*, numerus dierum requisitus ad consuetudinem hujusmodi ?

R. Morali quadam æstimatione, ut patet, determinandum est quoties quis missæ interesse debeat, ut dici possit consuevisse audire missam. Videtur tamen regula quædam, practice tuta, suppeditari ex indulto S. Congr. Indulg. 14 Febr. 1906 (1), dato in gratiam eorum qui quotidie communicare solent. « Qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare *consuescunt* », adhuc censentur tales, « quamvis *semel aut iterum* per hebdomadam a communione abstineant ». Quasi a fortiori, hæc regula pro casu proposito teneri potest, quum in elencho indulgentiarum apostolicarum dicatur « consueverit... missæ interesse », non vero : consueverit *quotidie* interesse. Imo videtur adhuc quædam extensio sustineri posse, ita ut dici possit consuetus audire missam, qui v. gr. ter in hebdomada abstinet, præsertim si id non contingat singulis hebdomadis continuis.

De elencho isto et aliis conditionibus implendis vide COLLAT. BRUG., t. IX, p. 60 sqq.

II

Q. Utrum pro *crucifixis bonæ mortis et Viæ crucis* necessarium sit ut imago Christi separari possit ab ipsa cruce.

---

(1) Cf. t. XI, p. 272.

R. Quoad *crucifixos bonæ mortis* hoc prænotari juvat: hujusmodi vocari solent, quos Summus Pontifex benedicit in usum sacerdotum, ut np. sacerdos cum uno ex iisdem crucifixis possit impertiri indulgentiam plenariam christifidelibus in articulo mortis constitutis (1). Distinguuntur a crucifixis ordinariis seu Apostolicis, qui nimirum sunt ditati indulgentiis apostolicis, inter quas recensetur indulgentia plenaria in articulo mortis. Hæc indulgentia non est propria crucifixis, sed communis omnibus objectis piis, a summo Pontifice benedictis, sicut et illis quæ loca Terræ Sanctæ tetigerunt, nec tantum crucifixis, sed et simplicibus crucibus adnecti potest.

Crucifixi proprie dicti intelliguntur, in ordine ad indulgentias eis applicandas, cruces cum imaginibus D. N. J. C. crucifixi *prominentibus*. Quæritur autem utrum talis requiratur prominentia, ut imago e cruce separari possit. Hoc dubium solvit S. C. Indulg. decr. 24 Maii 1883: « Utrum crucifixi, quorum imago divini Redemptoris crucifixi est ære cusa, ita tamen ut *tantillum sit prominens, quin e cruce solvatur seu separetur,* possint nihilominus omnes indulgentias etiam Viæ Crucis suscipere » ? R. *affirmative* (2).

III

Q. Juxta decretum S. C. Indulg. 14 Februarii 1906 (3), « Beatissimus Pater Pius X, omnibus Christifidelibus, qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant, præfato tamen f. r. Clementis PP. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariæ illius confes-

(1) Cf. Beringer, *Les indulgences* (trad. Mazoyer), 3e éd. (1905), t. I, p. 481 ss.

(2) Cf. Collat. Brug., t. X, p. 391, ubi etiam agitur de materia ex qua imagines sunt conficiendæ.

(3) Relatum t. XI, p. 272.

sionis obligatione, quæ cæteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret ». An hæc concessio ita intelligi potest ut, absque ulla confessione, lucretur omnes indulgentias (exc. indulgentia Jubilæi) qui solet quotidie communicare, quamdiu accedit « in statu gratiæ et cum recta piaque mente »?

R. Scite advertit consulens excipi indulgentiam specialem Jubilæi. Legenti enim patet præsenti privilegio extendi indultum Clementis PP. XIII, in quo expresse declaratur: « *Nihil tamen innovando circa indulgentias jubilæi,* tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione præscripto peragatur » (1).

Nunc ad quæsitum respondetur *affirmative*. Qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie communicare solent, possunt acquirere omnes indulgentias, absque confessione quæ ceteroquin ad illas lucrandas necessaria esset. Non tenentur jam, *in ordine ad lucrandas indulgentias*, confiteri singulis hebdomadis, uti requirebat indultum Clementis XIII, neque singulis quindenis, uti exigunt indulta pluribus diœcesibus concessa. Imo hic est sensus privilegii: quamdiu legitime accedunt ad communionem quotidianam, id est, juxta normam Decreti S. C. Concilii 20 Dec. 1905, quamdiu in statu gratiæ et cum recta piaque mente communicare consuescunt, tamdiu possunt frui indulgentiis, absque obligatione confessionis alias præscriptæ; et censentur, in ordine ad hunc favorem, habere consuetudinem communicandi quotidie, illi quoque qui *semel aut iterum per hebdomadam,* etiam habitualiter, abstinent.

Hoc amplissimo privilegio SS. D. N. Pius Pp. X ostendere voluit, ut fert initium Decreti 14 Febr. 1906,

---

(1) Collat. Brug., t. IX, p. 540; t. V, p. 136.

ipsi *vel maxime cordi esse* ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo communionis quotidianæ. Etenim non paucos retinere posset a frequenti communione putata necessitas frequentis confessionis ; qui doceantur oportet confessionem ante communionem iis tantum *imponi* qui habent conscientiam peccati lethalis, in dubio autem positivo eam non esse de præcepto, sed de consilio tantum. Inculcari sedulo debet statutum sub 3° in Decreto *Sacra Tridentina Synodus* (1), peccata np. venialia non esse impedimentum quotidianæ communionis, quin potius hæc sit medium quo « a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant », cum Eucharistia vocetur a Concilio Tridentino *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis* (Sess. XIII, cap. II).

Vix notari debet hoc decreto nequaquam negari summam utilitatem confessionis frequentis, tum ratione gratiæ sacramentalis, tum ratione opportunæ directionis spiritualis. Unde manet consulenda iis præsertim qui utuntur communione quotidiana tamquam medio perfectionis, quod et insinuat decretum *Sacra Tridentina Synodus* sub 5° : « Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat ».

H. Mahieu.

IV

Quæritur utrum tabernaculum ita conopeo debeat tegi ut nihil de ostiolo affabre elaborato appareat ?

Respondent ad rem *Ephemerides liturgicæ :* « In anteriori parte conopeum ita disponi potest, ut ostiolum tabernaculi [aliquatenus] detectum appareat, quemadmodum in pluribus ecclesiis etiam Urbis cernitur » (2).

C. Callewaert.

---

(1) Cf. t. XI, p. 216.
(2) T. XX, 1906. p. 739.

Notæ Bibliographicæ

A. Vermeersch, S J. *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur de Jésus, à l'usage du clergé et des fidèles.* Tournai, Casterman, 1906. In-18, 606 p. — 3 fr.

Pietati tum cleri tum fidelium fovendæ erga amantissimum Cor Jesu hoc opus concinnavit R. P. Vermeersch, quod continet quasi *summam devotionis* erga Cor Jesu.

Prior pars, cui titulus *praxis devotionis,* exhibet novam editionem duplicis opusculi: « *La consécration au Sacré-Cœur de Jésus* » et « *Il m'a aimé!* », quorum egregias dotes merito celebravit hoc periodicum (1). Hanc partem, quod attinet invocationes et praxes devotionis, complevit Auctor juxta recentissima decreta (2).

Posterior pars, quæ inscribitur *doctrina devotionis,* continet caput triplex: Cap. I. *De objecto proprio* devotionis erga Cor Jesu. *Objectum formale* cultus SS. Cordis est *amor Jesu erga nos.* Sed agitatur quæstio utrum sit amor *divinus et humanus* an *humanus tantum.* Auctor quidem non excludit amorem divinum, at conatur probare objectum *speciale,* ut ait, cur immediate honoremus Cor Jesu, esse amorem ejus *humanum* (3). Hanc doctrinam ad trutinam vocare hoc loco non vacat; unum tamen tacere non possumus: videlicet non apparet quid in hujusmodi doctrina animos nonnullorum adeo commovere potuerit, ut Auctorem tamquam temerarium et plane destructorem cultus erga Cor Jesu traduxerint. — Cap. II exhibet *commentarium in litanias SS. Cordis Jesu* brevem ac dilucidum, primo editum in *Petite bibliothèque chrétienne* (Février-Mars 1906). — Cap. III agit de *Majori promissione* Cordis Jesu, facta np. illis qui prima feria VI per novem menses continuos ad sacram mensam accedunt (4). Solida ac utilia valde proponit Auctor circa auctoritatem, sensum et usum dictæ promissionis. Nobis satis arridet sensus obvius, ab eo vindicatus; at forte accuratius determinandum esset utrum promissio valeat per modum *meriti* an *impetrationis.*

*
* *

F. Dryvers, pr. *Kerkstemmen of gebeden en gezangen der Roomsch-Katholieke Kerk.* Werchter, Pr. Dryvers en Zoon, 1906, 580 bl., 1,25 fr. (Per 50: 0,90; per 100: 0,80).

Scopus Auctoris, in edendo hoc libro precum, est ut doceat populum liturgiam Ecclesiæ eumque adducat ad orandum cum Ecclesia. Nullum

---

(1) Cf. t. V, p. 392; t. VII, p. 666.

(2) Addendum p. 355 quoad indulgentias adnexas exercitiis mensis Junii decretum S. C. Ind. 30 Maii 1902. Cf. *Nouv. rev. théol.,* t. XXXIV, p. 528.

(3) Cf. Collat. Brug., t. V, p. 601 sqq.

(4) Cf. Collat. Brug., t. II, p. 334 sqq. — Prostat separata hæc pars, antea edita, sub titulo: *La grande promesse du Sacré-Cœur.* In-8, 26 p., 0,25 fr.

sacerdotem fugit quantum soleant christiani nostri temporis aberrare a genuina lege et disciplina orandi; at dolere nihil juvat: oportet docere et exhortari, instare opportune, importune. Ante omnia videtur providendum ut quivis de plebe christiana habeat tamquam individuum comitem viæ ac vitæ christianæ libellum sanæ ac solidæ pietatis, id est ad normam liturgiæ ecclesiasticæ concinnatum.

Hac laude præcipua dignum apparet opus R. D. Dryvers. Introductionis ad instar, ponitur *demonstratio religionis:* compendium np. exhibetur primæ partis elucubrationis nuper ab eodem editæ: *De ware godsdienst opnieuw bewezen en toegelicht* (1), juxta methodum demonstrationis popularis a Card. Dechamps usurpatam. Deinde prima pars continet, præter preces consuetas, explicationem missæ, ubi de ecclesiis, de paramentis altaris et sacerdotis, de partitione missæ, de modo audiendi missam etc.; officium et missam exequiarum; hymnos ecclesiasticos plurimos translatos, exercitia varia pietatis etc. Secunda pars describit *Proprium de tempore:* np. evangelia, hymnos et orationes in dominicis et festis Domini. Signanter exponitur (70 p.) officium Hebdomadæ Sanctæ. In tertia parte eodem modo tractat *de festis B. M. V. et Sanctorum*

*
* *

C. Delputte, C. SS. R *De reisgids van den christen op den weg des hemels.* Brugge, L. Lescrauwaet, 1904. 192 bl. — 0,35. (Per 50: 0,20; per 100: 0,22).

Parvus iste libellus, ex Italia oriundus, non caret utilitate: doctrina christiana breviter adumbratur, regula vitæ practica indicatur simul cum precibus et actionibus præcipuis vitæ christianæ, v. g. oratione mentali, Confessione, S. Communione etc.

*
* *

G. Van de Poel. *Sermonen over de Evangeliën der Zondagen van het kerkelijk jaar.* T. III et IV, Abdij Averbode, 1906. In-8, (16) — 290 pp.; (16) — 278 pp.

Est continuatio seriei concionum commendatæ in hoc periodico, t. XI, p. 279. Complectitur evangelia inde a dom. I in quadragesima usque ad dom. 3 post Pentec.

*
* *

A. Prévot, S. C. J. *Manuel pour l'Apostolat de la réparation.* Tournai, Casterman, 1906. In-18, 228 p. 1 fr. Relié toile: 1,40 fr.

Hoc *manuale* continet partem *doctrinalem* circa vitam amoris et reparationis erga SS. Cor Jesu, ubi utiles inveniuntur considerationes, at non

(1) Werchter, Pr. Dryvers en Zoon, 1906, In-8, 176 bl. — 1 fr.

satis methodice ac clare digestæ, et partem *practicam*, quæ refert modum ducendi vitam reparationis, fidelibus amantibus Cor Jesu opportune commendandum.

*
* *

P. F. Albertus a Puero Jesu, O. C. *De kleine getijden der allerheiligste Maagd Maria, gevolgd van eenige godvruchtige oefeningen.* Gent, A. en V. Van der Schelden, 1906. In-18, 368 bl., 1 fr. Linnen band 1 fr. 50.

Decreto S. C. Indulg. 14 Junii 1901 benigne indulsit Leo XIII ut confratribus B. M. V. a monte Carmelo, in ordine ad privilegium sabbatinum assequendum, in privata recitatione parvi officii uti liceat lingua vulgari (1); decreto autem ejusdem Congr. 28 Augusti 1903 SS. D. N. Pius Pp. X indulgentias adnexas recitationi latinæ parvi officii extendit ad ejusdem recitationem privatam in lingua vulgari (2). Hac mitigatione disciplinæ antiquæ ostendit S. Sedes quanti æstimet pium usum recitandi parvum officium B. M. V. Opus itaque utile aggressus est Auctor, parando fidelibus versionem flandricam ejusdem officii, quam libenter commendamus.

Hanc occasionem nacti, hortamur directores tertiorum ordinum, puta S Francisci Assisiensis, ut sodalibus, qui otio non carent, commendent instanter recitationem parvi officii ; hæc sane precationis forma, præsertim si distribuatur per diem, longe præstat recitationi duodecim Pater, Ave et Gloria.

*
* *

R. P. Venant de Roulers, Cap. *Le petit livre des Tertiaires séculiers de Saint François d'Assise.* 2e édition, revue et complétée. Bruxelles, O. Schepens & Cie, 1906. In-32 de 252 p. — 0,50 fr.

Hunc libellum manualem libenter commendamus Continet enim præter regulam, indulgentias ac cæremoniale Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, præter praxes devotionis et cantus liturgicos, continet, inquam, optima consilia circa genuinam pietatem apud Tertiarios fovendam, signanter quod attinet orationem mentalem et examen conscientiæ particulare. Quæ duo media utinam sæpius commendentur Tertiariis, ut finem assequantur cooptationis suæ in Tertium Ordinem, informationem scilicet ad vitam vere christianam ac perfectam in sæculo ducendam!

*
* *

(1) Collat. Brug., t. VI, p. 539 sqq.
(2) Collat. Brug., t. IX, p. 64.

A. Jos. Chauvin, C. SS. Sacr. *Het lijden overdacht aan den voet van het heilig Sakrament.* I. *Doodstrijd van Jezus.* 1907.

R. P. Chauvin incœpit edere in lingua neerlandica opus suum, tribus constans tomis in-16, pretio 6,50 fr. obtinendum (chaussée de Wavre, 205, Bruxelles). Exhibet valde utiles meditationes in passionem Domini, instituendas coram SS. Sacramento, juxta methodum quadruplicis finis Sacrificii eucharistici. Materia apte distributa est ad peragendam horam adorationis a sacerdotibus-adoratoribus SS. Sacramenti.

*
* *

Edw. De Saegher. *Bidden en strijden of eenige gedachten over geestelijk leven, gevolgd door practische oefeningen.* Nieuwe, vermeerderde uitgave. Rousselare, Jules De Meester. In-32, 112 p. — 0,25 fr. Per 12: 0,20; per 25: 0,18; per 50: 0,16; per 100: 0,14.

In hoc periodico (t. XI, p. 466 ss.) condigna laude celebravimus hoc opusculum, mole quidem exiguum, merito autem egregium. Hoc dumtaxat notare sufficiat: pretium novæ hujus editionis fuisse notabiliter imminutum, ut latius spargi possit. Et sane, introducta fere ubique *in christianis omne genus ephebeis* pio ac salubri usu communionis frequentis ac quotidianæ, aptissimo consilio hoc opusculum offeretur singulis pueris ac puellis, quo utantur ut *fructibus amplissimis potiantur* Convivii eucharistici. Remedium quoque paratum erit vanis timoribus eorum, quibus incumbit, juxta Decretum S. C. Conc. 20 Decembris 1905, officium *promovendi* in dictis Institutis Communionem frequentem ac quotidianam.

H. Mahieu.

Collationes Brugenses

Monitum

Circa doctrinam de actibus non consummatis libidinis.

Consentiunt Theologi communiter in rem ipsam, videlicet actus non consummatos libidinis esse peccata mortalia; argumenta vero a pluribus adducta ad illud demonstrandum rem non conficiunt; aut et confusioni ansam præbent, ita ut vel ipsa notio hujusmodi actuum pervertatur aut obscura atque inaccurata evadat.

Unde factum est ut quidam recentiores *de re ipsa* incœperint dubitare aut laxiorem doctrinam proponere: quorum alii forte, jam libidini dediti, propriam conscientiam hac via eludere ne conentur timendum est, alii veritatis studio ducti, conscientiis rite informandis et pœnitentium saluti procurandæ providendum censent; quasi olim, toto retro tempore, æquo angustior, nimium dura, nec veritati consona fuerit communis Doctorum ac theologorum catholicorum doctrina.

Quod sane, in re omni ævo omnique loco adeo obvia et praxis quotidianæ, non modo mirum cuique videbitur, sed et temerarium asserere, scilicet in hujusmodi re Ecclesiam per viginti sæcula veritatem moralem non fuisse assecutam vel non proposuisse, imo errorem passim tolerasse vel et docuisse atque sic laqueum conscientiis tetendisse cum periculo manifesto damnationis innumerarum animarum.

Igitur res maximi momenti agitur, ut veritas patescat et morum christianorum integritati prospiciatur, hac præsertim nostra tempestate, qua sensualismus fruendique effrenata libido quo latius serpit seseque diffundit, eo quoque intimius animos ipsos invadit inficitque naturalismi atque rationalismi virus; qua etiam tempestate

eo ipso diminutam videmus reverentiam erga principatum qualemcumque, ita ut et in re doctrinali, facile spreta aut minoris æstimata, motu quasi inconscio, Doctorum etiam principum auctoritate, methodo quadam rationalistica, mera vero specie rationis, omnia in adversum illorum sententiæ se dirimere posse, superbius quam verius, quidam autument.

Cæterum, ut jam insinuavimus, quæstio præsens difficultate non caret satisque subtilis est, ita ut nihil mirum sit auctores haud paucos, in rem ipsam consentientes, obscure ac confuse locutos, argumentisque inefficacibus aut inanibus rationibus innixos fuisse.

Sic qui appellant ad intentionem libidinosam ut actus non consummatos damnent, si *a/ intentionem* formaliter sumant; tunc, vel α) hujusmodi actus jam ex fine aut circumstanciis ut graviter malos habent ac ponunt: sed sic ponunt præcise quod probandum est; et præterea non debet *intendi* finis hujusmodi actus, sed sufficit eum velle, ut peccatum mortale sit; adeoque et Auctores illi nihil probant, et simul errorem asserunt, quo exigunt ad peccatum *intentionem* mali finis.

Vel β) ex ipsa intentione libidinosa probare volunt malitiam gravem istorum actuum, ita ut tota malitia eis insit ex fine mere extrinseco solius operantis: sed sic nullatenus demonstrant malitiam hujusmodi actuum, cum actus quicumque vel bonus, puta eleemosynæ, ex intentione mala vitietur.

Si vero *b/* intentionem latius sumant pro causa et fine agendi qui se habeat, non ex parte solius operantis positive intendentis finem malum, sed simul ex parte operis, quod quidem secundum diversas circumstantias ex diversis causis poni potest, in determinatis vero adjunctis ex determinata causa ab operante exercetur, non intendente finem mere extrinsecum, sed intendente vel volente (quod sufficit) finem determinatum operi *tali* quodammodo intrinsecum: tunc non sufficit asserere actum hujusmodi non consummatum fieri ex fine libidinis gravis sed oportet idem demonstrare.

Alii appellant ad periculum proximum ulterius progrediendi. At objici merito potest, periculum hujusmodi abesse posse; et contra, etiam in peccato non gravi in se, imo in actu non peccaminoso de se adesse posse; adeoque nihil probatur quoad malitiam ipsius actus periculosi. Nec attingitur quæstio nostra, sed solum enuntiatur duplex alia veritas: una quasi de jure, periculum proximum peccati mortalis esse sub mortali vitandum; altera de facto, in actu non consummato libidinis, quidquid sit de ejus malitia, periculum ulterioris peccati mortalis facile adesse.

Quodsi intelligatur periculum proximum, non ulterius progrediendi, sed periculum proximum complacentiæ seu delectationis venereæ in voluntate de præsenti, quo actus non consummatus in suo esse constituitur, tunc id saltem ostendi debet, nempe talem esse actum non consummatum libidinis.

Similiter si non tam de periculo proximo peccati agere velint Auctores, quam potius de ratione cur periculum proximum peccati est vitandum, videlicet quia involvit affectum peccati, qui æque ac peccati actus peccatum est; adeoque si mens eorum est in actibus non consummatis libidinis includi affectum peccati mortalis, hoc probandum est. Quod si probetur, sine dubio dicenda sunt peccata mortalia hujusmodi actus.

Sunt etiam qui actus non consummatos libidinis habent mere ut causas, in quibus reatus luxuriæ in causa, ut ajunt, contrahi possit ratione effectus prævisi sub gravi vitandi. Sed hi non attingunt quæstionem de malitia hujusmodi actuum, vel, si eam solam in iisdem malitiam gravem inveniri statuant quæ ratione effectus oriri potest, petitione principii laborant, cum quæratur præcise an actus illi, independenter ab effectu ulteriori sint necne graviter mali.

Hæc omnia nos admonent, quoties a communi doctrina recedere nos propria ratio invitat (adversus quam

certe communis sensus grave præjudicium parit) ad Doctores principes prius recurrere eorumque doctrinam et argumenta diligentissimo studio penitus inspicere, donec reflexe quidem nos ea intellexisse conscii planeque certi simus, ne a tantis viris et a communi theologorum consensu, falsis decepti ratiunculis, temere recedamus, quin illos ipsos deceptos fuisse certa ratione et argumentis apodicticis constet (1).

Hoc quidem jam olim (2) præstare conati sumus, nuncque rursum conabimur, diligentius inspicientes doctrinam Doctoris Angelici, ejusque præcipui interpretis Cajetani.

Attamen, majoris claritatis et brevitatis gratia, forma syllogistica argumentum proponemus, ex doctrina S. Thomæ depromptum, quo demonstramus aspectus et tactus turpes, item amplexus et oscula libidinosa esse peccata mortalia, etiamsi excludantur et periculum proximum et mens seu intentio ulterius progrediendi, necnon effectus prævisus sub gravi vitandus.

Major. Non solum consensus in actum peccati mortalis (puta consummatum luxuriæ) est peccatum mortale, sed etiam consensus in delectationem ejusdem peccati. Aliis verbis, non solum executio voluntaria operis graviter mali est peccatum mortale, sed etiam complacentia voluntaria in illo opere, absque mente vel voluntate id exsequendi, sive complete, sive incomplete.

---

(1) Hoc quidem vel sola modestia et propriæ superbiæ diffidentia, necnon reverentia erga tantæ scientiæ viros, nobis inspirare debet; sed et nostra plurimum interest, si errorem simulque nimiæ in nobismetipsis confidentiæ confusionem vitare volumus. Ita, quod v. g. S. Thomam, S. Bonaventuram attinet, qui apud illos vitium logicæ seu dialecticæ deprehendere sibi videtur, a priori judicet se non rite intellexisse eorum arguendi rationem; et certe aliud est non perspicere, v. g. consequentiam alicujus ratiocinii, aliud consequentiam non esse. Item qui pugnantia apud hujusmodi viros obvia habere se putat, incipiat rursus a seipso examinando, qui fere certo non attenderit sensum formalem, ut sæpe Cajetanus observat, aut alio modo deceptus ipse fuerit.

(2) Vid. Tr. nostrum *De Prud., fort. et temperantia,* lib. III, n. 178 et sqq., præs. n. 191.

Hæc major explicatione non indiget nec demonstratione. Cæterum, lege S. Thomam, 2. 2., q. 154, a. 4, et latius 1. 2., q. 74, a. 7 et 8. Illud tantum sedulo cave, ne consensum in delectationem ibi sumas de consensu, non in delectationem cogitatam seu complacentiam seu affectum peccati, sed in materialem, sensibilem delectationem, puta quæ comitatur actum consummatum luxuriæ, in hanc enim ipsam consentire non differt a consentire in actum (1). Et profecto assertum generale est de omni actu et delectatione peccati, etiam illius quod nullam delectationem sensuum annexam habet.

Minor. Atqui *certi* aspectus, tactus, amplexus et oscula includunt complacentiam voluntatis in peccato mortali consummato luxuriæ, et ex illo affectu peccati mortalis procedunt; ita ut, sine voluntate complendi opus, ex affectu tamen et complacentia illius, incompleti et inchoativi ejusdem actus ponantur. Et sic solummodo dicuntur illi aspectus, tactus, oscula libidinosa, suntque vere actus non consummati libidinis.

Ergo.

Explicatur et probatur minor.

1° *Applicando in casu concreto.* Aliquis solutus v. g. aspicit, contrectat membra genitalia alterius sexus, non ex motivo honesto medendi, nec solum obiter ex quadam levitate, curiositate, sed ex complacentia quam sentit, sive cum motu membrorum et materiali, sensibili delectatione, sive absque illis, ex complacentia, inquam, quam sentit in membris illis aspiciendis, tangendis *qua talibus*, qua actum seu usum sibi proprium habent, nempe consummatæ libidinis; evidenter procedunt illa complacentia aspectus, tactus, ipsique actus

(1) Vere nefas esset hanc injuriam inferre Angelico Doctori, quasi nesciverit quid dixerit enuntiando principium istud: non solum consensus in *actum*.... sed consensus in *delectationem* actus... Scilicet intellexerit actum fornicationis et delectationem *materialem concomitantem*, et non viderit consensum in utrumque esse eumdem.

ex complacentia actus consummati, cujus initium, inchoatio quædam sunt, etiamsi hunc non velit nunc nec completam delectationem physicam illius. Si enim non haberet affectum ad actum consummatum, complacentiam *hanc* in membris *illis* aspiciendis, contrectandis ne sentire quidem posset. Et ideo consentiendo in hanc complacentiam et in actum aspectus et tactus, non potest non consentire in complacentiam actus consummati, licet non in actum hunc et delectationem materialem, quæ eumdem comitatur.

2° *Declaratur exemplo a simili.* Nempe: sicut aliquis non potest instrumentum mortis injuste a se illatæ cum complacentia aspicere, contrectare qua tale, qua instrumentum aptum homicidio, nisi ex complacentia homicidii. Sed adverte discrimen: in hoc exemplo, totum se tenet ex parte finis solius operantis; in nostro proposito, ex fine etiam operis, cum a natura usum habent membra, ita ut complacentia propria aspectus, tactus turpium membrorum qua talium ex natura quoque rei, non ex solo fine operantis, a complacentia actus consummati procedat, ipsique actus ex natura rei sint inchoativi actus consummati. Unde etiam intelliges nihil referre quod actus illi sint incompleti in ordine physico, et incompletam aut nullam annexam habeant delectationem veneream physicam, cum gravis eorum malitia aliunde probetur: quia nempe affectum includunt peccati mortalis, cujus sunt partialis, inchoativa executio, independenter ab intentione vel voluntate complendi. Si autem complacentia peccati mortalis cogitati, mortale peccatum est, a fortiori erit si talis complacentia comitetur et provocet partialem executionem.

3° *Ulterior declaratio.* Attende actum venereum completum et incompletum posse considerari dupliciter: 1° *mere physice,* qua ratione est membrorum genitalium commotio; completus quidem, commotio pertingens ad ultimum effectum et delectationem perfectam, incom-

pletus vero, commotio non pertingens ad ultimum effectum et completam delectationem; undequaque eædem commotiones proveniant, sive ab agente voluntario, sive non.

2° *In ordine ad mores:* et sic actus venereus est actus humanus a voluntate procedens, qui pro objecto habet veneream commotionem, quam agens (vel interne approbat, vel et externe) producit variis actibus voluntariis, membra sua vel et alterius nudando et aspiciendo, tangendo, alteram personam amplexando et osculando, admovendo membra, etc. Quod si fiat usque ad ultimum effectum seu actum venereum, ut supra, physice completum, dicitur actus consummatus.

Quodsi agens non intendat ultimum effectum seu actum physice completum, potest nihilominus eosdem actus vel aliquos eorum ponere, nempe aspectus, tactus, amplexus et oscula, et potest commotionem membrorum producere non pertingentem ad effectum ultimum seu ponere actum physice incompletum: et sic non erunt isti actus nec vocabuntur actus consummatus, siquidem sunt solummodo initia, inchoationes, partes in exercitio actus consummati, quando hic complete exercetur. Jamvero pone aliquem sic agentem: iste vel scit in quo consistit actus physice completus, vel nescit.

Si nescit, evidenter per aspectus, tactus etc. actum consummatum exercere velle non potest, nec ex complacentia seu affectu ejusdem agere, nec suos actus considerare potest ut inchoationes et partes exercitii talis actus: unde nec actus ejus proprie libidinosi seu actus non consummati libidinis vocari debent. Quod contingere potest in pueris, imo et adolescentibus adhuc innocentibus et quid significent motus carnales ignaris; hi proin agunt potius ex quadam mala curiositate, ex delectatione sensuali, aut, si ex venerea, a gravi excusantur propter ignorantiam.

Si vero idem agens cognoscit exercitium actus consummati, tunc in aspectu, tactu etc. hujusmodi potest

quidem excludere relationem ad actum consummatum in executione, sed non in affectu: scit enim hos suos actus esse inchoationes et partes in exercitio actus consummati, et actus illos exercere, suaque membra excitare, prout fit in exercendo actu consummato, non potest nisi ex complacentia voluntatis seu affectu actus consummati, etiamsi hunc exercere non velit nec referat actus suos ad executionem operis completi.

Objicies. Quis neget actum incompletum ab actu completo separabilem esse, adeoque et exerceri posse solum, ob delectationem incompletam sibi propriam solam.

Respondeo. *Distinguo antecedens:* actus incompletus physice consideratus, videlicet commotio membrorum non pertingens ad ultimum effectum, est separabilis ab actu physice completo, *transeat* vel *concedo*. Actus incompletus moraliter consideratus seu actus non consummatus voluntarii aspectus, tactus etc. est separabilis ab actu completo voluntarie consummato, sicut initium a fine, inchoatum a perfecto, pars a toto separari potest, adeoque et exerceri potest sine actu completo, et sine intentione complendi, imo et exclusa relatione ad actum completum *in executione*, *concedo;* exerceri potest exclusa omni relatione ad actum completum in *affectu*, *nego*. Hoc enim esset dicere: nullam habeo complacentiam in fine et tamen pono cum complacentia initium, nullam in perfecto et tamen inchoo, nullam in toto et tamen partem exequor.

Contradistinguo consequens. Potest exerceri solus actus incompletus ob delectationem incompletam sibi propriam solam, nempe corporalem eum comitantem, *transeat* vel *concedo;* potest exerceri actus non consummatus.... ob delectationem seu complacentiam voluntatis in sola incompleta delectatione corporali habita, exclusa intentione delectationis completæ corporalis quærendæ de facto, *concedo*, excluso affectu illius delectationis completæ cogitatæ, *nego,* ob rationem ut supra.

4° Hucusque in concreto de aspectibus et tactibus membrorum vere turpium actum est. Alicui forte videri posset res difficilior, si de osculis et amplexibus sermo sit, nisi et ista circa membra turpia fiant. Attamen non hoc sensu tantum turpia, oscula et amplexus damnanda sunt, sed alia quoque libidinosa esse possunt. Scilicet iis omnibus applicatur doctrina modo exposita, quæ eo modo fiunt inter tales iisque in adjunctis ut procedere nequeant nisi ex dicta complacentia in peccato mortali, puta quasi affectu maritali cum non sua, etiamsi intentio et periculum proximum ulterius progrediendi, et effectus vitandus excludantur.

Finem imponimus huic utili imo necessario monito, addendo verbulum de quæstione olim a nobis agitata circa ea quæ hac in re forte licent sponsis (1). Alicui videri posset contradicere doctrinam modo expositam iis quæ cum pluribus Auctoribus, non adeo tamen asseveranter, docuimus de quibusdam osculis et amplexibus, mortalibus in solutis, venialibus tantum in sponsis. Agitur autem de veris sponsis, non quidem de præsenti, de quibus quidam Auctores antiqui loquebantur, quique erant vere matrimonio juncti, sed de sponsis de futuro, qui scilicet vera rataque promissione mutuum jus et obligationem contrahendi matrimonii habent. De his agendo, evidens contradictio supra indicata adest si isti tamquam omnino soluti habeantur; sed quæritur an tales haberi debeant et possint, cum jus habeant ad matrimonium, licet nondum ad usum; adeoque utrum ipsis aliquid plus liceat, saltem secundum veniam, quam omnino solutis, non quidem quoad actum completum, sed quoad inchoativa quædam ejusdem non omnino turpia nec propius ad copulam spectantia. Et in his profecto contradictionis argui non debet, qui non improbabilem dixerit opinionem illorum qui aliquid concedunt hujusmodi sponsis, habentibus

(1) Op. jam cit., lib. III, n. 193.

jam suum vel suam de futuro, quod omnino solutis negent. Nec obstat actus non consummatos gravia peccata demonstrari ex affectu peccati consummati; in hujusmodi enim sponsis essent quidam actus non consummati ex affectu ad futurum actum consummatum licitum, matrimonialem, seu ex præpropera quadam delectatione seu complacentia futuri conjugii, non vero ex affectu copulæ de præsenti, quod esset grave peccatum. Cæterum huic doctrinæ sat incertæ et obscuræ valedicendum facile dixeris, si cum inconcussa illa doctrina supra exposita conciliari nequeat.

† G. J. Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

—

I

Explica epistolam ad angelum (episcopum) Ecclesiæ Pergami, Apoc. II, 12-17.

II

Indica rationes ob quas alii actus sunt aliis *magis* meritorii.

III

Quid intelligis per locum Tridentinæ legi clandestinitatis *subjectum*, *non subjectum*, ab ea *exemptum?*

IV

Da notionem matrimonii *clandestini, matrimonii conscientiæ*, matrimonii *morganatici*.

V

Determina qualis debeat esse præsentia parochi matrimonio assistentis.

VI

Quid est suspensio et qua ratione ab excommunicatione distinguitur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Variis indiciis ex ipso epistolæ textu collectis ostende quibusnam et qua de causa scripta fuerit II Jo.*

I. **Lectores** II ep. S. Jo. Hæc epistola scripta est « Electæ Dominæ et natis ejus ». Quibus verbis utrum designetur aliqua christiana matrona cum liberis suis, an vero aliqua christiana communitas seu Ecclesia, multùm ambigitur (1). Illis assentimur qui *ecclesiam quamdam particularem* significari autumant, quam Joannes alloquitur ut *electam* sc. ad gratiam christianismi, et *dominam,* sc. matrem christianorum ac sponsam Christi.

Responsum probatur variis indiciis ex ipso epistolæ textu collectis.

A/ Sententiæ nostræ favet *epistolæ inscriptio* v. 1 ἐκλεκτῇ κυρίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς. Verba autem ἐκλεκτῇ

(1) Prius opinantur v. g. GRIMM, *Lexicon græco-latinum N. T.*, Lipsiæ 1904, p. 254; — POGGEL, *Der zweite und dritte Brief des Apostels Johannes,* Paderborn 1896; — HARNACK, *Texte und Untersuchungen,* t. XV, 3 (1897); — PLUMMER, *The Epistles of St John,* Cambridge 1900; — SALMOND apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible,* Edinburgh, t. II, p. 741; ante quos eodem modo jam opinati erant ESTIUS, CORNELIUS A LAPIDE, HUG, LAMY, KAULEN, BEELEN, etc. Alterum (ecclesiam particularem) tenent post S. HIER. (*Epist.* CXXIII, 12 ad Ageruch.), CORNELY, *Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros,* t. III (Parisiis, 1886); TRENKLE, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B., 1897; — ZAHN, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig 1900, t. II; — JUELICHER, *Einleitung in das N. T.*, Tübingen und Leipzig, 1901; — BELSER, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B., 1905; — CEULEMANS, *Commentarius in Epistolas catholicas et in Apocalypsim,* Mechliniæ, 1904; — CALMES, *Epitres catholiques, Apocalypse,* Paris, 1905. Dubius hæret GUTJAHR, *Einleitung zu den h. Schriften des N. T.*, Graz, 1905.

κυρίᾳ vario modo explicari et verti possunt: 1/ à l'excellente dame; 2/ à une excellente dame; 3/ à l'excellente Cyria; 4/ à la dame Electa (1) Ambæ priores interpretationes non dirimunt quæstionem utrum ad personam individuam vel potius ad ecclesiam aliquam epistola missa fuerit; 3ª et 4ª translatio priori sententiæ favent quidem, verùm neutra teneri potest. Etenim quarta rejicienda apparet propter v. 13, e quo « electa » nomen commune esse liquet, tùm quia ibi cum art. τῆς ἐκλεκτῆς habetur, tùm quia aliàs duæ sorores eodem nomine appellatæ fuissent, quod verisimile non est. Tertia interpretatio est probabilior, quia κυρία ut nomen proprium quandoque usuvenit (2). Attamen in hoc casu auctor potius κυρίᾳ τῇ ἐκλεκτῇ scripsisset, sicut scripsit *III Jo.*, 1 Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. Censemus ergo utrumque nomen ἐκλεκτή κυρία esse nomen commune, ità ut prior interpretatio (3) vel secunda (4) eligenda videatur.

Jamvero, si ad personam individuam scripsisset Joannes, eam verisimiliter non communi, sed proprio suo nomine appellasset. Neque vox κυρία titulus est ab auctore insigni cuidam matronæ tributus. Etenim prisci christiani ab hujusmodi titulis honorificis abstinuisse videntur (5); et etiamsi titulo isto matrona compellari possit (v. 5), in epistolæ inscriptione dictum nomen nonnisi nomini proprio apponeretur (6). Unde nomine κυρία Joannes metaphorice potius *ecclesiam particularem* appellaverit. Quæ appellatio ac personnificatio ab usu N. T. non ita alienæ videntur (7). Ecclesia universalis

---

(1) Salmond, *l. c.*, adhuc indicat 5am interpretationem: à Electa Cyria. At verò, ut ipse observat, aliis difficultatibus accedit quod domina ista duo nomina propria eaque satis mira habuisset.

(2) Cf. Zahn, *o. c.*, p. 584.

(3) Cui non obstat absentia articuli. Cf. *Act.* XVII, 23: ἀγνωστῷ Θεῷ.

(4) Quæ est obvia et naturalis, at parum definita.

(5) Zahn, *o. c.*, p. 385, 584.

(6) Cf. *I Tim.* I, 2; *Philm* 1.

(7) Ita c. II et III Apocalypseos, septem ecclesiæ personnificantur.

enim non tantum ut sponsa Christi exhibetur (1), sed etiam ut ejus uxor (2). Quod autem de Ecclesia universali valet, etiam de particulari aliqua ecclesia affirmari potest, non quod sit ἡ κυρία (τοῦ Κυρίου) sed κυρία Christi Domini (absque art., *épouse*), vel etiam mater christianorum (3).

B/ *Argumentum epistolæ* pariter suadet auctorem non personam privatam sed integram aliquam communitatem christianam alloqui. Ita notetur inscriptio 1-3, maxime verba : « Senior Electæ Dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, *et non ego solus, sed et omnes, qui cognoverunt veritatem, propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum* » ; pariter v. 4 : « Gavisus sum valde quoniam *inveni de filiis tuis ambulantes in veritate* (4) sicut mandatum accepimus a Patre » ; deinde v. 5 : « Et nunc rogo te Domina, *non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum* », coll. *I Jo.* II, 17 ; adhuc v. 7 : « *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et antichristus* », coll. *I Jo.* II, 18 s.; demùm v. 10 : « Si quis venit ad vos, *et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum* (εἰς οἰκίαν, non autem εἰς τὴν οἰκίαν), *nec Ave ei dixeritis* » ; denique v. 12 et 13 « *Salutant te filii sororis tuæ Electæ* ». Quæ omnia sensu magis obvio et naturali intelliguntur si ad cœtum christianum, non ad personam individuam scripta supponantur (5).

---

(1) Cf. *Jo.* III, 29 ; *Apoc.* XXII, 17

(2) Cf. *Apoc.* XXI, 9 ; *Eph.* V, 22-32 coll. *Rom.* VII, 4.

(3) Cf. *Gal.* IV, 26. Usum metaphoræ vocisque ἐκλέκτος (raræ apud Jo.; occurrit tantum *Jo.* I, 34 et *Apoc.* XVII, 14) Joanni suggerere potuit I ep. S. Petri ad ecclesias Asiæ Minoris (I, 1) scripta et quæ V, 13 habet : « Petrus Apostolus Jesu Christi, *electis* advenis dispersionis Ponti etc. ».

(4) Ægre intelliguntur hæc verba, si auctor unam mulierem alloqui dicatur.

(5) Mira apparet sententia Clem. Alex. in *Adumbrat.* : « secunda

Pariter in nostra sententia melius intelligitur mutatio generis singularis (v. 5, 13) et pluralis (v. 5, 8, 10, 12).

Quænam autem hæc ecclesia particularis fuerit prorsus ignoramus. Probabilius epistola fuit destinata uni ex asiaticis communitatibus quas Joannes Ephesinus (ὁ πρεσβύτερος) in ultimo vitæ suæ regebat et interdum invisebat (1).

II. **Causa scribendi.** Occasio ipsique respondens scopus scribendi haud obscure in epistolio innuuntur. Cùm comperisset Joannes ecclesiæ cujusdam membra quædam « in veritate ambulare » (v. 4), quorumdam tamen fidem charitatemque refriguisse, omnibusque periculum ex parte pseudodoctorum « Jesum Christum venisse in carnem » (2) negantium (v. 7) adesse, *lectores ad exercitium charitatis fraternæ (v. 5), ad observationem Dei mandatorum (v. 6), et maxime ad constantiam in fide adhortatur (v. 8-9). Eos monet ut « seductores » hæreticos sedulò caveant, ita ut tales neque hospitio recipiant neque « Ave » eis dicant* (v. 10-11).

A. Camerlynck.

Joannis epistola, quæ ad virgines scripta est simplicissima; scripta vero est ad quamdam Babyloniam, electam nomine, significat autem electionem ecclesiæ sanctæ ». Clemens ergo affirmare videtur II Jo. ad mulierem Babylonicam, Electam nomine, fuisse destinatam. Quomodo hæc singularis opinio enata est? Zahn (*Einl.* t. II, p. 584) autumat Clementem hanc matronam de qua II Jo. 1 (Ἐκλεκτή) identificasse cum « cœlecta (συνεκλεκτή) quæ est in Babylone » *I Pet.* V, 13. Juxta politicum illius temporis statum Babylonia ad Parthos pertinebat, ità ut Clemens lectores II Jo. etiam hoc modo indicaverit: πρὸς πάρθους. Interpres autem latinus Clementis erronee legerit πρὸς παρθένους, ità ut verterit: *ad virgines*. Qui titulus ad reliquas epistolas S. Joannis, notatim ad I Jo. (Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ Catholicæ*, Brugis, 1907, p. 165 s. n. 5) translatus fuit. Huic solutioni tamen, ut notat Belser, *o. c.*, p. 356, obstat quod Clemens in *Hypotyp.* l. VIII (Eus., *Hist. Eccl.*, II, 15) sicut Papias, nomine Babylonis (I *Pet.* V, 13) metaphorice *Romam*, non autem Babylonem ad Euphraten intellexerit. Etenim, non liquet quo jure auctoritas Eusebii, in hac Clementis opinione asserenda, in dubium vocari queat.

(1) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 158 ss., 217.

(2) Cf. suprà, p. 166 s.

II

Q. *Ut actus sint meritorii de condigno vitæ æternæ debentne procedere* ex motivo supernaturali?

R. Circa hanc quæstionem variæ dantur theologorum sententiæ et etiam diversi adhibentur modi loquendi. Claritatis igitur gratia, determinanda est quæstio, definiendo quid hîc vocetur *motivum*. Porro nomine *motivi* hîc designatur bonum quod, intellectu apprehensum, vere movet voluntatem ad eliciendum actum bonum deliberatum (1): potest esse unicum bonum actu intentum, possunt esse plures fines ad invicem subordinati, qui actu appetuntur: tunc ultimus est proprie *motivum*.

Hoc posito, respondendum videtur: 1/ non requiritur ut motivum, ex quo procedit actus, sit *supernaturale*, h. e., pertinens ad illa bona quæ naturæ humanæ sunt indebita et sola fide cognoscuntur; 2/ non requiritur ut finis proximus naturalis *explicite* referatur ab agente ad finem supernaturalem.

Demonstratur. 1. Certe non requiritur motivum supernaturale ad hoc ut actus sit moraliter bonus et liber. Relinquitur inquirendum utrum tale motivum necessarium sit ad hoc ut actus sit *supernaturalis* (2).

---

(1) Non confundenda est ratio *motivi* cum ratione *objecti* (vel materialis, vel formalis) alicujus actus *moralis:* objectam est id circa quod versatur actus; motivum est finis operantis, sive coincidat, sive non, cum fine operis. — De distinctione inter objectum materiale, objection formale, motivum, cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Annotationes in Tractatum de Virtutibus theologicis*, p. 12; *Collat. Brug.*, t. II, p. 559 s.; Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 45; *De Virtutibus infusis*, Romæ, 1901, p. 90 ss.; Schiffini, *De Gratia*, Friburgi Br. 1901, p. 327. — Motivum quod suprâ definivimus vocatur etiam motivum *objectivum*.

Hæc distinctio inter objectum materiale, objectum formale et motivum, adhibetur etiam de actibus, qui sunt physice *necessarii* et non ingrediuntur ordinem moralem, v. gr. de actibus cognoscitivis tum sensuum, tum intellectus: tunc motivum non dicitur, nec est, bonum quod *apprehensum* movet agens ad agendum, sed id quod determinat facultatem ad actum: v. gr. lumen in actu visionis, evidentia in actu intelligendi.

(2) Moralis bonitas, libertas, supernaturalitas sunt tres conditiones actus meritorii de condigno: v. suprâ, p. 96 ss.

Videtur autem quod non. Nam inter ambitum objectivum virtutum infusarum sunt etiam omnes actus qui ad observationem legis mere naturalis spectant et qui, solo naturalis rationis lumine, ut honesti cognoscuntur. Hoc enim videtur docere S. Paulus scribendo: « De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate » (1): igitur ab operatione *salutari* hominum justificatorum nullus actus honestus, quomodocumque ut honestus apprehendatur, excluditur: consequenter omnes actus moraliter boni elici possunt ab aliqua virtute infusa.

Quod etiam ratione theologica probatur: etenim Deus volendo ut homo possit semper et in omni operatione morali tendere, modo proportionato, ad ultimum finem supernaturalem, diversas infudit virtutes quarum unaquæque correspondet alicui virtuti quæ naturaliter acquiri potest: proinde singulæ virtutes infusæ ordinantur ad eliciendos omnes actus bonos qui continentur in ambitu virtutis acquisitæ correspondentis: et sane theologi, ut determinent quinam sint actus qui ad talem vel talem virtutem *infusam* pertineant, respiciunt imprimis ad ipsum finem operis, qui naturali lumine rationis cognoscitur et inde deducunt specialem rationem honestatis quæ tali actui convenit. V. gr. ut statuatur quinam sint actus pertinentes ad temperantiam stricte dictam inquiritur quomodo regulandæ sint delectationes præcipuæ quarum opera requiruntur ad conservationem individui et ad conservationem speciei; regula autem suprema hæc est: ut fiant illa opera delectabilia eo modo ut attingant finem proximum et proprium ad quem ex sese ordinantur a Deo *auctore naturæ:* quare, v. gr. homo recte et virtuose agit quando *usu rationabili*

(1) *Philip.* IV, 8.

sumit cibum ut servetur sanitas (1): igitur tales actus pertinent ad ambitum objectivum virtutis infusæ *abstinentiæ* et hæc virtus ordinatur ad tales actus eliciendos.

Hoc posito, si homo justificatus recte sumit cibum, intuitu solius servandæ sanitatis, nihil aliud cogitando, hic actus connaturaliter elicietur virtute infusa, eritque supernaturalis et meritorius. — Ad rem SCHIFFINI: « Cum virtus moralis acquisita non necessario differat a correspondente virtute infusa ex parte objecti materialis et ex parte motivi objectivi, ut suo loco ostensum est (n. 206), quoties homini justificato offertur quicquam agendum ex motivo objectivo virtutis acquisitæ, jam constituitur in actu proximo agendi etiam ex virtute infusa. Et ideo nihil mirum si tunc eliciatur actus non mere naturalis, sed ex potentia corroborata per virtutem infusam supernaturalem » (2).

2. Nec requiri videtur ut homo hunc finem operis, cujus intuitu vere movetur ad agendum, explicite referat ad finem supernaturalem, sive ad aliquod bonum supernaturale acquirendum, sive ad aliquam rationem honestatis *fide,* hîc et nunc, apprehensam: v. gr. non requiritur ad opus meritorium ut homo volendo sumere cibum ad sanitatem servandam ulterius hanc sanitatem ordinet ad laborandum in salutem animarum; vel fide apprehendat Dei esse voluntatem ut manducet ad sanitatem servandam. Et sane, secundum illa quæ suprà, p. 19, diximus, hic finis implicite refertur ad finem supernaturalem ad quem homo, actu charitatis, se et omnia sua ordinavit. Ad rem PESCH: « Fides ad hoc imprimis requiritur ut homo possit habere intentionem finis supernaturalis et versus eum moveatur. Ergo in singulis operibus eatenus fides efficaciam habere necesse est,

---

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Virtutibus cardinalibus,* L. III, De Temperantia, n. 11 ss, n. 31.

(2) *De Gratia,* Friburgi Br. 1901, p. 660. Idem docent TERRIEN, *La grâce et la gloire,* Paris, 1897, t. II, p. 61 s.; PIGNATARO, *De Gratia* (autogr.), p. 472.

ut homo gradiatur intra viam et non faciat gressus extra viam. Ad hoc autem opus non est in singulis operibus elici actum fidei aut renovari intentionem finis supernaturalis. Sed sicut is qui peregrinationem instituens in longinquam civitatem, ab initio firmum propositum elicit illuc eundi et vi hujus propositi tam diu procedit in itinere, quamdiu actum contrarium vel explicite vel implicite non posuerit, ita Christianus, qui semel elicuit firmum propositum actibus suis acquirendi vitam æternam, tam diu ex hoc proposito agit, quamdiu illud non revocat neque negative, neque positive, neque explicite neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Si vero revocavit, nova conversio ad finem requiritur » (1).

Adnotatio. Thesis propugnata illustrabitur ac propugnabitur sequentibus animadversionibus.

a/ Hæc sententia logice sequitur ex doctrina quam suprà, p. 18 ss., exposuimus, secundum quam censemus in homine justificato, qui semel elicuit actum charitatis, *omnes actus moraliter bonos* esse etiam *meritorios* (2): non enim teneri potest omnes actus moraliter bonos in homine justificato, procedere ex motivo supernaturali, fide apprehenso: igitur ut actus sit meritorius, non requiritur, secundum illam sententiam, ut procedat ex motivo supernaturali.

Præterea nostra sententia videtur omnino conformis rectæ notioni ordinis supernaturalis: virtutes enim supernaturales non sunt considerandæ tamquam principia operandi quibus ageret homo independenter a facultatibus operandi naturalibus; sed consideranda sunt tamquam habitus qui intrinsece elevant ipsas potentias naturales; deinde opera moraliter bona, quæ pertinent

---

(1) *Tractatus dogmatici*, T. V, *De Gratia*, n. 408.

(2) Ut ex dictis constat, censemus omnes actus moraliter bonos in justificato esse etiam *supernaturales*: certo nullus datur actus meritorius quin sit supernaturalis.

vel ad observationem legis naturalis, vel ad exercitium perfectionis moralis, quæ solo naturali rationis lumine cognosci potest, non excludenda sunt a complexu operum quæ spectant ad perfectionem supernaturalem, sed in illo complexu sunt admittenda: igitur omnia opera moraliter bona, quæ sola naturali ratione cognosci possunt, possunt et debent, secundum adjuncta, exerceri ab hominibus justificatis, ut attingant finem suum supernaturalem: inde dicendum est quod virtutes morales infusæ a Deo conceduntur ut per illas exerceant homines illos *omnes* actus qui spectant ad objectum proprium uniuscujusque virtutis: nulla est igitur ratio dicendi quod homo justificatus, ut exerceat aliquam virtutem moralem infusam, debeat apprehendere actu aliam rationem bonitatis actus præter illam rationem quæ ipsi actui, natura sua, inest: v. gr. quod homo ad exercendam justitiam infusam debeat actu cogitare de alia ratione bonitatis quam est illa ratio: honestum est solvere debitum alii. — Certe non constat de tali necessitate; et sæpissime concionatores, ut exhortentur justos ad exercitium virtutum *salutarium,* adducunt motiva ex solo ordine naturali, quia censent illa esse apta quibus de facto *moveantur* homines ad bene agendum, nec asserunt non posse homines agere pro illis motivis tantum.

Ad theologos quod attinet, S. Thomas et antiquiores scholastici qui cum illo tenent omnes actus moraliter bonos in justificato esse meritorios, non explicite loquuntur de hac quæstione: sed, ut videtur, sententia, quam hic propugnamus, logice omnino sequitur ex altera.

Deinde S. Thomas dicit: « Ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel caritas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel de caritate cogitet: nec iterum sufficit quod aliquis in habitu tantum Deum et caritatem habeat (quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod fal-

sum est): sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est caritas vel Deus, et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit; ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur » (1). Rectitudo porro illius ordinationis salvatur, secundum S. Thomam per hoc quod homo semel elicuit actum charitatis et ita se et omnia sua ordinaverit ad Deum supernaturaliter amatum super omnia (2). Non igitur ad rationem meriti exigit S. Thomas ut opus eliciatur ex motivo supernaturali hic et nunc fide apprehenso.

Nec in hac re discrepare videtur S. BONAVENTURA: « Habitualem etiam intentionem sive relationem voco, quando, non præcogitato in actu ut tunc fine ultimo, sive Deo, ex sola boni operis consideratione, ipsa caritas prompta, vel aliqua alia virtus caritate informata ad ipsum bonum opus inclinat; sicut vir obediens meretur obediendo prælato sibi præcipienti, etiamsi nihil de Deo cogitet, sed solum consideret, quod bonum est obedire » (3). Igitur, secundum S. Bonaventuram, homo justificatus qui recte agit *ex sola boni operis consideratione,* e. gr., ex hoc quod considerat *bonum esse obedire,* meretur, et actus meritorius elici potest vel charitate, vel *alia virtute* informata charitate: nonne importat hæc sententia quod ad meritum non requiritur ut singuli actus meritorii procedant ex motivo objectivo supernaturali vel ex actuali exercitio fidei?

Inter Thomistas recentiores, GONET (*Clypeus theologiæ thomisticæ*, 2ª Pars, Tract. IX, disp. II, a. 2), GOTTI (*Theologia scholastico-dogmatica*, T. II, tract. VIII, Q. II, dub. 1), BILLUART, (*Tractatus de Gratia*, dissert. VIII, a. 1) enumerando varias conditiones

---

(1) In II, D. XXXVIII, Q. I, a. 1, ad 4.

(2) V. suprà, p. 19.

(3) In II, D. XLI, a. 1, q. 3, ad 6 in fine (Edit. Quaracchi, 1885, T. II p. 946).

requisitas ad meritum non loquuntur de necessitate motivi objectivi supernaturalis (1).

VASQUEZ (in I-II^{æ}, Disp. CCXVII, c. 6 ss.) tenet sententiam quam defendimus, licet non videatur sequendus in opinione quam habet de natura et influxu gratiæ requisito ad opus salutare.

SUAREZ vero (*De Gratia,* L. XII, c. 10, n. 19, n. 28) docet ad opus meritorium requiri omnino motivum objectivum supernaturale, imo actualem fidei influxum esse omnino necessarium : « Sine actuali influxu fidei nullum est meritum et valde probabile est non sufficere virtualem influxum per actum præteritum, sed requiri quasi formalem, per actum intellectus ad fidem pertinentem qui duret quamdiu durat actuale meritum... » l. c., n. 28.

Non citat Suarez auctores ad suam defendendam sententiam : varias affert rationes quas hîc exponere et examini subjicere nimis esset longum, eo vel magis quod hæc Suarezii sententia connectitur cum opinione quam habet de essentia actus supernaturalis. Et sane ipse tenet actum non posse esse supernaturalem nisi procedat ex motivo supernaturali apprehenso fide: hoc autem negamus. Etiam et consequenter impugnat Suarez sententiam S. Thomæ aliorumque qui censent in homine justo omnes actus bonos esse meritorios.

b) Minime negamus necessitatem *fidei* ad actum meritorium. Etenim virtus fidei infusa requiritur, quia necessario adest in homine justificato ; deinde *actus* fidei prærequiritur ad actum charitatis quo homo se

---

(1) *Gotti* tamen, o. c., l. c. dub. 4, § 2 dicit: « Opera moralia virtutum acquisitarum, etsi facta ab homine justo, et existente in gratia, si tamen non fiant ex imperio charitatis, sed ex motivo et auxilio mere naturali, non esse meritoria de condigno vitæ æternæ ». Sed non constat de sensu verborum : *ex motivo et auxilio mere naturali.* Nec nos admittimus meritoria esse opera quæ procedunt ex *auxilio mere naturali.* Gotti ut probabilem habet sententiam quæ dicit ad meritum sufficere ordinationem charitatis remotam et generalem etsi longo tempore præcesserit, tamen oppositam huic sententiam esse probabiliorem censet, l. c., § 3.

et omnia sua refert ad finem ultimum supernaturalem; præterea ut homo justus perseveret in statu gratiæ, oportet ut pluries repetantur actus fidei. Quod bene est notandum: in præsenti ordine Providentiæ, ut homo possit per longum tempus vitare peccata mortalia etiam quæ prohibentur sola lege naturali, requiritur gratia (1): hoc autem non solum importat quod sanctificans gratia virtutesque infusæ insint homini, sed etiam quod illæ virtutes *exerceantur*. Tandem quo sæpius homo agit ex motivo fide apprehenso, quo magis imbuitur spiritu fidei, eo facilius vitabit peccata et ad altiorem perveniet perfectionem. Nostra igitur thesis minime favet *naturalismo*.

c) Nec eadem thesis implicat solutionem hujus quæstionis: utrum ad singulos actus salutares in homine justo requiratur auxilium actuale gratiæ: loquimur enim tantum de *motivo objectivo*, h. e. de ratione boni quod, apprehensum, movet agens ad eliciendum actum, non loquimur de intrinseca natura actus quo apprehenditur bonum, vel ipsius actus deliberati. Notemus tamen actum quo apprehenditur motivum, sive sit supernaturalis, sive naturalis, non posse *efficere* ut intrinsece supernaturalis sit actus deliberatus consequens: qua de re sermo erit in alia responsione.

d) Nec assentimur sententiæ propugnatæ a JUNGMANN dicente: « Requiritur (ad meritum condignum) ut opus fiat ex motivo supernaturali i. e. ex motivo apprehenso per fidem, non vero tantum ex motivo naturali per rationem oblato » (2). — Animadvertendum præterea est quod prædictus auctor adjungit: « Attamen necessarium non est, ut motivum quo proxime et immediate ad actionem incitamur supernaturale sit. Sufficit enim motivum remotum et mediatum esse supernaturale quatenus influit in proximum motivum, illi valorem

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 69.
(2) *De Gratia*, n. 368.

nobiliorem tribuit, et illud ad se refert tanquam finem extrinsecum. Exemplo rem illustremus. In danda eleemosyna fieri potest ut compassio naturalis sit proximum motivum impellens; sed motivum remotum potest amor Christi esse, vel promptitudo implendi voluntatem Dei, quam fide cognoscimus » (1). Notemus hic aliquam confusionem: compassio naturalis non est *motivum objectivum:* est *actus* appetitus sensitivi vel, si analogice dicitur, actus indeliberatus voluntatis; pariter amor Christi non est motivum objectivum. Exemplum igitur non est aptum ad elucidandam propositionem auctoris quæ est de *motivo objectivo,* quando loquitur de motivo *apprehenso* per fidem. In exemplo exposito motivum objectivum posset esse honestas sublevandi miseriam pauperis, vel imitandi Christum.

J. Van der Meersch.

III

Q. Ex ipsa natura matrimonii *ostende Ecclesiæ* jure proprio et exclusivo *competere regimen in matrimonia* fidelium *et in specie potestatem statuendi impedimenta.*

RESPONDETUR.

I/ **Soli Ecclesiæ,** *ad exclusionem potestatis civilis,* **competit regimen in matrimonia fidelium.**

1m Arg.: Matrimonium inter fideles validè initum est sacramentum, idque adeo ut contractus a sacramento dissociari nequeat, nec ulla inter utrumque admittatur distinctio realis. Unde contractus moderari nequit quin eo ipso sacramentum attingatur; et ita non possent poni conditiones ad valorem contractus quin etiam ponantur pro sacramento suscipiendo, nec possent personæ inhabilitari respectu contractus quin eo ipso rejiciantur qua ministri sacramenti (2).

---

(1) *O. c.,* n. 369.

(2) Palmieri, *De matrimonio christiano,* p. 274; Feye, *De Imped. matrim.,* n. 58, 60-63.

Jamvero soli Ecclesiæ nativo jure competit sacramentorum administratio, quæ potestati civili est deneganda penitus : « de sacramentis statuere et præcipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit planè potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam » (1).

2m Arg.: Etiam, seclusa ratione sacramenti, matrimonium, uti est in officium naturæ, est sacrum (2) : utique non essentialiter et intrinsecè, sed ratione finis ad quem ordinatur; directe namque et immediatè tendit « ad ingenerandam Ecclesiæ sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei ». Encycl. *Arcanum.*

Quodsi est sacrum, « consentaneum est, quemadmodum ratiocinatur Leo XIII, l. c., ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium ». Equidem æque immediatè spectat matrimonium ad conservationem et incrementum societatis civilis, et ideo, abstracte loquendo, jus haberet et titulum princeps sæcularis ad matrimonium christianum, seclusa sacramenti dignitate, regendum ; sed, re in concreto spectata, non potest status civilis jus suum urgere in concursu altioris juris Ecclesiæ, cui cedere debet, cum impossibile sit idem ac individuum matrimonium duabus potestatibus independenter regi ac moderari (3).

---

(1) Epist Encycl. *Arcanum,* 10 Febr. 1880.

(2) Cf. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis,* II, p. 429 : « Matrimonium uti est in naturæ officium non est in sua entitate sacrum », sed « habet ad actiones sacras in quibus consistit cultus Dei intrinsecam proportionem habitudinis, eo quod principaliter ordinatur ad Dei cultores educandos ».

(3) Idem matrimonium foret validum et invalidum, iidem vir et mulier ab uno judice haberentur uti conjuges et cogerentur ad cohabitandum, dum ab alio judice declararentur concubinarii et separandi. Quodsi dicatur posse rationem haberi impedimentorum utriusque legislationis, id saltem non valeret pro forma contractus; sic possent ab utraque lege statui formalitates ad valorem observandæ quæ simul observari non possent. Cf. Palmieri, o. c., p. 268 s.; Heuser, *De Potestate statuendi impedimenta,* Lovanii, 1853, p. 82-84 ; Basdevant, *Des Rapports de l'Eglise et de l'Etat,* Paris, 1900, p. 40 s.

Et ita solvitur objectio opponi solita contra hoc alterum argumentum, jus exclusivum Ecclesiæ vindicans ex natura matrimonii, seclusa ratione sacramenti: *Maj.* Princeps civilis statuere potest, salvo jure naturæ et divino, circa omnia intrinsecè non sacra, quæ ordinantur ad bonum societatis civilis. *Min.* Atqui hujusmodi est matrimonium christianum. Ergo.

Respondetur namque *distingueudo majorem:* Princeps civilis..... quæ ordinantur ad temporale bonum: *mediatè* tantùm, ita ut immediatè conducant ad bonum spirituale, et, mediante bono spirituali, promoveant bonum temporale, *nego; immediatè, subd.: unice, conc.; æque immediate* ac ad bonum spirituale, iterum *subd.:* si adest societas supernaturalis, nec concurrenter exerceri potest utraque potestas, *nego;* si deest societas supernaturalis, vel utraque potestas exerceri valet concurrenter, *conc.*

Jamvero matrimonium christianum, si immediate spectat bonum et incrementum societatis civilis, æque immediate spectat bonum et propagationem Ecclesiæ, nec potest concurrenter exerceri utraque potestas, uti vidimus.

II/ Soli Ecclesiæ exclusive competit regimen jure proprio, idque divinitus ex ipsa natura matrimonii.

Dicitur: 1°/ *jure proprio,* i. e. « non ex supposito assensus vel conniventiæ Principum », nec « illo jure quod a civili potestate mutuata est » (1).

2°/ *Vi ipsius naturæ matrimonii, adeoque ex jure divino:* i. e. « illa reservatio nequaquam repetenda est ex *positiva* quadam lege *ab Ecclesia* lata, quemadmodùm v. gr. causæ mere civiles inferiorum clericorum, per se potestati civili non subductæ, nonnisi per positivam legem Ecclesiæ soli foro ecclesiastico saltem ex antiquo jure communi fuerunt reservatæ » (2). Unde, juxta

(1) De Becker, *De Sponsalibus et matrim.*, ed. 1903, p. 30 s.
(2) Wernz, *Jus Decretalium,* IV, n. 55 et 56, sub III. Fuerunt nempe

verba Leonis XIII, l. c., potestatem in conjugia christiana ita exercet Ecclesia, « ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum consensu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam ».

Hæc corollarii ad instar continentur in dictis sub I, ubi argumenta adducta tota quanta tendunt in vindicandum jus Ecclesiæ *proprium,* ejusdemque exclusivam potestatem deducendam *ex jure divino ipsaque natura* matrimonii christiani.

III/ Regimen matrimonii **importat Ecclesiæ, ejusque solius, facultatem statuendi,** *salvo jure naturali ac divino,* **impedimenta dirimentia et impedientia.**

Regimen circa matrimonium potissimum exercetur instituendo impedimenta matrimonii dirimentia (1) et impedientia: ratio namque boni communis societatis exigit ut, in hoc, præter ordinationes juris naturalis ac divini, variæ inducantur prohibitiones et irritationes, putà ad matrimonia moderanda inter consanguineos et affines, ad connubia impedienda inter quorumdam criminum complices.

Cui potestatis exercitio non officit quod matrimonium sit sacramentum a Christo Domino institutum, cujus proinde natura ac indoles immutari nequit (2). Matri-

---

olim Auctores erronee contendentes regimen matrimonii jure proprio esse tribuendum tum Ecclesiæ tum Statui civili, ita tamen ut Ecclesia potuerit sibi reservare potestatem legislativam in matrimonium christianum, excluso Statu civili: quod de facto contigisse diunt.

(1) *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, can. 4°: « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit ».

(2) Hæc difficultas fuit mota in Synodo Tridentina, occasione decreti de clandestinitate, uti notat Bened. XIV, in Litter. Apostol. 19 Martii 1758 (*Collectan.,* n. 1391): « Dubitabatur primo, utrum Ecclesia abrogare posset clandestina conjugia, propterea quod legitimus contractus, materia insimul ac forma est sacramenti matrimonii:.... ex quo nonnulli arguebant quod, legitima traditione et acceptatione conjunctis, subest materia et forma, quæ non ab alio immutari potest, præterquam ab eo qui divinæ gratiæ est auctor quæ per sacramenta confertur ». Cf. etiam Esmein, *Le mariage en droit canonique,* Paris 1891, I, p. 78 ss, II, 159 ss.

monium nempe christianum, si est sacramentum, est simul etiam contractus, et ita quidem ut non quivis contractus sit a Christo elevatus in sacramentum, sed solus contractus *validus*, in quo scilicet ineundo observatæ sunt conditiones ex auctoritate competente ad valorem requisitæ. Possunt igitur, per impedimenta, conditiones apponi etiam ad valorem contractus, quin immutetur ipsa sacramenti substantia: ponuntur quidem eo ipso conditiones ad validam sacramenti susceptionem, sed planè intacta relinquitur sacramenti substantia.

Notetur autem quod ad matrimonii regimen, Ecclesiæ exclusive pertinens, non tantum spectat constitutio impedimentorum dirimentium, sed etiam merè prohibentium, quodque utriusque speciei impedimenti introductio importat actum administrationis circa sacramentum.

Contrariam doctrinam, quam tuentur Perrone et De Angelis, quasi princeps civilis posset inducere, pro matrimonio christiano, impedimenta *impedientia,* reprobavit Leo XIII, in Litt. ad Ep. Veronensem, 8 Febr. 1893: « Quævis alia potestas præter illam ad quam hujusmodi administratio spectat de conditionibus ad matrimonium rite ineundum necessariis, ut matrimonium ipsum licite et validè celebretur, judicium ferre nec potest nec debet ». *Acta S. Sedis*, XXV, p. 462. Cf. etiam textum allatum sub I, ex Litter. encycl. *Arcanum.*

Nota. 1°/ Fata Ecclesiæ quoad regimen matrimonii videsis apud LEMAIRE, *Le mariage civil, — Etude historique et critique,* Paris, 1901, signanter p. 18-58; BASDEVANT, o. c., p. 13-60 (1); ESMEIN, o. c., I, 3-63.

2°/ Documenta positiva doctrinæ expositæ faventia,

(1) Describit A, l c. relationes Statum inter et Ecclesiam, quoad regimen matrimonii, inde a Concilio Tridentino usque ad constitutionem Codicis civilis, et exponit successionem triplicis stadii: *primi* in quo agnoscebatur exclusiva competentia Ecclesiæ; *secundi,* in quo nitebantur nonnulli Statui simul et Ecclesiæ regendum submittere matrimonium; *tertii,* in quo omnis competentia denegata est Ecclesiæ.

præter illa quæ jam allata sunt, referunt FEYE, o. c., n. 22-56; DE BECKER, o. c., p. 30-33.

3°/ Quemadmodum potestas legislativa, ita etiam potestas judiciaria unicè et exclusivè pertinet ad Ecclesiam; a. v. omnes causæ matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos. « Est enim axioma apud omnes receptum: ejus qui legem tulit esse etiam judicare res litigiosas hanc legem concernentes, vel: illum qui habet potestatem legislativam in certa re, habere etiam potestatem judiciariam in eadem re » (1).

Cæteroquin Conc. Trid., Sess. XXIV, can. 12, sub anathemate docuit causas matrimoniales « spectare ad judices ecclesiasticos »; cujus S. Synodi sententiam sensu exclusivo interpretandam esse vindicat Pius VI, in epist. ad Episc. Motulensem: « Verba enim, ait, canonis ita generalia sunt *omnes* ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo latè patet ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant: si enim hæ causæ non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiæ judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et propriè unum ex septem sacramentis, sicut hæc sacramenti ratio communis est *omnibus* causis matrimonialibus, ita *omnes* hæ causæ spectare unice debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem ratio sit in omnibus » (2).

Quo pacto doctrina de potestate judiciaria Ecclesiæ exclusive competente, quoad *omnes* causas matrimoniales dirimendas, non est quidem de fide definita, sed absque errore ac temeritate negari non potest.

4°/ Circa Ecclesiæ potestatem *coercitivam* respectu matrimonii fidelium, cf. WERNZ, o. c., n. 62; DE BECKER, o. c., p. 35 s.

Conclusio. Matrimonium christianum obnoxium est solius Ecclesiæ potestati legislativæ, judiciariæ et coer-

---

(1) AICHNER, *Compendium juris ecclesiastici*, Brixinæ, 1905, p. 564.
(2) FEYE, o. c., n. 12.

citivæ: in omnibus scilicet quæ spectant vel *ipsum vinculum*, vel omnia *quæ cum vinculo conjugali intimè cohærent*, sive qua *prævia*, uti sponsalia (1), sive qua *effectus* vinculo essentiales ab eoque inseparabiles, qualia sunt consortium vitæ, legitimitas prolium, et auctoritas paterna (2).

IV

Q. *Determina jus et officium principis civilis quoad matrimonia fidelium.*

RESPONDETUR.

I/ Jus.

Exclusa quacumque potestate Principis civilis circa ipsum matrimonium christianum, ac circa ea quæ cum vinculo conjugali sunt intimè connexa, jus habet status sæcularis:

1°/ exercendi suam potestatem legiferam, judiciariam et coercitivam circa *effectus merè civiles* matrimonii, illos nempe effectus qui consequuntur quidem matrimonium, sed non sunt ipsi vinculo essentiales, seu ab eo inseparabiles, ac res merè politicas et temporales directè atque immediatè respiciunt (3): tales effectus spectant « quantitas dotis, jura successionis conjugum erga parentes sive quoad nobilitatem sive quoad bona, item successionis conjugum reciprocè, vel filiorum ipsorum quoad bona aut nobilitatem » (4).

---

(1) « Propositio quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omninò subjacere, quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ, falsa et juris Ecclesiæ... læsiva » declaratur a Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*. Item in prop. 74 Syllabi damnatur propositio: « causæ matrimoniales et *sponsalia* suapte natura ad forum civile pertinent ».

(2) Cf. Wernz, o. c., n. 49.

(3) Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. IX, c. IX, n. 4.

(4) Gasparri, o. c., n. 278, ubi addit: « Etsi enim conjuges debeant sibi adjutorium, tamen quantitas bonorum materialium ab uxore tra-

« Non ipsa (Ecclesia) ignorat neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quæ matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt quæ rei publicæ præsunt » (1).

Possunt igitur Principes sæculares varia ordinare circa dictos effectus civiles, et quasdam conditiones imponere observandas, quibus neglectis, talis vel talis effectus civilis matrimonio etiam valido denegetur (2).

Hac autem via *indirecta,* denegando scilicet connubiis plenum effectum civilem nisi conditioni a lege positæ factum fuerit satis, a quibusdam Auctoribus dicitur posse induci per statum civilem impedimenta matrimonii prohibentia: (3) ast immeritò vel nonnisi sensu maximè improprio, cum nuptiæ, spretis illis clausulis, celebratæ exinde nullatenus reddantur per se (4) illicitæ in foro conscientiæ.

---

denda viro, seu dos non est jure naturæ determinata neque rigorosè necessaria; item a parentibus danda sunt filiis alimenta et educatio regulariter proportionata statui ipsorum, sed hæreditas in nobilitate pendet a jure civili; item hæreditas quoad bona a jure civili potest saltem modificari juxta exigentias societatis ». Cf. PALMIERI, o. c., p. 264.

(1) Leo XIII, *Arcanum,* ubi inferius prosequitur: « Omnibus exploratum esse debet... jure civili res ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili ». « Rursus declarare inopportunum non est, uti docet laudatus Pontifex, in Litt. ad Episc. Veronensem, 8 Febr. 1893, civilem potestatem civiles conjugii effectus statuere ac disponere quidem posse; sed quod ipsum matrimonium proxime spectat, Ecclesiæ sanciendum relinqui oportere ». *Acta S. Sedis,* XXV, p. 460 s.

(2) Ita potest lex disponere ut filii principis non participent de nobili patris genere, nisi matrimonio fuerit copulatus cum principissa.

(3) Potestatem impedimenta *directe* statuendi prorsus rejiciendam suprà vidimus, sub responso ad III^m Qu.

(4) Dicitur *per se,* quia *per accidens* aliunde potest exsurgere obligatio matrimonii contrahendi, servatis legalibus præscriptionibus, ac proinde prohibitio aliter contrahendi: quia nempe bonum tum ipsorum conjugum, tum prolium id potest exigere ad varia damna vitanda et vexationes. Id

2°/ Potest etiam de criminibus communibus in vita conjugali christianorum forte occurrentibus judicium agere eaque reprimere in vindictam ordinis turbati: talia sunt adulteria, incestus, uxoricidia. Non posset tamen illas causas tractare in ordine præcise ad matrimonium, puta quoad consortium vitæ interdicendum vel suspendendum.

3°/ Jus habet Princeps recurrendi ad Ecclesiam et ab ea postulandi ut in sua legislatione matrimoniali, signanter in statuendis vel abrogandis impedimentis, rationem habeat variarum necessitatum, in quibus versatur populus christianus ejus civili principatui subditus.

Nec aliena est Ecclesia ab hujusmodi indulgentia adhibenda, in quantum id valet, salvo jure divino suoque proprio: « Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione juris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quæ cum incolumitate jurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere;... nec semel suarum ipsa legum præscripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret, caussæ justæ et graves impulerunt » (1).

II/ **Officium.**

Rex sæcularis officium habet

1°/ matrimonium inter fideles juxta canonem Ecclesiæ validè initum agnoscendi qua legitimum, nec potest ipsi, in foro civili, denegare effectus inseparabiliter cum valido conjugio connexos, in specie legitimitatem conjugum et prolium quæ nascuntur.

---

etiam suadet Ecclesia vel in ipso casu quo contra fas et jus impedimenta directe statuere præsumpserit Princeps civilis; supponitur autem formalitates civiles, salvo altiori jure, posse servari. Cf. Feye, o. c., n 72; Wernz, n. 68-74; *Anal. eccles.*, 1899, p. 155; Instr. S. Pœnitent., apud Aichner, o. c., p. 567, in nota; Litter. Leonis XIII, 8 Febr. 1893, l. c., p. 473, ubi monet: « Prudenter quidem se gerant (sacerdotes) ut inutiles conflictus evitent: sed pari virtute se præditos prodant, ut et Dei gloriam, et Ecclesiæ dignitatem, et animarum salutem cæteris rebus omnibus anteponant ».

(1) Leo XIII, *Arcanum*.

2°/ Quoad ipsos effectus merè civiles a matrimoniali vinculo separabiles, quos ordinari posse vidimus a lege civili, oportet ut « profisciscatur a validitate vel invaliditate matrimonii, ut fuerit determinata ab Ecclesia, et ab hoc facto, quod constituere extra illius ordinem est, profecta, deinde disponat de civilibus effectibus » (1).

Profectò ad hoc ut Status legaliter agnoscere valeat matrimonium canonice validum ac licitum, illique effectus civiles tribuere, requiritur ut de contractu in foro civili rite constet, ac proinde exigere potest aliquam formalitatem, puta registrationem. Quinimo hujus formalitatis neglectum posset congruis pœnis prosequi, non eo usque tamen ut « matrimonium nonnisi a tempore registrationis civilis in foro sæculari habeatur validè atque licitè celebratum ». WERNZ, o. c., n. 83.

3°/ Officium est etiam Status civilis Ecclesiam adjuvare in regimine matrimonii christiani tuendo, ejusque legislationis matrimonialis observantiam promovere, etiam, si ad hoc ab Ecclesia invitetur, legibus pœnalibus subditos coercendo. Exoptanda est valdè concordia, cum debita subordinatione, inter utramque potestatem, cum utriusque multopere intersit ut matrimonia christiana ritè moderentur : « Utrique (potestati) expedit, et interest omnium hominum ut conjunctio inter eas et concordia intercedat, in iisque rebus quæ sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera pendeat, cui sunt cælestia concredita. Hujusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus et efficacissimus modus juvandi homi-

(1) *Ibidem*. cf. etiam Litt. Leonis XIII, 8 Febr. 1893: « profiteatur eadem laica potestas verum ac legitimum matrimonium esse, quod a Christo Jesu institutum fuit et ab Ecclesia reapse proponitur; indeque ad effectus, qui ex civium conjugiis in civili consortio consequuntur, sive concedendos sive denegandos procedat ». l. c., p. 461.

num genus in eo quod pertinet ad actionem vitæ et ad spem salutis sempiternæ » (1).

Nota. In plerisque regnis, etiam catholicis, lex civilis jurisdictionem sibi arrogavit in matrimonia fidelium, illaque, quasi essent civiles contractus, moderari et ordinare non dubitat; imo non permittit matrimonium coram Ecclesia celebrari nisi prævio sic dicto contractu civiliter inito. Contra quem abusum ejusque pessimas sequelas eloquenter insurgit Leo XIII, in citatis litteris 8 Febr. 1893, l. c.

Non desunt tamen regiones in quibus hodiedum principia exposita, magna saltem ex parte, applicantur. Ita obtinet signanter in Hispania, ubi, pro catholicis (2), solum agnoscitur matrimonium canonicè validum, integra jurisdictione relicta Ecclesiæ ac judicibus ecclesiasticis (3). Partim etiam obtinet idem regimen in Lusitania (4), in Angiia (5) et alibi.

---

(1) Leo XIII, *Arcanum.*

(2) Acatholici possunt recurrere, ad matrimonium civile, juxta dispositiones codicis civilis moderandum: ad hoc requiritur et sufficit ut prævie declaraverint se non profiteri religionem catholicam. Circa hujus declarationis necessitatem difficultates exortæ sunt nuperrimè. Cf. *XXe Siècle,* 4 Mars 1907.

(3) Cf. Lehr, *Le mariage, le divorce,* Paris, 1899, p. 160 ss , ubi legislatio matrimonialis in Hispania vigens describitur. Inter quæ signanter attende nn. 358-363 et 377. Ita n. 358: « Les conditions, forme et solennités pour la célébration du mariage canonique sont régies par les dispositions du Concile de Trente admises comme lois du royaume »; n. 359: « A l'acte de la célébration du mariage canonique doit assister le juge municipal ou un autre fonctionnaire de l'Etat, afin d'en assurer l'inscription immédiate sur le registre civil »; n. 362: « La connaissance des instances en nullité ou en séparation de mariages canoniques appartient aux tribunaux ecclésiastiques. Le jugement est inscrit sur le régistre civil, et présenté au tribunal ordinaire aux fins d'en obtenir l'exécution quant aux effets civils ».

(4) Cf. Lehr, o. c., n. 783 ss.

(5) *Ibidem,* n. 441, ss.; collato Lemaire, o. c., p. 200-203.

V

Q. *An et quare agnoscendum est principi sæculari regimen in matrimonia* subditorum infidelium, *signanter jus statuendi impedimenta etiam dirimentia?*

RESPONDETUR.

Præplacet sententia affirmans penes principem civilem esse potestatem regendi matrimonia subditorum non baptizatorum, ac statuendi impedimenta etiam dirimentia.

I/ **Argumentum ex ratione theologica** continetur in dictis sub responso ad III Qu., sub arg. 2°.

Nimirum matrimonium, seposita ratione sacramenti, non est aliquid intrinsece et essentialiter sacrum; et, si dicatur sponte sua sacrum, ratione ordinationis quam habet ad multiplicanda membra societatis religiosæ in gloriam Dei educanda, æquo titulo dicipotest esse quid profanum, cum *æque immediate* spectet bonum et incrementum societatis civilis. Titulum proinde habet princeps sæcularis et competentiam ad regimen matrimonii infidelium subditorum, et non impeditur a jure suo urgendo respectu ipsorum, cum hic non concurrat, quemadmodum pro matrimonio christiano, jus prævalens Ecclesiæ: deficit enim Ecclesiæ omnis jurisdictio in eos qui foris sunt.

Competit igitur Regi sæculari regimen matrimonii inter infideles subditos ineundum: hoc autem regimen importat, salvo jure naturali ac divino, constitutionem impedimentorum tam dirimentium (1), quam prohibentium, siquidem rationum momenta suprà invocata ex bono publico sociali non minus valent pro societate civili quam pro societate religiosa (2).

---

(1) Cf. Wernz, o. c., n. 77, ubi ostendit quam illogice Perrone concedat principi civili potestatem inducendi impedimenta prohibentia, ipsi autem denegat facultatem statuendi impedimenta dirimentia.

(2) Inde etiam roboratur sententia proposita, quatenus, rejecta principis civilis competentia, omni regimine prorsus destitueretur matrimonium infidelium, ac sub sola tutela poneretur juris naturalis divini: quod esset inconveniens non exiguum.

Quodsi agnoscatur Statui potestas legislativa, sponte admittenda est penes ipsum potestas judicialis et coercitiva correspondens.

II/ **Argumentum ab auctoritate.**

Citantur in favorem sententiæ jus principum affirmantis nonnulla documenta S. Sedis, præ cæteris responsum S. C. de P. F. 26 Junii 1820 (1), necnon Instructio ab eadem S. Congregatione missa, 8 Oct. 1631, ad missionarios Indiæ, circa Indos polygamos (2). Minoris autem momenti et infirmiori probandi vi munitæ sunt responsio et Instructio C. S. O. respective datæ 20 Sept. 1854 et 29 Oct. 1739, quarum textus referunt ac notis illustrant passim Auctores (3).

Corollarium primum. Regimen in matrimonium in-

---

(1) Cf. apud *Collectanea* S. C. de P. F., n. 1447, tenorem decreti, in quo declaratur nullum esse matrimonium in infidelitate contractum, « omissa quadam cæremonia cujus omissio juxta Tunkinii regestas censetur impedimentum dirimens », et locum esse novo matrimonio. Porro, uti arguit WERNZ, o. c., n. 80, nota (208), « declaratio nullitatis matrimonii cum plena libertate transeundi ad secundas nuptias a Cardinalibus non datur nec dari potest sine *certa* probatione *juris et facti;* secus gravissime violaretur jus divinum de impedimento ligaminis ».

Adnexa est descripto decreto Instructio, l. c. in nota relata, a Consultore redacta et anno sequenti mitti jussa; dubitatur quidem utrum fuerit missa tanquam instructio S. Congr., de quo vide RESEMANS, o. c., p. 71 ss. et 93, sed in ea diserte affirmatur competentia Principis civilis: « Principes sæculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinent in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet, appositis impedimentis, quæ juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quod ad civiles effectus, sed etiam quod ad conjugale vinculum penitus rescindant ».

(2) « Indi polygami, qui cum omnibus mulieribus suis convertuntur ad fidem et baptizantur, tenentur dimittere omnes uxores præter primam, quæ sola est vera uxor, si in illius matrimonio nullum intervenit impedimentum juris naturalis, vel positivi *conditi ab eorum Principe* ». GASPARRI, o. c., n. 287. Hæc tamen Instructio fuit quidem missa jussu S. Congr., sed ut sententia theologorum et canonistarum, potius quam ut decretum S. Congr.

(3) Cf. DE BECKER, o. c., p. 40 s.; GASPARRI, o. c., n. 286; RESEMANS, o. c., p. 81 ss.; THEOL. MECHL., *De spons. et matrim.*, ed. 1903, in qua pristinam sententiam mutavit; et signanter WERNZ, o. c., n. 81, sub nota (209).

fidelium, et signanter potestas statuendi impedimenta, Principi civili competit qua tali et non qua Pontifici religionis, uti innuunt LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, II, 727, et PALMIERI, o. c., p. 279, coll. p. 271 s.

Hanc etiam competentiam dictum matrimonium regendi habet *per se*, et non *per accidens*, uti putat BILLOT, l. c., quatenus scilicet « per accidens et ratione necessitatis devolveretur in supradictis adjunctis ad eum qui solus ibi legitimè præest, ut bonum sociale utcumque ibi conservetur ».

Neque competit principi civili regimen in infidelium matrimonia infra limites positos a *Zigliara* (1): juxta ipsum auctoritas civilis potest tantùm determinare quæ natura minus determinate præcipit, et quidem ita ut quæ statuit « non a positiva civili auctoritate sed a lege naturæ vigorem habeant ».

Corollarium secundum. In dijudicando valore matrimonii in infidelitate contracti ratio est habenda impedimentorum dirimentium quibus obnoxii fuerint nupturientes juxta patrias leges civiles. Attamen, cum ex una parte sententia suprà proposita non sit undequaque certa, cum etiam ex alia parte non facilè constet de vi irritativa impedimentorum in variis legislationibus conditorum, non foret judicium proferendum absque prævio recursu ad S. Sedem.

Nota. Dubitari posset utrum matrimonium, initum inter unam partem fidelem et alteram infidelem, obnoxium sit regimini solius Ecclesiæ ejusque solius impedimentis, an vero simul, ex parte nupturientis non baptizati, impedimentis a principe civili statutis.

Quod dubium in varium sensum solvitur a DD.: præplacet autem sententia cui favent RESEMANS, o. c., p. 2, et WERNZ, o. c., p. 94 ss., contrà GASPARRI, o. c., n. 297, DE BECKER, o. c., p. 44, D'ANNIBALE,

---

(1) Cf. MELATA, *De potestate qua matrimonium regitur*, Romæ, 1903, p. 20 et 23.

Summula, III, 294, quatenus scilicet regimen dicti matrimonii reservetur exclusive Ecclesiæ, adeo ut in tali matrimonio ineundo, ejusque valore dijudicando, non forent, nequidem a parte infideli, attendendæ dispositiones legis civilis.

Ratio est quia, juxta superius notata, non est possibile ut idem ac individuum matrimonium a duplici distincta potestate independenter regatur ac moderetur (1), quodque, in jurium collisione, vincit jus altius Ecclesiæ, cui cedat oportet jus inferius Status civilis.

A. De Smet.

VI

Q. *Quasnam et ubinam recitare debet sacerdos preces ante communionem si hæc ministranda sit 1/ monialibus ad fenestellam chori, 2/ pluribus monialibus in diversis cubiculis ejusdem conventus decumbentibus.*

Resp. **Ad primum.** Præ oculis habeatur sequens solutionis **principium generale** unde practicæ conclusiones liquido profluunt. Preces recitandæ ante distributionem communionis *(Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Ecce Agnus Dei)* sicut etiam post communionem, omnesque concomitantes cæremoniæ respiciunt ipsos fideles communicantes: ideoque preces recitandæ sunt voce ab omnibus intelligibili, eisque respondet minister, nomine communicantium. Quare etiam convenit — licet harum cæremoniarum locus proprius sit altare — ut preces recitentur et ritus perficiantur eo in loco ubi a communicaturis audiri et percipi possint.

---

(1) Cf. Resp. ad III Qu. Quod spectat difficultatem oriundam ex eo quod ab Ecclesia et a statu diversa forma contractus posset ad valorem præscribi, quæ simul observari nequiret, frustra conatur Gasparri, l. c. eam effugere, recurrendo ad exemptionis mutuam communicationem: posset namque ita urgeri formæ præscriptæ observatio ut dicta exemptio unius alteri non communicetur.

Quod principium naturæ rei summe congruum practico moderamine applicavit S. R. C. pluribus decretis notatim 6 feb. 1892, *Lincien.* n. 3764[14]; 16 Nov. 1906, ad IV[2-3], ap. *Collat. Brug.* t. XII, p. 144, et potissimum 13 jun. 1893, *Firmana,* n. 3800.

1° Si S. Communio dispensetur **extra missam** (1):

a/ solis monialibus quarum chorus situs est retro post altare vel extra altaris conspectum: acceptam in altari pyxidem celebrans per gradus anteriores defert ad fenestellam chori ibidemque peragit *omnes* preces et cæremonias consuetas usque ad benedictionem inclusive (decr. n. 3800 § 2);

b/ si præter moniales, etiam fideles alii in ipsa ecclesia vel oratorio communicare cupiant, vel si chorus ita sit dispositus ut a monialibus altare conspiciatur: sacerdos omnes cæremonias modo consueto peragit ad ipsum altare et communicet successive primo moniales et deinde fideles (2).

2° **Infra missam** vero potest quidem S. Communio dari extra altare modo preces dici valeant ad altare (3), sed nunquam permittitur ut tota cæremonia S. Communionis peragatur extra altare: esset quædam missæ interruptio. Et ideo « animadvertendum est quod si celebrans pro Viatici [aut Communionis] administratione intra Missam altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere » (n. 2672[1]) (4).

Sed quæritur utrum hæc prohibitio servanda sit in casu quo chorus ita est dispositus ut moniales celebrantem ad altare audire et videre possint, ipse autem

---

(1) Hoc est vel penitus sine connexione cum Missa, cum superpelliceo et stola, vel immediate ante aut post missam in paramentis missæ.

(2) Cf. *Ephem. Liturg.*, t. VII, 1893, p. 166. Vel, præsertim si fenestella nimis distat ab altari, bis repetat totam cæremoniam, primo ad fenestellam et deinde ad altare. Cf. KUNZ, *Liturg. Verrichtungen des Celebranten,* p. 206 et *Eph. Lit.*, ibid. p. 166.

(3) Cf. decr. S. R. C. 16 nov. 1906, suprâ p. 144.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, supra p. 147.

celebrans ad illas accedere nequeat quin in via altare e conspectu amittat? Licet littera prohibitionis stricte verificetur in casu, inspectis tamen spiritu et motivo prohibitionis, censemus S. Congregationem noluisse hunc casum comprehendere. Ideo in casu licet monialibus dare S. Communionem infra Missam.

II. **Ad secundum.** Quæstio posita in specie pro monialibus ægrotis eodem modo solvitur, ut patet, pro omnibus infirmis. Pro communione infirmorum — nisi decumbant in conspectu altaris ut mox vidimus (1) — præscribuntur in Rituali cæremoniæ et preces speciales quæ summatim ad tria capita reduci possunt. a/ Apprecatus pacem celebrans aspergit et benedicit cubiculum seu locum ubi jacet infirmus (2); b/ S. Communionem dispensat sub cæremoniali consueto — in singulari tamen (3) et mutata, si graviter decumbat infirmus, formula *Corpus Domini* in *Accipe frater,* additaque oratione speciali pro infirmo; c/ post regressum in ecclesiam, dicta oratione SS. Sacramenti, cum pyxide largitur benedictionem.

Jamvero ex verbis rubricæ (4) necnon ex natura rei apparet primam cæremoniam ex intentione Ecclesiæ dirigi non in totam domum totumve conventum sed in solum infirmi cubiculum. Ex quo liquet hunc primum ritum repetendum esse quoties ad diversa cubicula est procedendum (5).

---

(1) Cf. suprà p. 144.

(2) Eadem vel similis cæremonia præscribitur in Rituali ante Extremam Unctionem, Benedictionem in articulo mortis et in visitatione infirmorum.

(3) Cf. suprà p. 146.

(4) Rituale tit. IV, c. IV, 11 « ingrediens *locum ubi jacet* infirmus »... « aspergit infirmum *et cubiculum* ». Dicit quidem sacerdos « Pax huic *domui* » non « huic *loco* ». Sed illa salutatio, monitis Christi conformis, desumpta est verbotenus ex Evangelio Matth. X, 12; Luc. X, 6; et non solet Ecclesia in liturgia mutare verba scripturistica.

(5) Notare juvat velum humerale exuendum esse statim ac SS. Sacramentum fuerit in mensa depositum (cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 336);

A pari cæremoniæ et preces quæ immediate spectant ipsam communionem repeti debent in singulis cubiculis, propter rationem ad primum allegatam: ipsi communicantes præsentes esse debent.

C. CALLEWAERT.

---

aspersionem faciendam esse « in modum crucis » ex analogia cum eadem cæremonia ante Extremæ Unctionis collationem, Rituali, V, II, 4; nullum *Alleluia* esse addendum tempore paschali (decr. n. 2089); omnesque genuflexiones faciendas esse unico genu (*Collat Brug.*, t. XI, p. 55) et servandas esse plures ex regulis generalibus traditis supra p 113.

Miscellanea.

I

DE L'OBLIGATION EN CONSCIENCE

de la loi belge du 23 décembre 1903

CONCERNANT

LES ACCIDENTS DU TRAVAIL.

La réponse à une consultation reproduite ci-après, nous procure l'occasion de résoudre une question générale qui, au point de vue de la théologie morale et de la justice sociale, ne manque pas d'intérêt ni d'actualité : « *La loi du 23 Décembre 1903, allouant aux victimes d'accidents du travail une réparation forfaitaire, oblige-t-elle en conscience, et quelle est la nature de cette obligation?* »

Tout en répondant à la difficulté proposée dans la consultation, nous avons souligné dans notre exposé certaines divisions qui indiquent nettement la réponse que nous croyons devoir donner à la question générale formulée.

I. Consultation et Réponse.

Q. Un ouvrier, dans une industrie soumise à la loi du 23 Décembre 1903 sur la réparation des dommages résultant des accidents du travail, a été, par suite d'une faute grave imputable à lui seul, victime d'un accident qui entraînera une longue incapacité de travail. Cet ouvrier peut-il en conscience et en stricte justice, réclamer le paiement de l'indemnité fixée par la loi nouvelle? Le patron est-il obligé en conscience et de par la justice stricte à payer cette indemnité?

R. L'ouvrier accidenté peut, en conscience et sans

léser la justice commutative, réclamer l'indemnité déterminée par la loi. Le patron (1) est obligé en conscience et, de par la justice stricte, à payer la dite indemnité, du moins si une sentence judiciaire ou le jugement d'une commission arbitrale (2) l'y oblige; avant toute intervention judiciaire ou arbitrale, l'obligation existe également : toutefois, dans ce cas, elle ne semble commandée que par la vertu d'obéissance.

II. La loi oblige en conscience.

En effet, il n'est pas *démontré* que l'obligation nouvelle de la réparation, sanctionnée par la loi du 23 Décembre 1903, soit injuste, même dans le cas de faute lourde de la part de la victime de l'accident. Au contraire, la loi semble se justifier pleinement: elle oblige donc en conscience; l'ouvrier accidenté peut par conséquent, sans léser la justice stricte, invoquer en sa faveur, les nouvelles dispositions légales; le patron, de son côté, doit obéissance à la volonté du législateur, et l'intervention judiciaire ou arbitrale fait naître pour lui une obligation de justice stricte.

La solution proposée découle des **principes fondamentaux de la loi nouvelle**: *le risque professionnel et l'indemnité forfaitaire partielle*. En droit naturel, l'obligation de réparer un dommage notable suppose une

---

(1) La loi confère aux chefs d'entreprise la faculté de s'assurer, contre le risque-accident, soit à des établissements d'assurance agréés par le Gouvernement (caisses communes ou sociétés à primes fixes) soit à des assureurs non agréés. Dans le premier cas le chef d'entreprise est exonéré par la loi de toute charge personnelle à l'égard des victimes: c'est l'établissement d'assurance qui est de plein droit subrogé aux obligations du chef d'entreprise en ce qui concerne les indemnités légales (art. 10 de la loi; *Collat. Brugen.*; 1904, p. 345 s.). Doivent être considérés comme patrons non exonérés, non seulement ceux qui sont restés leurs propres assureurs, mais encore ceux qui préfèrent recourir aux services d'un assureur non agréé. Dans cette dernière hypothèse toutefois, le patron, bien que personnellement tenu, peut obliger l'assureur d'exécuter, en cas d'accidents, les conventions valablement conclues avec lui.

(2) Voir art. 26 de la loi; *Collat. Brugen.*, 1904, p. 646 s.

faute grave. Notre régime légal ancien concernant les accidents du travail, et qui subsiste toujours en dehors des limites de la loi du 23 Décembre 1903, était basé sur la notion de la faute. Ce régime ancien est, dans les strictes limites de la loi nouvelle, profondément transformé: le législateur, en ce qui concerne les relations entre patrons et ouvriers visés par la loi nouvelle, a créé un droit nouveau, et sanctionné des obligations que le seul droit naturel n'impose pas. La loi est basée sur la théorie du risque professionnel, (1) entrainant, comme corollaire logique la réparation forfaitaire: elle considère le risque comme inhérent à la profession, à l'industrie, comme rentrant dans les prévisions normales de toute industrie et inséparable de l'action commune du capital et du travail (2). Dès lors, il semble équitable et juste de faire supporter, dans une certaine proportion, ce risque professionnel par chacune des deux parties qui interviennent dans le contrat de travail: le patron et l'ouvrier. En conséquence, le législateur a statué que l'ouvrier céderait sur le chiffre de l'indemnité (qui n'est plus que partielle); il a décrété d'autre part que le patron céderait sur le principe même de l'indemnité, et accorderait une réparation partielle dans *tous* les cas d'accident, les cas de force majeure (3) et la faute intentionnelle (4) étant seuls exclus du risque professionnel. Toutes les fautes, celles du patron aussi bien que celles de l'ouvrier sont comprises dans ce risque. La faute est donc, *à un point de*

---

(1) Voir *Collat. Brugen.*, 1904, p. 201 ss.

(2) Les statistiques renseignent 16 à 20 p. c. d'accidents dûs à la faute du patron, 20 à 25 p. c. dûs à la faute de l'ouvrier, près de 10 p. c. dûs à des fautes mixtes, et environ 50 p. c. produits fortuitement ou par des causes inconnues.

(3) Voir *Collat. Brugen.* 1904, p. 203 n. 3.

(4) On rentre dans le droit commun si le patron a provoqué intentionnellement l'accident, (auquel cas il doit la réparation intégrale du préjudice), ou si l'ouvrier ou ses ayants droit ont provoqué intentionnellement l'accident, auquel cas ils n'ont droit à aucune indemnité.

vue purement pratique, considérée comme une fatalité du travail, comme un des éléments du risque professionnel.

La théorie de la loi se justifie-t-elle, ou quelles sont les raisons de bien commun que le législateur a invoquées pour justifier une modification aussi profonde du droit existant?

Le législateur a voulu d'une part assurer à l'ouvrier une réparation partielle mais certaine dans *tous* les cas d'accident. Or, les statistiques prouvent que 50 pour cent des accidents du travail sont dûs à des cas fortuits ou à des causes inconnues : ils ne donnaient donc pas lieu, sous l'ancien régime, à réparation obligatoire. La loi a voulu généraliser une intervention patronale déjà commandée, en nombre de cas, par l'équité.

Elle a voulu surtout faire œuvre d'apaisement social, et couper dans leur racine, les longs et pénibles procès, toujours de nature irritante, auxquels donnaient généralement lieu les accidents.

III. Justification de la loi en tant qu'elle couvre les fautes légères et les cas fortuits.

En ce qui concerne les cas d'accidents strictement fortuits et les accidents dûs à des fautes légères, qui échappent à la vigilance humaine, la théorie de la loi semble se justifier pleinement. Le législateur pouvait, se plaçant à un point de vue pratique, considérer les accidents causés par des fautes légères, comme résultant du fonctionnement de l'industrie (1) et liés à un

(1) Les accidents du travail trouvent avant tout leur cause dans ce que l'on a appelé le « machinisme » ; ils sont la conséquence quasi-inévitable de l'outillage mis en œuvre depuis le siècle dernier. Ce fait est vrai pour toutes les industries, même pour l'agriculture, qui s'industrialise de plus en plus. Il est vrai surtout pour la grande industrie, où l'ouvrier est dominé par des moteurs qui marchent à une rapidité vertigineuse, où le travail s'effectue au milieu du bruit, des trépidations, dans une atmosphère de poussière et de chaleur.

risque professionnel, et il semble équitable et juste, en vue de la paix sociale, de partager ce risque entre chacune des parties intervenant dans le contrat de travail: le patron et l'ouvrier, celui-ci, — il importe de le répéter, — n'ayant droit qu'à une réparation partielle du dommage subi (1).

Il semble que la loi devait, au même titre, couvrir les cas fortuits: ils sont, en effet, si fréquents parmi les causes d'accidents, qu'ils semblent inséparables de l'action commune du capital et du travail. C'était bien le moyen de tarir une source féconde de procès et de conflits aigus. L'avantage est égal pour le patron et pour l'ouvrier, et la charge est partagée de même entre les deux intéressés.

IV. Justification de la loi en tant qu'elle couvre les fautes lourdes.

La loi couvre aussi la faute lourde, et c'est à un cas d'accident provoqué par la faute lourde d'un ouvrier, que se rapporte la consultation exposée tout à l'heure.

Le législateur pouvait-il couvrir la faute lourde? La loi belge, en tant qu'elle s'applique aux accidents dus à des fautes graves, oblige-t-elle en conscience, et à quel titre?

Certes, des sociologues éminents et des membres distingués du parlement ont fait valoir contre pareille extension des raisons sérieuses. Nous les examinerons d'abord, avant de passer aux arguments qui nous semblent de nature à justifier, dans l'espèce, la disposition légale.

---

(1) La réparation due par le chef d'entreprise comprend: 1/ dans tous les cas d'accident, à partir du jour où celui-ci est survenu, la totalité des frais médicaux et pharmaceutiques pendant un délai de six mois (art. 5). 2/ Une indemnité pécuniaire, représentant une fraction du salaire (en principe 50 p. c.) dans tous les cas d'accident entraînant soit le décès de la victime (art. 6), soit une incapacité de travail, totale ou partielle, permanente ou temporaire de plus d'une semaine.

1/ **Objections et réponses.**

La couverture de la faute lourde, objecte-t-on, encourt le grave reproche d'être une prime à l'indolence (1) et à l'imprévoyance de l'ouvrier.

L'objection est évidemment exagérée: l'ouvrier, en effet, n'ira pas de gaieté de cœur s'exposer à des souffrances physiques, à des blessures graves, peut-être à la mort, pour obtenir un secours partiel, inférieur de moitié à son salaire.

Couvrir la faute lourde, dit-on, c'est assurer l'impunité au patron négligent qui, par motif d'économie coupable, conservera des installations mauvaises, ne prendra pas les mesures rigoureusement exigées pour sauvegarder la sécurité des ouvriers.

Cette argumentation exagère à son tour. Bien des sanctions s'opposent à ce que le patron se laisse aller à une imprévoyance coupable, et surtout à ce que pareille imprévoyance dure longtemps; — la sanction morale de la conscience et, à défaut de l'efficacité de celle-ci, la sanction pénale (2); les peines correctionnelles infligées en cette matière ne seraient peut-être pas bien lourdes, mais elles seraient flétrissantes; — la sanction civile; les compagnies et les caisses communes d'assurances connaîtront les installations défectueuses, elles refuseront d'assurer les mauvais risques ou imposeront des conditions onéreuses; — la sanction économique: il est de l'intérêt évident des chefs d'entreprise de réduire le plus possible le nombre des accidents par de sages mesures de précaution; — enfin la sanction administrative. Les inspecteurs du travail doivent, en effet, signaler les installations fautives, avertir les patrons imprévoyants, exiger les modifications nécessaires et au besoin recourir à des

(1) R. P. Vermeersch, *Manuel Social*, Louvain, 1903, p. 911 n. 2.

(2) Les peines de l'homicide ou des blessures par imprudence, peines de la violation des prescriptions légales et réglémentaires relatives à la sécurité du travail.

mesures coercitives. Si certains inspecteurs ne s'acquittent pas en conscience de leur importante mission, et ne veillent pas suffisamment à l'observation des lois, arrêtés et règlements qui régissent le contrat de travail et son exécution, les syndicats ouvriers (qui se multiplient de jour en jour davantage et engloberont, dans un avenir peu éloigné, la presque totalité des travailleurs), peuvent efficacement élever la voix et, au besoin, exiger que la sécurité professionnelle de leurs membres soit dûment garantie (1).

L'ouvrier coupable de faute grave, cause de l'accident, objecte-t-on encore, trouvera pour ainsi dire un titre à la réparation dans sa faute elle-même. Il sera, comme on l'a dit, condamné et pensionné. N'y a-t-il pas là une véritable injustice?

Tout d'abord, n'oublions pas que la loi met sur le même pied la faute grave de l'ouvrier et celle du patron. Nous le voulons bien, il n'y aurait réciprocité et compensation *parfaites*, que si les ouvriers soigneux ou négligents louaient leurs services à des patrons de même espèce.

Ne perdons pas de vue que le système de la loi ne s'applique pas aux seuls accidents occasionnés par des fautes lourdes. En effet, la loi considère *tous* les accidents comme rentrant pour les deux parties, le patron et l'ouvrier, dans les risques de leur contrat et de son exécution. Si, pour l'ensemble de ces accidents, le patron cède sur le principe de l'obligation de la réparation, l'ouvrier, de son côté, cède sur le montant de la

---

(1) L'augmentation prétendue du nombre des accidents est contestée; il ne s'agit que du nombre des accidents *déclarés*. Si un rapport nécessaire existait entre l'accroissement du nombre des accidents et la progression de l'imprévoyance, *due à l'assurance de la faute lourde*, l'augmentation se manifesterait pour toutes les catégories d'accidents. Or, elle ne porte réellement que sur les accidents les moins graves. Cf. L. Wodon, *La question des accidents du travail devant le parlement belge*, Paris, 1903, p. 16.

réparation qui, dans tous les cas, n'est que partielle. La question qui se pose est donc celle-ci : le législateur avait-il le droit de mettre à la base de la loi, le principe de la réparation forfaitaire, au risque de faire naître dans certains cas particuliers un droit et une obligation qui, de par le seul droit naturel, n'existeraient pas? Y a-t-il, dans l'espèce, des raisons d'intérêt général, de bien social, assez graves pour justifier l'extension de la réparation forfaitaire aux cas de faute lourde?

2/ **Arguments.**

Les motifs qui ont déterminé le législateur à couvrir la faute lourde, se dégagent des documents parlementaires et de la discussion (1). Ils se déduisent :

1° Du caractère juridique du forfait, qui n'est un forfait, c'est-à-dire un bloc de responsabilités compensées ou partagées, qu'à la condition d'être indivisible;

2° De l'incertitude, du caractère vague, flottant, souvent pratiquement indéfinissable de la notion de la faute lourde ; et partant,

3° De l'arbitraire inévitable dans les décisions de fait, qui appliqueraient cette notion aux réalités de la vie industrielle ;

4° De la nécessité de supprimer radicalement les procès en responsabilité, avec leurs frais énormes et leurs interminables lenteurs, leur caractère pénible et irritant : le législateur voulant avant tout faire œuvre de conciliation et de pacification sociale (2). Nous admet-

---

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, 1904, p. 199, n. 3, et Wodon, *o. c.*, p 15 s.

(2) Voir dans la *Revue Sociale Catholique* (fév. 1907) la très intéressante et instructive étude de M. Vliebergh : « La loi du 24 décembre 1903 sur les accidents du travail et sa première application à l'agriculture ». L'auteur pose la question : Evite-t-on les procès, à la suite du nouveau régime de réparation forfaitaire? Il répond : « Tout d'abord il faut remarquer que les premières années d'application de la loi ne peuvent pas servir ici d'argument : l'assureur et la victime apprennent qu'ils ont à abandonner telle prétention, et les tribunaux inférieurs, à la suite d'arrêts des cours supérieures, assoient leur jurisprudence. Les rapports du ministre du Commerce de France sur l'application de la loi du 9 avril 1898, faits au

tons que le nombre de fautes lourdes ou graves est, en pratique, peu considérable. Ce qui ne veut point dire que les procès ne seraient pas nombreux où l'on allèguerait l'existence d'une faute grave, l'intérêt que l'une des parties aurait de prouver la faute grave de l'autre, étant suffisant à provoquer une contestation. Ecarter la faute lourde, c'était donc ouvrir la porte toute large à ce que la loi avait pour but d'éviter avant tout et à tout prix ;

5° De l'opinion des industriels et des hommes de lois qui étaient généralement d'avis qu'il fallait couvrir la faute lourde ; enfin de l'exemple des autres nations qui ont adopté la même disposition législative.

---

président de la République le 27 février 1905 et le 7 mars 1906, *Journal officiel de la République française*, du 28 février 1905, et du 25 mars 1906, en sont une preuve manifeste. La Cour de cassation de France a dû bien souvent fixer le sens de la loi de 1908.

Mais faisons abstraction de cette première application. Peut-on espérer que le nouveau régime évitera des procès?

Certes; anciennement le seul fait que victime et patron ou assureur jouaient tout ou rien, engageait à risquer des procès. Les procès, s'ils s'engagent actuellement, seront moins longs et moins coûteux, le juge de paix étant compétent; d'autre part, il est moins de questions sur lesquelles les contestations puissent porter, et on pourrait peut-être encore les diminuer.

Nous ne parlons ici que des causes de procès qui peuvent se présenter lors de chaque accident: il s'agit de savoir d'abord si on a affaire à un accident de travail. C'est une question qui se présentera toujours; mais la jurisprudence fixera certes des cas, douteux actuellement, qui, plus tard, ne donneront plus lieu à contestation.

Il faut fixer ensuite le salaire de la victime, salaire qui servira de base à la détermination de l'indemnité. Dans la grande industrie, là où le salaire est régulièrement inscrit dans ce qu'on appelle le livre des salaires, cette fixation ne peut guère donner lieu à des difficultés; mais, nous l'avons déjà dit, elle n'est pas si facile en agriculture.

Il s'agit de déterminer aussi la puissance de travail que la victime a conservée après l'accident; cela diffère naturellement d'espèce à espèce, mais ici encore cependant la jurisprudence viendra fixer des limites, entre lesquelles les parties se mettront plus facilement d'accord.

Certaines personnes ne sont ayants-droit de la victime que si celle-ci était leur soutien: ce sont, en cas de mort de la victime: les parents et ascendants, les petits-enfants de moins de 16 ans, les frères et sœurs de moins de 16 ans. La jurisprudence fixera certes le sens du mot *soutien*, mais l'application de ce mot restera une question d'espèces.

Ces raisons, prises dans leur ensemble, justifient, à notre avis, l'extension de la réparation forfaitaire aux accidents provoqués par une faute grave. A tout le moins, l'on ne pourrait prouver que la disposition légale soit injuste : l'injustice apparente dans le cas spécial qui nous occupe, semble suffisamment couverte par l'argument d'intérêt social et de simplification administrative. Nous disons : « injustice apparente ». Il est évident, en effet, que le droit et l'obligation corrélative qui naissent dans le cas d'accident causé par une faute grave, n'ont point leur source dans la faute commise, mais dans le forfait que le législateur, agissant dans l'intérêt des deux parties en cause dans le contrat de travail, a mis à la base de la loi. C'est dans ce forfait commandé par l'intérêt social, et qui ne nous semble pas évidemment contraire à la loi naturelle, que la loi civile puise sa moralité et son caractère obligatoire au regard de la conscience (1).

V. Nature de l'obligation légale.

La loi du 23 décembre 1903 oblige donc en conscience. Reste à préciser la nature ou la qualité de cette obligation.

Est-ce une loi purement préceptive, obligeant, en

---

(1) A supposer qu'un doute fondé existe sur ce point, notamment, si le législateur, dans cette matière d'ailleurs soumise à son pouvoir, n'a pas dépassé les limites de ce pouvoir, en tant qu'il viole peut-être la justice commutative, il faudrait néanmoins obéir, pourvu que l'injustice ne soit pas moralement certaine, c'est-à-dire l'*opinio unice probabilis*. « Advertunt omnes doctores necessarium esse ut de injustitia legis moraliter certo constet, » dit SUAREZ (*De leg.*, L. I, c. 9, n. 9), et il ajoute : « Nam si res sit dubia, præsumendum est pro legislatore, tum quia habet altius jus et illud possidet, tum etiam quia regitur altiori consilio et potest habere altiores rationes universales subditis occultas ; tum etiam quia alias subditi sumerent nimiam licentiam non parendi legibus, quia vix possunt esse tam justæ, quin possint ab aliquibus per apparentes rationes in dubium vocari ». Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Nouv. Rev. théol.*, t. XV, p. 544 ss.

vertu de l'obéissance due à l'autorité civile ; ou bien confère-t-elle un droit strict qu'elle défend de léser ?

Nous estimons que la loi confère à l'ouvrier victime d'un accident, un *droit strict* à l'indemnité forfaitaire, et que, conséquemment, elle impose au chef d'entreprise une obligation corrélative de justice commutative. En effet, il nous semble que le législateur *avait le pouvoir* de délimiter, par voie de forfait, les obligations *de justice stricte* que le patron, en vertu du contrat de travail, assume vis-à-vis de l'ouvrier, en ce qui concerne la santé et la sécurité de celui-ci ; d'autre part, le législateur a, sans aucun doute, voulu faire usage de ce pouvoir.

D'abord, le patron doit, en vertu du contrat de travail et de par la justice stricte, veiller à la santé et à la sécurité de ses ouvriers. « Ex justitia, dit le P. Vermeersch (1), debet officinator curare ne, ex officinæ laboris dispositione, ordinatione, aliquod impendeat *periculum valetudini, vitæ vel membris operarii,* quod morali diligentia, pro natura operæ faciendæ et artium inventis, amoveri valeat. Quamvis enim præceptum *ne lædas* sit negativum, continet tamen obligationem moralis diligentiæ ne ex facto tuo inferatur damnum ». — « Ubi labores, dit Pottier (2), quibus addicuntur operarii sunt tales ex sua natura, ut omne periculum ab iis exercendis averti nequeat, oportet pro hujus periculi quantitate seu rata, quotam salarii augeri aut, si non augeatur, a conducente hero reparari damna si forte ex iis periculis oriantur. Hæc enim postulat justitia commutativa, eo quod operarius in utilitatem heri conducentis, vitam aut membrorum integritatem aut bonam valetudinem his periculis exponit; hoc autem est ad æqualitatem arithmeticam compensatione dignum. Ubi hæc obligatio non ser-

(1) *Quæstiones de justitia,* Brugis, 1904, p. 616.
(2) *De Jure et Justitia,* Leodii, 1900, p. 216.

vetur, nec aliud sit opportunum medium ad eam urgendam, necesse est rempublicam cogere ad observandam ; siquidem agitur de jure stricto reddendo ac de bonis ad vitam humanam pertinentibus ».

La loi du 23 décembre 1903, il est vrai, a étendu les obligations du patron bien au delà des limites de la « moralis diligentia » commandée par la loi naturelle. Elle l'a fait toutefois, pour des raisons sérieuses d'intérêt général et d'apaisement social. Au surplus, la réparation forfaitaire qu'elle accorde à l'ouvrier n'est, dans tous les cas d'accident, que partielle. Il semble donc bien que le législateur n'a point dépassé ses pouvoirs en déterminant dans le sens indiqué, les dispositions générales et vagues de la loi naturelle.

D'autre part, il a, sans le moindre doute, *voulu* conférer à l'ouvrier accidenté un *droit strict* à la réparation forfaitaire. Les chefs d'entreprise, en effet, sont tenus de la réparation sur tous leurs biens (1). Ils ont, il est vrai, la faculté de s'exonérer de leurs obligations, en transférant la charge à un établissement d'assurance agréé par le Gouvernement. Même dans le cas où un assureur agréé est subrogé aux obligations du patron, la victime ou ses ayants droit ont toujours la faculté d'assigner directement le chef d'entreprise (2) ; elle a, dans tous les cas, une action directe contre l'assureur, même non agréé. Les assureurs agréés sont tenus d'une manière absolue, sans aucune exception ni réserve, vis-à-vis des victimes ou de leurs ayants droit (3). Notons encore que « la *créance de la victime* de l'accident ou de ses ayants droit » est *privilégiée,* incessible et insaisissable (4). Observons enfin que « toute convention contraire aux dispositions de la présente loi est nulle de plein droit » (5).

---

(1) Voir art. 4, 5, 6 et 10 coll. 14 de la loi.
(2) Sauf le droit de celui-ci de mettre l'assureur en cause, art. 27.
(3) art. 17; cf. art. 20.
(4) art. 15 et 13.
(5) art. 23.

Si les considérations qui précèdent sont fondées, la loi semble imposer par elle-même une véritable obligation de justice commutative, avant toute intervention judiciaire ou arbitrale. Tel est bien notre avis.

Neanmoins, nous ne voulons point prétendre que notre opinion au sujet de la nature de la loi et, conséquemment, de l'obligation, soit la seule *opinio probabilis* en la matière. Surtout dans le cas spécial (faute lourde) qui nous occupe, d'aucuns estimeront que la certitude morale en faveur d'une obligation de justice, fait défaut. Le patron peut donc, tant que le doute objectif persiste, choisir l'opinion la plus favorable (1): celle qui tient que la loi, purement préceptive ou mixte, n'impose qu'une obligation d'obéissance, aussi longtemps qu'une sentence judiciaire ou arbitrale (2) n'oblige pas le chef d'entreprise à allouer à la victime, la réparation forfaitaire prévue par la loi.

A. CAMERLYNCK.

II

Fœdus Sacerdotale Eucharisticum.

I. Privilegia et indulgentiæ.

In Brevi *Romanorum Pontificum* 10 Augusti 1906 (3), « omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Fœdus adlectis sacerdotibus » sequentes conceduntur gratiæ atque indulgentiæ :

1° *Indultum altaris privilegiati* personale ter in hebdomada, servatis servandis (4), quatenus simili privi-

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *De dubio solvendo in re morali*, Lovanii 1880, n. 316; *Nouv. Revue théol.*, t. XV, p. 632 s.

(2) Voir art. 26. Les statuts des caisses d'assurance agréées peuvent stipuler que jugement des contestations sera déféré à une commission arbitrale; celle-ci peut statuer, soit en dernier ressort, soit à charge d'appel.

(3) *Suprà*, hoc t. XII, p. 53.

(4) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, t. II, n. 686.

legio non gaudeant. Hæc clausula restrictiva facile intelligitur (1).

2° *Privilegium celebrandi* una ante auroram atque una post meridiem hora (2), et similiter *distribuendi sacram Communionem* a prima ante auroram hora ad occasum solis. Hæc gratia apparet singularis prorsus, signanter quoad distributionem sacræ Communionis, cum S. C. Rit. 11 Junii 1904 ad 3m adhuc declaraverit non licere ministrare Communionem usque ad occasum solis (3).

3° *Indulgentia plenaria*, sub conditionibus ordinariis, applicabilis defunctis, singulis per annum festivitatibus præcipuorum fidei mysteriorum et Mariæ Virginis et SS. Apostolorum.

Quamvis dicatur *singulis* festivitatibus, hæc tantum festa intelliguntur juxta decretum (4) S. C. Indulg. 18 Septembris 1862 (*Decr. auth.*, n. 392): 1. *Festa Domini principalia*, np. Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini, quibus addi possunt, cum in textu sermo sit de festivitatibus *mysteriorum fidei*, festa Pentecostes et SS. Trinitatis. 2. *Festa B. M. V. principalia*, scilicet Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis. 3. *Festa SS. Apostolorum*, np. *Natalis* uniuscujusque Apostoli: S. Mathiæ (24 Febr.), SS. Philippi et Jacobi (1 Maii), SS. Petri et Pauli (5) (29 Junii), S. Jacobi (25 Julii), S. Bartholomæi (24 Augusti), S. Matthæi (21 Sept.), SS. Simonis et Judæ (28 Oct.), S. Andreæ (30 Nov.), S. Thomæ (21 Dec.) et S. Joannis (27 Dec.).

4° *Facultas dandi Benedictionem Apostolicam*, plenaria adjecta indulgentia.

---

(1) Cf. Collat. Brug., t. X, p. 387.

(2) Cf. Lahousse, *De Euchar.*, n. 196.

(3) Cf Collat. Brug , t. X, p. 181.

(4) Quod decretum videtur non satis fuisse attentum in opusculo *Ligue Sacerdotale Eucharistique* (chaussée de Wavre, 205, Bruxelles), p. 9.

(5) Juxta martyrologium romanum dies 29 Junii est *dies natalis* S. Pauli, sicut et S. Petri.

Benedictio fieri debet *cum Crucifixo* ac *sub Crucis unico signo* (trina enim benedictio reservatur Episcopo), *servatis ritu formulaque præscriptis,* np. apud *Rituale Romanum: Methodus indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni...;* et *Florilegium* Ampl. D. De Schrevel, 2ª ed. (1892), p. 326. Hæc benedictio detur *intra celebrationem triduanæ supplicationis, juxta pii Fœderis tabulas habendæ* (Cf. *Instruction*, n. VIII sqq., *suprà* hoc tomo, p. 51), *post peractam Communionem generalem.*

Præter sacram Communionem a christiano adstante populo nihil aliud in Brevi Apostolico exigitur. Porro indulgentia non declaratur, adeoque non est, defunctis applicabilis.

5° *Indulgentia partialis tercentum dierum*, non applicabilis defunctis, quoties juxta fines Fœderis sacerdotalis, pietatis quodvis sive charitatis opus adimpleant. Cf. *suprà* hoc tomo p. 49 ss.

Hoc notare juvat: Si adlectus Fœderi sacerdotali recitaret orationem pro propagatione pii usus quotidianæ Communionis (1), cui jam est adnexa indulgentia tercentum dierum, semel in die lucranda, non bis acquireret indulgentiam illam. Nam juxta regulam generalem in materia indulgentiarum, opera iterabilia iterari debent. At si bis recitaret, bis lucraretur indulgentiam tercentum dierum, secus ac non adlectus Fœderi.

6° *Facultas communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam* pœnitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad sacram Synaxim accedere consueverunt.

Hæc facultas conceditur « *confessariis rite probatis* eodem in Sacerdotali Eucharistico Fœdere nunc et in posterum inscriptis ».

Dicitur 1. *Communicandi semel in hebdomada.* Unde videtur dicendum omnino confessarium debere singula vice, non vero posse semel pro pluribus hebdoma-

(1) Cf. Collat. Brug., t. XI, p. 52.

dibus (1) communicare. Secus esset, si diceretur: communicandi semel in hebdomada *lucrandam* indulgentiam plenariam. Nec opponatur inanem tunc videri concessionem factam per decretum S. C. Indulg. 14 febr. 1906 (2). Etenim ex una parte nemo tenetur uti beneficio indulgentiæ semel in hebdomada communicandæ, et ex alia parte nihil prohibet tenor hujus Brevis quominus confessarius suis saltem pœnitentibus communicet indulgentiam extra confessionem.

2. *Pœnitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Quasi quotidie*, id est, juxta citatum decretum 14 febr. 1906, « quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant », etiam habitualiter. Dicitur: *pœnitentibus*, non vero *suis* pœnitentibus. Unde confessarius potest uti sua facultate etiam erga pœnitentes, quorum non est confessarius ordinarius, non tamen erga ipsos extra confessionem.

Ex textu apparet indulgentiam plenariam esse adnexam ipsi praxi quotidianæ vel quasi quotidianæ communionis, et nulla alia conditio exigitur. Acquiritur eo ipso momento quo communicatur a confessario.

***

Inde denuò manifestum est, quod jam pluries declaravit, quantopere Sanctitati Suæ Pio Pp. X « cordi sit ut usus quotidianæ Communionis, tam salubris ac Deo acceptus, in christiano populo, Christo Domino adjuvante, ubique propagetur » (3).

Jam in congressu eucharistico in Urbe habito mense Junii 1905, hortatus erat SS. D. N. Pius Pp. X præsentes sacerdotes ut potior pars diligentiarum eo-

---

(1) Contra opusc. cit. *Ligue sacerdotale eucharistique*, p. 10.

(2) Cf. COLLAT. BRUG., t. XI, p. 272.

(3) Rescriptum ex audientia SS^{mi} 30 Maii 1905, ap. COLLAT. BRUG., t. XI, p. 52.

rum esset de propagando ubique in christiano populo usu frequentis ac quotidianæ Communionis. Nunc verò instantius invitat omnes sacerdotes: ideo hanc associationem « *tam frugiferam... singularibus* gratiis atque indulgentiis decorandam » existimavit.

Huic tam instanti invitationi, nomine Ecclesiæ et Christi factæ, cedant omnia præjudicia et vani timores! Quotquot sumus sacerdotes, devoti simus oportet erga Romanum Pontificem, Vicarium Christi et Caput Ecclesiæ (1); devoti quoque erga Episcopum, qui in epistola quadragesimali hujus anni tam scite aperuit consilium singulare divinæ Providentiæ, quæ hisce potissimum tam gravibus temporibus reservavit remedium quotidianæ Communionis, quod, cum devotione erga SS. Cor Jesu arctissime conjunctum, impugnare natum sit grassantem ubique luem *naturalismi* et restaurare vitam christianam ac supernaturalem.

II. Scopus et media.

Scopus. Hæc associatio, sic loquitur Pius Pp. X in Brevi citato, « exauspicato intendit ad Communionis frequentis et quotidianæ usum inter fideles provehendum », juxta tenorem Decreti S. C. Conc. *Sacra Tridentina Synodus* 20 Dec. 1905. Cf. *Statuts,* Art. II-III.

Media indicantur in Art. IV: « Pour atteindre le but de la Ligue, les membres s'appliqueront avec zèle à l'apostolat de la *prière,* de la *parole* et de la *presse...* ». In adjecta *Instructione* proponitur methodus sequenda ut efficacius promoveatur usus Communionis quotidianæ. Liceat heic quædam animadvertere.

---

(1) « La dévotion au Pape forme une partie essentielle de la piété chrétienne ». P. Faber, *De la dévotion au Pape,* p. XVII. « C'est un caractère invariable des Saints, à toutes les époques, d'avoir une vive et sensible dévotion envers le Saint-Siège » *Ibid.,* p. XIX. « Nous devons le servir avec une soumission entière, cordiale, joyeuse, et surtout dans ces abominables jours d'accusations et de blasphèmes, avec la plus éclatante, la plus chevaleresque et la plus intrépide fidélité ». *Ibid.,* p. XXIII.

Ora. Ipse Pontifex approbavit orationem specialem, ut « usus quotidianæ Communionis.... in christiano populo, *Christo Domino adjuvante*, ubique propagetur ». Sane reformatio morum populi christiani quoad Communionem frequentandam opus est arduum, cui vires et industriæ humanæ impares sunt omnino. Nonne ipsa Veritas dixit: *Sine me nihil potestis facere* (Joa. XV, 5)? Nonne Deus *incrementum* dare debet (1 Cor. III, 6-7)? At, docente Scriptura, *multum valet deprecatio justi assidua* (Jac. V, 16), præsertim cum a Corde Jesu petatur propaganda Communio frequens et quotidiana, *utpote a Christo Domino optatissima*. Oremus igitur ipsi sacerdotes, potissimum in gratiarum actione post Missæ Sacrificium; simul hunc pium usum recitandi specialem illam orationem (1) suadeamus Christifidelibus (*Instruction*, XI), at præcipue pueris et puellis in christianis omne genus scholis et ephebeis. Ita simul spargetur idea communionis frequentioris, imo et quotidianæ, præsertim si oratio illa paululum explicetur.

Labora. Qui incrementum dat, utique Deus est; at nos debemus *plantare* atque *rigare*. Ad instar fundamenti ponitur initio *Instructionis* Statutum Decreti sub 6°: « *Parochi, confessarii et concionatores... christianum populum* ad hunc tam pium ac tam salutarem usum **crebris admonitionibus multoque studio** cohortentur ».

Mirum sane videri potest plures sacerdotes, ceterum Ecclesiæ ac Sanctæ Sedis observantissimos, huic voluntati Vicarii Christi nihil aut parum usque modo obsecundasse (2). Mens non est in præsenti occurrere variis rationibus seu prætextibus, quibus silentium atque inertiam excusare conantur. Quædam tamen utilia sunt notatu.

---

(1) Prostat typis impressa in imagine SS. Cordis Jesu, pretio 1,50 pro 100 (L. Lescrauwaet, Oudenburgstraat, 29, Brugge).

(2) Neque hoc tacendum est non raro audiri fideles qui, aliunde jam edocti existentiam et doctrinam Decreti, mirantur altum silentium *suorum* sacerdotum in hac materia Communionis frequentis ac quotidianæ.

Imprimis sedulo distinguantur oportet *propositio doctrinæ* ac *directio individua animarum.*

Vera doctrina tradi debet *integra, sine ulla restrictione aut timore*, et quidem *fidelibus omnibus.* Hæc est aperta voluntas Pii Pp. X: Parochi... *christianum populum* ad hunc tam pium ac tam salutarem usum, np. *frequentis et quotidianæ* Communionis, cohortentur. Unde in concionibus ad populum christianum et in scriptis (1) doctrina Decreti debet explicari prout proponitur ab ipsa S. Congregatione Concilii, nec Sancta Sede et Ecclesia prudentiores nos existimemus oportet.

Quo spectant illæ cohortationes generales oretenus vel scripto ad fideles directæ? Eo præprimis et proxime ut ipsi *doceantur* veram doctrinam circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem. Sane impossibile est ut statim omnes et singuli adducantur ad Sacram Mensam, sed omnes et singuli *docendi* sunt: quid sit Eucharistia, ad quos fines fuerit instituta, quales effectus producat (*Instruction,* I); quid sit necessario requisitum ad quotidianam Communionem, np. *tantùm status gratiæ et recta piaque intentio* (*Instruction,* II). Impugnandi sunt *vani timores* multorum, exstinguendum virus jansenianum, quod bonorum etiam animos infecit, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiæ debiti, neque hodie penitus evanuit (2). Hac methodo statim nonnulli adducentur ad frequentiorem usum Eucharistiæ (3), qui exemplo suo trahent forsan et

---

(1) Sub hoc respectu improbandus est articulus ap. *Revue ecclésiastique de Liège,* t. II, (1906-1907), p. 261 ss.

(2) Cf. Decr. S. C. Conc. ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 215. — In certis partibus diœceseos nostræ utile esset ex professo exponere influxum Jansenismi in mores fidelium

(3) Decretum posset specialius urgeri apud Sodales Tertii Ordinis S. Francisci, in Congregationibus B. M. V., in Sodalitatibus, puta SS. Sacramenti, SS. Cordis Jesu etc. In multis parochiis vincendus est respectus humanus; in hunc finem efficax valde esset exemplum quorumdam, quos eligeret ac excitaret sacerdos. Exempla enim trahunt. — *Instructio* sub VIII sqq. commendat speciale *triduum* celebrandum, ut praxis *introducatur* communionis frequentis.

alios; et si parochi, confessarii et concionatores *crebris admonitionibus multoque studio* cohortentur populum christianum, paulatim instillabunt mentibus veram doctrinam, et adjuvante gratia divina, adjuvante præsertim Corde Jesu amantissimo, adducent plures ad praxim frequentis imo et quotidianæ Communionis (1).

In textu citato dicitur etiam de *confessariis:* crebris admonitionibus multoque studio cohortentur, np. pœnitentes suos, ad usum frequentis ac quotidianæ Communionis. Hæc cohortatio, directa ad fideles singulos in particulari, valde efficax erit ad *ducendos* eos ad Communionem quotidianam.

At in hac *directione individua animarum,* opus erit quadam discretione ac moderatione, uti vel paululum cogitanti manifestum est. Ita quis negabit plures esse fideles quibus vel physice impossibile est quotidie

---

(1) *Instructio* sub III hortatur sodales « Sacerdotalis eucharistici fœderis », ut spargant opuscula quæ, ad normam Decreti, faciliorem reddunt usum communionis quotidianæ.

Experientia constat fideles ex mero auditu vix intelligentiam decreti assequi posse, efficacius autem moneri, postquam ipsi textum decreti, opportune explicatum, perlegerint. Unde, approbante Rev^mo Episcopo Brugensi, edidimus (nunc etiam gallice) commentarium Decreti, ad usum populi christiani (ap. Lescrauwaet, Oudenburgstraat, 29, Brugge).

Juvat heic indicare alia quædam opuscula, quæ vel ipsis sacerdotibus utilia sunt vel et fidelibus legenda commendari possunt.

H. et L. Casterman, Tournai: Opuscules du R. P. Lintelo, S. J. *La Communion fréquente et quotidienne.* Trois éditions différentes: *A la jeunesse chrétienne* (versio neerlandica, auctore P. Schets, S. J., Nijmegen, apud Malmberg); *Aux jeunes ouvrières; Aux enfants de Marie.* (Prix: par unité, 0,15; les 25: 3 fr.; le 100: 10 fr.). — *Aux parents chrétiens: La communion fréquente des enfants* (0,05; 25 ex.: 1,10; 100 ex.: 4 fr.). Prostat etiam neerlandice apud Vos, Maastricht, eodem pretio. Hoc opusculum refellit plures objectiones et dissipat vanos timores (*Instruction,* II). Sub hoc respectu, utilia quoque sunt opuscula obtinenda in Bureau des œuvres eucharistiques, chaussée de Wavre, 205, Bruxelles: *La très Sainte Communion,* par Mgr de Ségur. — Antoni: *Pourquoi ne pas communier tous les matins où vous allez à la Messe?* (In-32 de 36 p.: 0,15 c.; la douzaine 1,50; le 100: 10 fr.) — Id. *Pourquoi tant de vaines craintes empêchent-elles de communier souvent et même tous les jours?* In-12, 104 p.: 0,60; la douzaine: 6 fr.; le cent: 36 fr.).

Communicare? Unde ratio habenda est adjunctorum, in quibus versatur in concreto pœnitens. Doctrina in concionibus et scriptis proponenda est integra, sine restrictione at in praxi accommodari debet personis individuis.

Quia tamen in præsenti plures ad Communionem quotidianam adduci nequeunt, non ideo quiescet confessarius; sed cum omni zelo inducet suos pœnitentes ad frequentiorem Communionem: ita, experientia teste, qui solent communicare singulis mensibus aut quindenis facile morem gerunt confessario suggerenti Communionem singulis quindenis vel hebdomadis instituendam; item ab hebdomadaria transeunt satis facile ad frequentiorem imo ad quotidianam Communionem (1).

***

Ista valent de *populo christiano* seu fidelibus omnibus. At sub 7° statuit Decretum: « Communio frequens et quotidiana **præsertim** *in religiosis Institutis cujusvis generis* **promoveatur... Quam maxime quoque promoveatur** in clericorum Seminariis... item *in aliis christianis omne genus ephebeis* ».

Omissis aliis, quædam notare liceat de *christianis omne genus ephebeis*. Sacræ Congregationis verba sunt omnino perspicua: In istis *quam maxime promoveatur* communio frequens *et quotidiana* (2).

---

(1) Pro nonnullis pœnitentibus satis est pium istum usum suggerere; at pro aliis industria quadam opus est: Sic occurrente festo per hebdomadam, occurrente prima feria VI hortari posset eos confessarius ut experimentum sumant quotidianæ vel fere quotidianæ communionis, item occasione difficultatis specialis, adversitatis, gratiæ peculiaris obtinendæ; tempore paschali commendari posset praxis communionis reparatricis.

(2) « C'est clair, c'est net et décisif. Pesons bien ces mots: « *Communio frequens et quotidiana* »; pas d'équivoque possible: « *Quam maxime promoveatur* », voilà un maximum d'efforts réclamé, et de telle sorte qu'il n'y a pas à regimber, à se dérober; il faut faire l'impossible pour amener les enfants à la communion fréquente, *même quotidienne...* » A. Grumel, *La communion fréquente et quotidienne dans les Séminaires et Collèges*. Extrait du *Recrutement Sacerdotal* (Déc. 1906), p. 4. Reproduit dans *Le très Saint Sacrement*, n° de Janvier 1907.

Quomodo promoveri debet? Hic applicari debent, servatis servandis, quæ supra diximus. In concionibus et meditatione item in explicatione Catechismi in schola, proponi debet doctrina integra, ut *doceantur* omnes et singuli; at cum singulis alumnis agendum est cum discretione quadam et moderatione. Hæc actio *præcipue* pertinet ad confessarium, qui *crebris admonitionibus multoque studio* cohortabitur suos pœnitentes. Nihil tamen impedit quominus alii suggerant alicui in individuo pium usum, np. eum excitando ut de hac re loquatur cum suo directore spirituali (1).

Quam maxime promoveri poterit Communio frequens et quotidiana, si omnes et singuli, puta in eodem collegio, unanimes, idipsum sentientes, vires in unum conferant. Hæsitantes adhuc et timentes sinant se moveri fructibus vere mirabilibus obtentis in collegiis, ubi praxis tam pia ac tam salutaris introducta fuit. Experientia ibidem facta notatim ostendit quam vani et inanes sint timores quorumdam.

Sane negari nequit periculum aliquale oriri posse; at providi superioris erit illud præcavere, remediis quibusdam generalibus, seu pertinentibus ad totam

---

(1) Ex modo dictis liquet quid sit sentiendum de sequentibus: « Ce qui justifie le plus ces appréhensions très légitimes, c'est, nous semble-t-il, la *prétention* de certains prêtres, *assurément* très pieux et très réglés, de laisser moins que par le passé la direction des âmes, en ce qui concerne la Communion fréquente, à l'action modératrice des confesseurs; de vouloir obtenir la réalisation des vœux du Pape, moins par cette action individuelle, lente, plus secrète, mais par là-même, pensent-ils, plus sujette à caution, que *par l'action publique sur la collectivité des fidèles, par une prédication intensive* (*christianum populum... crebris admonitionibus multoque studio* cohortentur), de manière à provoquer rapidement un changement universel de l'habitude de la Communion rare en celle de la Communion fréquente; et cela *surtout (præsertim... quam maxime promoveatur)* dans les communautés religieuses et dans les maisons d'éducation, où il serait facile de susciter à cette fin un entrainement général ». *Revue eccl. de Liége, l. c.*, p 262. Nos sublineavimus verba quædam, et addidimus in parenthesi verba Decreti. Quomodo ista cohæreant cum *Decreto* et cum *Instructione* Sacerdotalis eucharistici Fœderis (quam alto silentio premit auctor citati articuli), nos penitus fugit.

communitatem; simul prudentis confessarii erit remediis particularibus pœnitentes suos præmunire.

Inter remedia *generalia* (1), hæc commendari possunt: Quantum fieri potest, facilis sit oportet accessus ad confessarium; unde saltem hoc obtinendum esset in quibusvis collegiis ac institutis *ut excipiantur confessiones bis in hebdomada.* — Deinde cavendum est omnino, ne sive regula sive usu seu de facto sint *dies statuti communionis,* item ne ita ordinetur accessus ad sacram Mensam ut statim omnibus appareat unus alterve non accedens. Similiter invigilator numquam *ostendat* se numerare communiones singulorum aut notare eos qui obiter vel et sæpe abstinent. Experientia docet alumnos bene uti hac libertate sibi concessa in frequentanda sacra Synaxi; ceterum informari seu educari debent, et ideo ne semper *ducantur,* sed discant *se ipsi ducere.*

Remedium magis efficax erit, præcise quia singulis aptari potest, *directio individua confessarii.* Quæ ad hanc spectant evolvere necessarium non est (2); sufficiat hoc notare: In instructionibus et meditatione, sæpius inculcetur necessitas directionis spiritualis. In hunc finem utile erit alumnis tradere laudatum libellum *Bidden en strijden;* simul ipsis providebitur remedium generale, quo instruantur ad devotionem solidam, cujus medium est usus quotidianæ communionis.

*
* *

De potestate confessarii perspicua (3) est doctrina

---

(1) Cf. R. P. Lintelo, S J. *La communion fréquente et quotidienne dans les maisons d'éducation.* Rapport présenté au congrès euchar. de Tournai 1906.

(2) Cf. Edw De Saegher, *Bidden-en strijden.* Nieuwe uitgave. J. De Meester, Rousselare; et quæ notavimus Collat. Brug, t. XI, p. 466 ss. It. nostrum opusculum *Het brood des levens,* P. II, § 2: *Middel tot volmaaktheid.*

(3) Nec explicari, id est restringi, debet per declarationes anteriores S. Sedis, latas np. eo tempore quo quæstio de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam nondum erat soluta. Ita restringitur apud *Revue eccl. de Liége,* p. 268 ss.

Decreti *Sacra Tridentina Synodus* sub 5°: « Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat ». Sane vox *oportet* importat aliquam necessitatem; sed hæc temperatur ex ipso contextu : *consilium* intercedat... ut *majori* prudentia fiat *uberiorique* merito augeatur; temperatur verò præcipue hoc addito, quod videntur plures non satis attendisse (1): « *Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiæ reperiatur et recta mente accedat.* » Supra sub 1° declaratum est quod « nemo, qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Doctrinam Decreti recte nobis videntur assecuti Episcopi Borussiæ in Instructione ad clerum 8 Dec. 1906 sub 4: « Advertant *Confessarii* suum in hoc sancto negotio munus esse, fidelibus non tam Communionem quotidianam *concedere* quam iisdem in hoc pio exercitio bene exequendo consilium dare pro viribusque invigilare, ne quis sine recta piaque mente ad S. Mensam accedat (decr. cit. 1°). Quippe ubi condiciones requisitæ adsunt, Confessario haud licet cuiquam Communionem quotidianam denegare (ibid. 5°). Attamen ubi « recta mens » non habetur, imo perspicuum sit pœnitentem « vanitati » inservire vel solummodo « usum aliorum » insequi aliisve « humanis rationibus » moveri (ibid. 2°), ita ut frequenti accessu ad sacram mensam animo non fortior, sed debilior fiat, teporemque et animi dissolutionem induatur, præsertim si ob Communionis frequentiam insolescat atque superbiat de eaque devotularum more libenter apud alios verba faciat, non devotionem veram, sed devotionis umbram solum et imaginem insectans, denique ubi prudenter timendum

(1) Manifestus abusus est potestatis in confessario qui v. g. prohibet integræ communitati Sacram Communionem die confessionis, aut a quotidiana Communione prohibet puellas in convictu, ne videantur æqualis sortis ac magistræ moniales.

sit ne pœnitens per quotidianum accessum levitatis aut irreverentiæ periculum incurrat : tunc vero Confessarii erit pœnitentem corrigere atque ad frugem revocare eumdemque, ni resipiscat, a sacræ mensæ frequentiori aut quotidiano accessu arcere » (1).

H. MAHIEU.

(1) Apud *Revue ecclés. de Metz*, 1907, p 127. — Huic instructioni citatæ apud *Revue eccl. de Liège*, l. c., p. 277, contradicit, sicut et ipsi Decreto, hæc assertio, *ibid.* p. 276 : « Il est certain aussi que les âmes sont animées à divers degrés de ces bonnes dispositions, de ces pieuses intentions ; et le directeur spirituel sera amené *de la sorte* à *accorder* la Communion fréquente *dans une mesure différente, selon celle de ces dispositions* ». Nullibi dicit Decretum frequentiam Communionis esse mensurandam juxta gradus dispositionum, quasi « majores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem » essent requisitæ. (Cfr. quoque *Instruction* pour la Ligue Sacerdotale eucharistique, II); at absolute statuit neminem qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente accedat a communione quotidiana prohiberi posse.

E S. R. et U. Inquis.

Circa jurisdictionem confessariorum transmarinum iter arripientium.

I

Feria IV, die 23 Augusti 1905.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis E^mi^ ac R^mi^ D^ni^ decreverunt:

Sacerdotes quoscumque maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, ex cujus diœcesi discedunt, vel ab Ordinario portus in quo in navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario portus cujuslibet intermedii, per quem in itinere transeunt, sacramentales confessiones excipiendi, quia digni, scilicet, atque idonei recogniti ad tramitem Conc. Trident. *sess. XXIII, cap. XV de Ref.*, facultatem habeant vel obtineant; posse toto itinere maritimo durante, sed in navi tantum, quorumcumque fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat, vel etiam aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis.

Sequenti vero feria V, die 24 ejusdem mensis et anni, SS^mus^ D. N. Pius PP. X decretum E^morum^ PP. adprobavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Notarius.*

II

Feria IV, die 12 Decembris 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis E^mi^ ac R^mi^ D^ni^ decreverunt:

Supplicandum SS^mo^ ut concedere dignetur sacerdotes navigantes, de quibus supra, quoties, durante itinere, navis consistat, confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant, tum eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus, confiteri petant eosque valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci

forte reservatis, dummodo tamen — quod ad secundum casum spectat — nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos adprobatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat.

Sequenti vero feria V, die 13 ejusdem mensis et anni, SS^mus^ D. N. Pius PP. X annuit pro gratia juxta E^morum^ Patrum suffragia.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. et U. I. Notarius.*

Adnotationes.

Disciplina per hoc utrumque decretum introducta circa facultatem confessiones excipiendi, qua gaudeant sacerdotes navigantes in mari, huc redit:

1°/ Requiritur et sufficit ut facultatem acceperint sive ab *Ordinario proprio*, ex cujus diœcesi discedunt, sive ab *Ordinario portus in quo navem conscendunt*, sive ab *Ordinario portus cujuslibet intermedii*, per quem in itinere transeunt (1); nec opus est ut dictam facultatem hic et nunc acceperint in ordine ad iter maritimum instituendum, sed sufficit ut eam quocumque titulo detineant: dicitur enim in tenore: « facultatem habeant vel obtineant ».

Dicta facultas importat, in quantum est opus, tum *jurisdictionem*, quæ, respectu illorum qui Ordinario facultatem elargienti non sunt subditi, derivatur, mediante Ordinario, a S. Pontifice, tum *approbationem,* ad tramites Concilii Tridentini, Sess. XXIV, cap. 15, *De Reformatione,* requisitam. Dicitur: *in quantum est opus,* quia notum est *parochos*, pro absolvendis *parochianis*, vi muneris, gaudere jurisdictione, nec indigere approbatione; confessarios autem *regulares* pariter non habere opus approbatione respectu pœnitentium *regularium*, eisque sufficere jurisdictionem a Prælato acceptam.

(1) Olim aliter obtinebat: nempe, juxta decretum C. S. O., 29 Martii 1869 (*Collectanea S. C. de P. Fide,* n. 933), facultas erat impetranda « ab Ordinariis locorum unde naves solvebantur »; juxta decretum vero ejusdem Congr. S. O., dici 4 Aprilis 1900, ab Ordinario proprio sacerdotis confessiones excepturi. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 602 et t. V, 636 s.

2°/ Perseverat data facultas *toto itinere durante*, quamvis inter ipsum iter navis aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis (1).

3°/ Tali muniti facultate, sacerdotes navigantes possunt confessionem excipere fidelium a/ secum navigantium; b/ quavis ex causa ad navem accedentium, (v. gr. ad salutandum amicum), quotiescumque durante itinere navis consistat; c/ etiam eorum qui, ipsis sacerdotibus forte in terram obiter descendentibus, confiteri petunt, « dummodò... nullus in loco vel unicus tantùm sit sacerdos adprobatus et facilè loci Ordinarius adiri nequeat » (2).

Dicitur: *quorumcumque* fidelium: tum sæcularium scilicet, tum monialium et regularium; nec refert utrum ab initio itineris navigent, vel medio in itinere navim conscenderint, sive cum sacerdote iter inchoaverint, sive ante ipsum vel post ipsum.

4°/ Restringitur usus facultatis, extra territorium Episcopi approbantis, ad ipsam *navim*, extra quam non possunt sacerdotes, vi præfatæ concessionis, munus confessarii exercere: sola fit exceptio in casu de quo sub 3°, ad c/, quando scilicet, navi per iter consistente, sollicitantur sacerdotes, obiter ad terram descendentes, ut confessionem excipiant, ac nullus datur vel nonnisi unicus sacerdos approbatus, nec Ordinarius loci commodè adiri potest (3).

---

(1) Eadem dispositio occurrit in utroque præcitato decreto anni 1869 et 1900.

(2) Usus facultatis respectu pœnitentium, de quibus sub b/ et c/, non permittebatur sub anteriori disciplina, juxta quam soli fideles *cum sacerdote navigantes* sacramentaliter absolvi poterant.

(3) Sub disciplina anteriorum decretorum confessiones non poterant excipi nisi *in sola navi*. Simile vero præsenti concessioni indultum olim jam concesserat Gregorius XVI, die 27 Martii 1831, in gratiam presbyterorum Seminarii Missionum ad exteros, ipsis indulgendo ut facultate qua gaudebant, sacramentaliter absolvendi itineris marini socios, possent uti non solùm in navi, sed etiam in *terris* ad quas navis contigerit appellere, et paucis diebus moram facere, sed « in locis tantùm ubi Ordinarius commodè adiri nequeat », Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XVI (1885). p. 599.

5°/ Extenditur eorum facultas, infra limites descriptos, ad absolutionem casuum reservatorum, etiam quando, ad normam modò dictorum, possunt confessiones excipere extra navim: nec etiam in hoc casu excipiuntur a concessionis amplitudine peccata reservata Ordinario illius loci in quo sacerdotes itinerantes, obiter ad terram appellentes, jurisdictionem sacramentalem exercent.

Nota. Restrictio quoad *locum,* quæ sub 4° determinatur, non spectat, uti notatur apud *Collat. Brug*, t. V, p. 637, exercitium jurisdictionis *ordinariæ* in proprios subditos, putà parochi in parochianos, Episcopi in diœcesanos: quæ jurisdictio ordinaria ubique terrarum valide exercetur.

A. De Smet.

Notæ Bibliographicæ

Bargilliat. *Les Honoraires de messes. — Texte et commentaire du Décret « ut Debita »;* 1905, Paris, Berche et Tralin, 71 pp.

Hunc commentarium commendant magna qua fruitur Scriptor auctoritas, necnon egregia ac nitida totius doctrinæ expositio.

Liceat autem quædam, hinc inde excerpta, notare quæ minus placent. Ita, quod spectat præcipuam ac fundamentalem normam, sub nº 1º Decreti positam, A. censet p. 22 s., cum *Nouv. Rev. théol.*, t. XXXVII, p. 91 ss., sacerdotes non posse quærere nec accipere missas quas non valent per seipsos celebrare, *nisi de consensu oblatorum:* quo consensu deficiente, missas aliis sacerdotibus transmittendas a fidelibus quæri et accipi non posse, seposita licet omni industriosa collectione. Contrà quam explicationem manet difficultas quam olim jam movimus, apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 45, in nota, quatenus hæc solutio valeat ad summum pro missis *directe a fidelibus sollicitatis;* pro missis autem, mediante tertia manu, a fidelibus acceptis, non videtur quomodo varii donatores hinc inde dispersi opportune possint consuli ac consensum præstare.

Pariter contra B., p. 41-42, tanquam indubiam habemus sententiam, vi cujus Ordinarii obligationi manent obnoxii donec actæ celebrationis fidem obtinuerint, pro omnibus missis quas *sacerdotibus* transmiserint, tam diœcesanis quam alienis. Cf. *Collat. Brug*, t. IX, p. 666, s.; t. X, p. 321.

Neque placet laudati Auctoris interpretatio in responsum Romanum ad postulata Episcopi Bredani, p. 52, quasi tolerantia usus ibidem vigentis ut parochi, ex missis a vicario celebratis, sibi retineant partem stipendii, loco honestæ sustentationis, derogatoria esset normæ statutæ in Decreto, sub n. 10: dictus nempe usus haud ægre cum illa norma conciliari posse censetur, juxta dicta apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 319 s., coll. p. 47.

Ex alia parte ultrò consentimus B. docenti, p. 31 s., juxta regulam 4m et 5m, missas pro quibus, *ante finem anni,* præteriit tempus legale, esse ad Episcopum mittendas, nisi forsan ipse sacerdos, intentionibus tunc carens, eas illicó exonerare posset; item ubi docet, p. 41 s , ex missis in aliquo sanctuario exonerandis, retineri posse partem stipendii, quando moraliter constat excessum eleemosynæ oblatum esse *intuitu sanctuarii.* Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 52 s.

*
* *

N. Rousseau. *Renseignements pratiques à l'usage du curé et du confesseur sur la législation canonique du mariage,* 1905, Paris, Lethielleux, 147 pp.

En, uti titulus indicat, quasdam instructiones utiles ac monita practica, quibus dirigatur parochus vel confessarius in tractandis causis matrimo-

nialibus, quas, stante hodierna disciplina, experientia docet esse nonnunquam intricatas ac ægre enodandas. Spectant examen nupturientium, pp. 1 30, modum agendi in dispensationibus impetrandis ac exequendis, in ordine ad matrimonium ineundum vel nulliter contractum convalidandum, pp. 31-85, addito verbo circa casum perplexum ac matrimonia in extremis, pp. 86-114, necnon subjunctis, per modum appendicis, formalitatibus civilibus ac methodo detegendi impedimenta consanguinitatis, pp. 115-136.

Quæ opella, apta methodo exarata, in multis commendandam sese exhibet; non displiceat tamen unum alterumve notari:

Licet praxim imprimis præ oculis habuerit R., opportune tamen hinc inde inseruisset varias notiones juridicas, ad intellectum disciplinæ canonicæ in hac materia necessarias, putà notiones dispensationis in forma gratiosa et commissoria, in forma ordinaria et in forma pauperum, pro foro externo et interno, et ita porrò.

Rursùs, ubi, p. 62 ss , agitur de executione dispensationis pro foro interno, distinctio desideratur inter dispensationem Romanam et Episcopalem, cum prior concedatur in forma commissoria, altera, in pluribus diœcesibus, in forma gratiosa (1). P. 69 s., videtur innuere R. a S. Sede non dispensari super disparitate cultus in ordine ad matrimonium *contrahendum*.

Manca etiam est et incompleta solutio *casus perplexi*, pp. 87 ss., pro qua distinguendum foret inter hypothesim qua alteruter nupturientium novit impedimentum, et hypothesim qua uterque est impedimenti conscius: in hoc nempe altero casu, secus ac in priori, eludi potest casus perplexitas, suggerendo contractum matrimonialem conditionatum, ineundum nempe sub conditione dispensationis obtinendæ, ita ut vitetur matrimonii nullitas ac simul præcaveatur ab illegitimo matrimonii usu.

Cæterum, hac occasione, appositè advertit A., p. 90 ss., quod casus perplexi frequentiæ efficaciter ac provide posset obviari, per hoc quod Episcopus omnibus confessariis concedat, *ex potestate quasi-ordinaria*, id quod, ex potestate delegata, plerumque concedit parochis, ut nempe, in urgenti necessitate, dispensare valeant pro foro interno super affinitate illicita; extensa etiam dicta facultate ad impedimentum occultum criminis (2). Tandem nescio utrum R , attentis indole materiæ tractandæ ac qualitate personarum in quarum gratiam conscripsit, non aptius usus fuerit idiomate latino.

A. De Smet.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 127 s.

(2) P. 93 testatur A. hoc esse in usu, in diœcesi Engolismensi, inde ab anno 1890, sequenti monito quotannis in *Ordine* inserto: « Quando confessarius præ temporis angustia ad Nos recurrere, matrimoniumque sine periculo infamiæ differri non potest, Nos, ex jure nostro ordinario, ipsum delegamus ad convalidationem seu dispensationem impedimenti occulti *affinitatis ex copula illicita*, aut *criminis ex adulterio et fide data proveniente*, in actu sacramentalis confessionis, servatis servandis, concedendam, excepto tantùm casu viri qui, ante futuræ uxoris nativitatem, copulam cum hujus matre habuerit ».

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

—

I

Interpretare ex epilogo Apocalypseos XXII, 16-21.

II

Solvatur hæc difficultas: Omne meritum vitæ æternæ simul etiam incrementi charitatis meritum est; atqui charitas non augetur nisi per actus qui *ex ipsa* procedunt; id enim omnibus habitibus commune est. Igitur illa solum opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ vel sunt actus charitatis eliciti, vel saltem imperati.

III

Josephus N... nuptias ambit ineundas cum Magdalena N..., uxoris defunctæ sorore, cum qua luxuriosè conversatur: utraque pars supponitur in paupertate existens.

Indica quò sit recurrendum pro dispensatione, confectâ supplicâ ac integro processu accurate descripto.

IV

Confessarius, duobus ante nuptias mensibus, detegit pœnitentem nupturientem carnaliter cognovisse sororem sponsæ. Describe, exarato supplici libello, modum recurrendi pro dispensatione, eamque, cum variis suis clausulis, executioni mandandi.

V

Confessario vicepastori confessionem nupturientis excipienti, ipso mane quo matrimonium est celebrandum, innotescit sponsum esse obnoxium, respectu sponsæ, impedimento criminis.

Describe et dijudica modum agendi confessarii.

VI

Quo habitu et quo ritu facienda sunt elatio cadaveris e domo defuncti et deductio funeris ad ecclesiam?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I.

Q. *Interpretare Jud. 14-16 et ostende citationem prophetiæ Enoch divinæ inspirationi hujus epistolæ non obstare.*

R. I. **Interpretatio.** *V. 14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, 15. facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Asserit auctor his vv. etiam *(et)* ad pseudodoctores (quos in epistola impugnat) æque ac ad alios impios spectare *propheticam* comminationem divini judicii vindicativi, in libro *Enoch* huic patriarchæ communiter tributam. Utrum vox επροφήτευσεν prophetiam stricte dictam, spiritu divino editam significet, probabile videtur, sed non clare liquet: nonne S. Paulus Epimenidem, auctorem profanum, *Tit.* I, 12 sub nomine « prophetæ » laudat?

Vocatur Enoch *septimus* patriarcha computato Adamo (Adam, Seth, Enos, Kainan, Malaleel, Jared, Enoch), ut distinguatur a tertio Enos. Juxta auctores quosdam (1) numerus septenarius hìc mysticam significationem habet. Dies septimus enim est dies requiei in historia genesiaca creationis mundi, et ità typus evasit magni Sabbbati seu requiei perfectæ judicium Domini subsecuturæ: hoc autem Domini judicium prænuntia-

(1) V. g. PLUMPTRE, *The general Epistles of St Peter and St Jude*, Cambridge 1903, p. 210 s.

verat Enoch, juxta verba statim sequentia (1). — *Ecce veniet* (2) de cœlo *Dominus* circumdatus *sanctis* myriadibus (μυριάσιν) *suis,* i. e. myriadibus sanctorum suorum angelorum, ut *judicium* exerceat *contra omnes* utque palam *redarguat* ac puniat *omnes impios* pro *omnibus* impiis *eorum operibus* quæ *impie* fecerunt, *et pro omnibus duris,* i. e. asperis et blasphemis verbis *quæ locuti sunt contra Deum* (gr. κατ'αὐτοῦ: contra Ipsum) *peccatores impii.*

16. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.

Hi sc. pseudodoctores (v. 4) *sunt murmuratores querulosi* puta contra Deum ac superiores ecclesiasticos. Adjectiv. *querulosi* gr. μεμψίμοιροι proprie significat qui de sorte sua conqueruntur (3), adeoque intelligi potest: qui contra Deum ejusque Providentiam querelas movent; verùm substant. γογγυσταί ad quod refertur dictum adject., innuere videtur pseudodoctores etiam querelas movisse seu murmurasse contra ecclesiasticos superiores, quorum doctrina, regimen ac disciplina ipsis displicebat (4). — *Secundum desideria sua* seu

---

(1) Hujus requiei symbolum pariter inveniebatur in eo quod de exitu vitæ Enoch narratur *Gen.* V, 24: « Ambulavit (Enoch) cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus »; cf. *Eccli.* XLIV, 16: « Enoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam »; cf. pariter *Heb.* XII, 5: « Fide Enoch translatus est ne videret mortem ». Sunt, uti notum est, qui huc referunt sat communem opinionem, fore ut Enoch cum Elia in fine mundi redeat in mundum, atque de ipsis intelligendum esse quod *Apoc.* XI, 1-14 dicitur de duobus testibus qui « prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta ». Hæc tamen dicti loci Apocalypseos interpretatio incerta videtur et sat graves patitur difficultates. Cf. *Mt* XVII, 10 ss.

(2) *Venit* est præteritum propheticum pro futuro.

(3) A μέμφομαι vitupero et μοῖρα sors, fatum.

(4) Γογγυστής alibi in N. T. non occurrit Attamen voces cognatæ γογγύζειν et διαγογγύζειν in vers. LXX usuveniunt de Israelitis querelas adversus Deum ac Moysen moventes; pariter in N. T. γογγύζω (*Mt* XX, 11; *Lc* V, 30; *Jo.* VI, 43; VII, 32; *I Cor.* X, 10) et γογγυσμος (*Jo* VII, 12; *Act.* VI, 1; *Philip.* II, 14; *I Pet.* IV, 9) primario usurpantur

cupiditates suas pravas (κατὰ τὰς ἐπιθυμίας αὐτῶν) viventes et conversantes. Et hæc forsan indicatur causa cur de propria sorte non sint contenti: quicumque enim pravis concupiscentiis laxat habenas, querulus est et morosus quoties illis haud satisfactum est. — *Et os eorum loquitur superba* i. e. alta et magnifica de se et de sua doctrina loquuntur, ut simplices decipiant et ad placita sua pelliciant; *mirantes personas:* cum simulata admiratione personas potentes ac divites laudantes *quæstus causa* (v. 11) i. e. ad emungendas earum pecunias.

II. **Citatio prophetiæ Enoch non obstat divinæ inspirationi Judæ.**

A. Quamvis plures Auctores id negent (1), tenendum videtur verba *Jud* 14^{b}-15 ex libro apocrypho Enoch, in variis versionibus servato (2), deprompta fuisse (3): in dicto enim libro fere eadem leguntur verba quæ hic a Juda recitantur. Cæterùm, plures veteres dependentiam

---

de murmurationibus adversus homines auctoritate donatos. Cf. BIGG, *A critical and exegetical Commentary on the Epistles of St Peter and St Jude,* Edinburgh 1902, p. 336.

(1) Ità CORNELY, *Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros,* t. III (Parisiis 1886). p. 657. Cf. etiam *Lexicon biblicum* a M. HAGEN editum, t. II (Parisiis 1907), p. 486. Uterque auctor tenet Judam verba illa e traditione orali Judæorum hausisse. Cf. etiam GUTJAHR, *Einl. in den h. Schriften des N. T.,* Graz 1905, p. 388.

(2) Sc. græca, æthiopica, latina (fragmentum apud PSEUDO-CYPR. ad *Novat.*); cf. ZAHN, Einl. in das N. T., Leipzig 1900, t. II, p. 105 s.; — CHASE apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible,* Edinburgh, t. I, p. 705.

(3) Ita BIGG, *o. c.,* p. 336; — CHASE, *l. c.;* — PLUMTRE, *l. c.;* — HARNACK, *Geschichte der altchristlichen Literatur,* t. II, 1 (Berlin, 1897), p. 465 s.; KUEHL, *Die Briefe Petri und Judæ,* Göttingen 1897, *h. l.;* SCHUERER, *Gesch. des jüd. Volhes im Zeitalter Jesu Christi,* Leipzig 1901, t. III, p. 205, 211 s.; SIEFFERT in *Protest. Realencyclopædie,* t. IX (Leipzig 1901), p. 591 s.; — ZAHN, *l. c.;* — JUELICHER, *Einl. in das N. T.,* Tübingen u. Leipzig 1901, p. 181; inter catholicos: MAIER, *Der Judasbrief,* Freiburg i. B. 1906, p. 29; — CEULEMANS, *Commentarius in Epistolas catholicas et in Apocalypsim,* Mechliniæ 1904, p. 175; — POELS, *The catholic University Bulletin,* 1905, p. 47; CALMES, *Epitres catholiques, Apocalypse,* Paris 1905, p. 104. etc.; — BELSER, *Einl. in das N. T.,* Freiburg i. B. 1905, p. 660 s.; — HACKSPILL, *Rev. biblique,* 1900, p. 568 n. 2; — SCHANZ, *Apologie des christentums,* Freiburg i. B., t. II (1905), p. 648.

Judæ a libro Henoch jam affirmarunt. Ita Clemens Alex. (1) scripsit: « his verbis (sc. Judas) prophetiam comprobat »; Tertullianus (2) verò: « eo accedit quod Enoch apud Judam apostolum testimonium possidet ». Tempore S. Hieronymi (3) dictam dependentiam ab Enoch plures canonicitati Judæ opponebant: « Judas parvam, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit; et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur », S. Augustinus (4) observavit: « Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Judas apostolus dicat » (5).

B. *Dicta dependentia si admittatur, non obstat inspirationi Judæ.* Haud quidem negandum est testimonium Enoch velut auctoritate vestitum allegari contra pseudodoctores: siquidem Judas asserit judicium condemnatorium contra impios in testimonio prolatum, ad istos quoque spectare. At verò non probatur illud testimonium invocari ut auctoritate divina seu canonica donatum (6). Nonne potuit Judas, quin integrum scriptum patriarchæ Enoch tributum approbaret, doctrinam quamdam veram in eo contentam assensu accipere, et contra adversarios Judæo-christianos velut argumentum ad hominem adducere (7)? Cæterùm, non auctoritas

---

(1) *Adumbr. in ep. Judæ;* ZAHN, *l. c.*, autumat loco *prophetiam* in textu Clem. legendum esse *prophetam.*

(2) *De cultu fem.* I, 3.

(3) Cf. *De viris ill.*, IV.

(4) *De Civit. Dei,* XV, 23; XVIII, 38.

(5) ZAHN, *l. c.*, præterea allegat testimonium *Euthalii* apud ZACAGNI, p. 480, 485.

(6) Uti HARNACK, *l. c.*, contendit.

(7) Hoc vel eo magis ipsi licebat, quod probabilius non librum Enoch juniorem, fabulis interpolatum, sed opus antiquum genuinis Judæorum traditionibus innixum præ manibus habuerit. Cf. MAIER, *o. c*, p. 30. Ait ERMONI apud VIGOUROUX, *Dictionnaire de la Bible,* t. III, p. 1811: « Ce livre (d'Hénoch), comme beaucoup d'autres apocryphes, contenait des traditions juives; dès lors Jude a pu utiliser ces traditions, comme II Tim. III, 8 ». Cf. HACKSPILL, *l. c.*

libri seu *scripti* invocatur, sed propheta seu patriarcha loquens inducitur; persona ipsa *(septimus ab, Adam Enoch)* exhibetur. Uti Maier *(l. c.)* notavit et contra difficultates ab Holtzmann (1) motas propugnavit (2), citationes *scriptæ* in tempore præsenti allegari solent: hîc autem in tempore præterito dicitur: *prophetavit* (ἐπροφήτευσεν).

Ergo Judam librum Enoch apocryphum et pseudepigraphum ut canonicum ac divinum allegare non liquet.

Objiciet quis Judam erronee librum apocryphum Enoch ut genuinum habuisse, cùm dicat: « prophetavit autem et de his *septimus ab Adam Enoch* », vel saltem autumasse eam prophetiam revera a patriarcha Enoch fuisse editam, quod probari nequit. Utramque autem persuasionem cum inerrantia S. Scripturæ adeoque cum epistolæ inspiratione incompossibilem quis dicet.

Attamen quousque non demonstratur Enoch istam prophetiam non edidisse, nihil contra epistolæ inerrantiam opponi valet. Quis autem dictam demonstrationem conficiet? Dein verba « septimus ab Adam » non eo ipso probant Judam opus Enoch ut genuinum æstimasse, cum ex ipso libro desumpta appareant (3). Quodsi revera cuidam constaret Judæ præpostere persuasum fuisse tùm opus tum prophetiam esse genuina, an idcirco inerrantia epistolæ adeoque ejus inspiratio vacillaret? Plures auctores catholici id negant, et sequenti modo suam opinionem tuentur.

Quemadmodum, aiunt, salva inerrantia Scripturæ, hagiographi in describendis phænomenis naturæ, sequi potuerunt externam apparentiam et communem loquendi modum in ea fundatum (4), ità eodem fere modo potue-

---

(1) In periodico: *Deutsche Literaturzeitung,* 1906, p 1042.

(2) In periodico: *Zeitschrift für katholische Theologie,* 1906, p. 706 s.

(3) Cf. *Enoch,* LX, 8; XCIII, 3; ZAHN, *o. c.*, p. 107.

(4) Ita v. g. scripserunt solem oriri, moveri circa terram (*Jos.* X, 12 s.); de luna locuti sunt ac si esset luminare majus præ omnibus stellis (*Gen.* I, 16) etc , etc.

runt, salva inerrantia, tangendo res profanas, locutiones adhibere ex opinionibus erroneis suorum temporum profectas. Etsi enim iis locutionibus apparet, etiam hagiographos communibus suæ ætatis erroribus imbutos fuisse, immerito putares eosdem errores ab iis in Scriptura doceri; dummodo enim intentioni S. Scriptoris, ut par est attenderis, invenies ope locutionis errorem sapientis, reapse verum aliquid affirmari. Ita (1) ex modo loquendi *Gen.* I, 3-18, vix non certum videtur, auctorem hexaëmeri lucem diurnam et diei noctisque vicissitudinem considerasse ut phænomena a sole non pendentia; nihilominus nihil aliud in Scriptura affirmasse videtur nisi hoc: cunctas res, lucem, ordinem diei ac noctis, solem, etc. a Deo esse facta (2). Eadem ratione plures moderni (3) explicant hunc locum Judæ. Difficulter negatur, ut vidimus, apostolum ibi adhibere librum apocryphum Enoch; hinc merito (uti plures opinantur) inferri videtur eum non secus ac coævos suos, hunc librum magni æstimasse, imo forte habuisse genuinum; nihilominus stricte loquendo S. Judas nihil aliud in Scriptura affirmat præter hoc unum: falsis doctoribus applicari comminationem divini judicii, sæpius factam et in libro Enoch huic patriarchæ, quem omnes lectores ut « septimum post Adam » noverant, tributam (4).

---

(1) Ut ait Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina,* Amstelodami 1906, p. 62 s.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 462 ss ubi Ill^s ac Rev^s Waffelaert, opus sex dierum interpretans, quatuor fidei veritates eruit, quas auctor hexaëmeri, independenter a quacumque interpretandi ratione, inculcare vult.

(3) Cf. H. Poels, *History and Inspiration,* apud *The Catholic University Bulletin,* 1905, p. 47 s.

(4) Ut notat Van Noort, *o. c.*, p. 61: finis Dei inspirantis S. Scripturam non erat quam maximam quarumlibet veritatum summam hominibus communicare, sed docere religionem: quæ secundum se religiosa non sunt, nonnisi propter veritatem religiosam tradendam inspirata existunt. Hinc minime necessarium fuit, hagiographos divinitus edoceri de rebus profanis, physicis, historicis, literariis, quas aliqua ratione

Cæterùm pro omnibus catholicis inspiratio hujus epistolæ certa est, utpote a Conc. Trid. et Vat. definita; solum quæritur quomodo sit tuenda. Solutionem autem statim supra adductam haud improbabilem arbitramur. Fieri enim potest ut Judas librum Enoch hancque prophetiam laudaverit sub nomine tunc temporis communiter usurpato, quin de vero auctore quidpiam in Scriptura affirmare intenderit.

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Qua formali ratione influit in meritum condignum tum gratia sanctificans, tum charitas?*

R. *Ad formalem* MERITI CONDIGNI *rationem quod spectat, a gratia sanctificante provenit ipsa* CONDIGNITAS *operis* AD PRÆMIUM, *a charitate, ipsa* RELATIO *operis* IN DEUM.

Explicatur. 1. Valor honorificus obsequii provenit principaliter ex ipsa dignitate personæ operantis: inde opera Christi, elicita ab ejusdem humana natura, sunt *infiniti* valoris. Igitur opera moraliter bona hominis in tantum erunt proportionata vitæ æternæ (ut præmio) in quantum procedunt a persona cujus dignitas est proportionata, seu in eodem ordine, cum ipso præmio. Jamvero talem dignitatem adipiscitur homo formaliter gratia sanctificante: hæc est enim habitus supernaturalis, essentiæ animæ infusus, quo hæc redditur *particeps divinæ naturæ*, indeque fit homo *Dei filius adoptivus*: hac autem insignitus dignitate, homo elicit opera quæ ad Deum, ut ad Patrem, referuntur, et quæ consequenter remuneranda sunt bono quod est *proprium* Dei, nempe cognitione Dei prouti est in seipso. Ad rem

---

tangebant; potuerunt de iis æque imperfecte, imo false sentire ac ceteri ejusdem ætatis homines, dummodo *a formali judicio erroneo* de iis in Scriptura proferendo præservarentur.

S. THOMAS : « Ante infusionem gratiæ homo nondum est particeps divini esse ; unde actus sui sunt omnino improportionati ad merendum aliquod divinum ; sed per gratiam infusam constituitur in esse divino, unde jam actus sui proportionati efficiuntur ad promerendum augmentum gratiæ vel perfectionem gratiæ » (1).

Confirmatur assertum ex condemnatione propositionum 13æ et 15æ Baii : « Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi » (2). « Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operantur, habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediunt divinæ legi » (3). Secundum hæc igitur *ratio meriti* operibus provenit ex hoc quod agens operetur per spiritum adoptionis, quod agens habeat gratiam sanctificantem et Spiritum Sanctum : hoc autem non esset nisi gratia sanctificans daret operanti aliquam specialem dignitatem ex qua acquirunt opera specialem valorem quo constituuntur meritoria.

2. Charitas est illa virtus infusa quæ respicit formaliter ultimum finem supernaturalem : hac enim virtute diligimus Deum, supernaturaliter cognitum, prouti est in semetipso infinite bonus, consequenter amamus Deum simpliciter super omnia. Inde homo, qui semel elicuit actum charitatis, se et omnia sua in Deum retulit, et ideo omnia sua opera bona *virtualiter* referuntur in Deum (4). Aliæ vero virtutes, a charitate distinctæ, non respiciunt ultimum finem formaliter ut finem (5), ideoque per illas virtutes solas non referun-

---

(1) In II, D. XXVII, Q. I, a. 5, ad 3. Cf. JUNGMANN, *De Gratia*, n. 362 ; TERRIEN, *La grâce et la gloire*, Paris, 1897, t. II, p. 20 ss. ; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 690 s.

(2) DENZINGER, *Enchiridion*, n. 893.

(3) Ibid., n. 895.

(4) Cf. suprà, p. 170.

(5) « Charitas tendit in ultimum finem sub ratione finis ultimi, quod non convenit alicui alii virtuti ». S. THOMAS, II-IIæ, Q. XXVI, a. 1, ad 1.

tur, sicut oportet ad rationem meriti, actus nostri: hoc autem fit a charitate quæ est finis aliorum virtutum quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum (1).

Adnotatio. Hæc relatio charitatis est *virtualis*, *non actualis*, sicuti suprà, p. 170, exposuimus, et secundum eumdum sensum est intelligendum *imperium* charitatis, quod, ad meriti rationem, requirit S. THOMAS dicendo: « Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes *imperantur* a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a charitate *imperantur* » (2). Illud imperium non est intelligendum de *actu* charitatis qui *physice* hic et nunc *influit* in actus aliarum virtutum, quatenus actus charitatis *efficiat* ut *eliciantur* actus aliarum virtutum ex amore Dei (3); sed intelligendum est imperium implicite, virtuale quatenus charitas *ordinat ad finem suum* omnes actus aliarum virtutum. S. Thomas de hac re mentem suam aperit his verbis: « Et hinc etiam apparet, quomodo charitas sit *motor* omnium virtutum; inquantum scilicet *importat* actus omnium aliarum virtutum. Omnis enim virtus vel potentia superior dicitur movere per *imperium* inferiorem, ex eo quod actus inferioris *ordinatur ad finem* superioris, sicut ædificativa imperat cæmentariæ, eo quod actus cæmentariæ artis ordinatur ad formam domus, quæ est finis ædificativæ; unde cum omnes aliæ virtutes *ordinentur ad finem* charitatis, ipsa *imperat* actus omnium virtutum, et ex hoc dicitur *motor* earum » (4).

---

(1) S. THOMAS, *l. c.*, Q. XXIV, a. 8, ad 3.

(2) I-II^æ, Q. CXIV, a. 4.

(3) Charitas *potest* actualiter imperare actus aliarum virtutum: omnes enim virtutes producere possunt actus *imperatos*; sed dicimus tale imperium actuale non requiri ad rationem meriti, nec hoc exigi a S. Thoma.

(4) *De charitate*, a. 3. — Eadem ratione charitas est *forma* virtutum:

Si quis censeret S. Thomæ sententiam esse hanc: quod actus bonus, ut sit meritorius, debeat *elici influxu* alicujus *actus* charitatis, deberet etiam admittere S. Thomam hoc tenuisse: quod in homine justificato omnes actus moraliter boni eliciuntur *influxu* alicujus actus charitatis: nam certo censet S. Thomas omnes actus moraliter bonos in homine justo, saltem qui semel elicuit actum charitatis, esse meritorios (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quid est matrimonium* mixtum? *An et quandonam validè et licitè contrahitur?*

R. I. **Notio.** Matrimonium mixtum est matrimonium initum inter duas personas *baptizatas* (2), quarum una *catholica* et altera *acatholica:* sive hæretica sit sive schismatica (3).

Porro notetur, ut quis censeatur hæreticus vel schismaticus in ordine ad constituendum matrimonium mixtum, non sufficere quod quomodocumque reatum hæreseos aut schismatis incurrerit: oportet ut hæreticæ seu schismaticæ sectæ adscriptus existat (4).

---

cf. S. Thomas, *l. c.;* Illmus ac Revmus Waffelaert, *De Virtutibus theologicis* Introductio, n 3; *De Virtutibus cardinalibus, De prudentia,* etc., n. 19.; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 410; Billot, *De Virtutibus infusis,* Romæ, 1901, p. 386 ss

(1) V. suprà, p. 13 ss.

(2) Si unus nupturiens est baptizatus, et alter non, tunc intercedit impedimentum non mixtæ religionis sed *disparitatis cultus.* Ubi autem Baptisma alterutrius nupturientis est dubium, specialis exsurgit controversia, quam hic omittimus.

(3) Ad dubium propositum: « An matrimonia catholicos inter et schismaticos,.... quoad conditiones canonicas præmitti solitas, æquiparanda sint matrimoniis mixtis, i. e. catholicos inter et hæreticos contrahendis? », respondit S. C. de P. F.: *affirmative.* — Cf. *Theol. Mechl., De sponsalibus et matrimonio,* ed. 1903, p. 214.

(4) « Quoties agitur de matrimonio inter unam partem catholicam, et alteram, quæ a fide ita defecit ut *alicui falsæ religioni vel sectæ sese ad-*

Equidem reprobandæ sunt et ab Ecclesia reprobantur nuptiæ inter partem catholicam et alteram quæ fidem abjecit aut a communione recessit, licet nulli sectæ adhæserit; sed non sunt obnoxiæ hujusmodi nuptiæ impedimento canonico ac speciali interdicto Ecclesiæ, in quo sub peculiaribus cautelis sit dispensandum. Cf. decretum C. S. O., 30 Januarii 1867, apud *Collat. Brug.*, t. III, p. 350 ss.

II. **Valor.** Indubium est matrimonia mixta esse *per se valida*, uti constat ex variis documentis allatis a Feye (1), et speciatim ex Instructione C. S. O., 12 Dec. 1888 (*Collectan.* S. C. de P. F., n. 1444, ad 1m): « Catholicorum cum hæreticis, et contra, nuptiæ illicitæ sunt quidem, sed nihilominus *valent*. Ingens propterea discrimen intercedit inter impedimentum mixtæ communionis seu religionis, et alterum quod propria appellatione dicitur disparitatis cultus :... conjugia inter personas cultu dispares sunt prorsus irrita, mixta vero valida, sed graviter illicita » (2).

Dicitur *per se*, quia *per accidens* frequenter contingit descripta connubia etiam esse irrita, ob impedimentum juris naturalis vel divini (3), et signanter juris ecclesia-

---

scripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis et notis præscriptionibus et clausulis; aliter si altera pars fidem quidem abjecit, at nulli falsæ religioni sese adscripsit ». Ita C. S. O. 30 Jan. 1867, apud Wernz, *Jus Decretalium*, o. c., n. 574; *Collat. Brug.*, III, 350 ss. Porro, ad tramites responsi C. S. O., anni 1859, hæresi adscripti consentur « 1/ illi qui catholicè baptizati, a pueritia nondum septennali in hæresi educantur ac hæresim profitentur; 2/ qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3/ qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur;... 4/ qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt, quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint ». *N. R. th.*, XV, 502; cf. *Rev. eccl. de Liége*, 1907, p. 302.

(1) *De matrimoniis mixtis*, Lovani, 1847, p. 82-88.

(2) Cf. apud Wernz, o. c , n. 576, evolutionem legislationis ecclesiasticæ circa matrimonia mixta.

(3) Ita speciali studio indagandum est utrum, saltem a parte acatholica matrimonium non fuerit initum sub conditione suspensiva repugnante

stici : hujus namque juris impedimentis obnoxii sunt, ratione characteris baptismalis, nupturientes hæretici (1).

III. **Illiceitas.**

Graviter illicita sunt matrimonia mixta, *nisi* ab Ecclesia fuerit impetrata *dispensatio.*

1°/ Sunt *graviter illicita :*

a/ *regulariter* ex jure *divino naturali*, ob inde derivans scandalum, et signanter ob gravissima quæ inducuntur pericula : perversionis pro parte catholica, pravæ institutionis pro sobole, indifferentismi promovendi in negotio religionis, ac tandem discordiæ excitandæ inter animos conjugum religione diversorum. Cf. Litt. Ap. Pii VIII 25 Martii 1830 et Gregorii XVI 30 Aprilis 1841 ; Instr. Secret. Status 15 Nov. 1858 ; Instr. C. S. O., 3 Januarii 1871 ; Instr. C. S. O., 12 Dec. 1888 (2) ; Constitutio *Arcanum* Leonis XIII, apud *Theol. Mechl.*, o. c., p. 214 (3).

Etiam b/ *ex jure ecclesiastico,* propter legem Ecclesiæ tales nuptias sub gravi prohibentem ex præsumptione periculi universalis de quo sub a/.

De hac prohibitione abundè constat ex variis documentis modò citatis, necnon ex declaratione Bened. XIV 4 Nov. 1841, et Litt. encycl. S. C. de P. F. 11 Martii 1888 (4). Cf. etiam Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. IX, c. III, n. 1, et fontes allatos a Feye, *De matrim. mixtis,* p. 171-176, et *De Imped. matr.*, n. 567, cum nota.

Notandum autem mixta connubia *ex jure naturali et divino* illicita dici *regulariter* dumtaxat, eamque prohi-

---

substantiæ matrimonii, signanter sub conditione dissolvendi matrimonium in casu adulterii.

(1) *Collat. Brug.*, t. V, p. 227 ss.

(2) Referuntur textus apud *Collectanea* S. C. de P. F., respective nn. 1426, 1428, 1430, 1434 et 1444.

(3) Circa malas sequelas quas ex matrimoniis mixtis, per ultima decennia, passa sit Germania, cf. *Rev. eccl. de Metz,* 1903, p. 633-643 ; *Etudes Religieuses,* 20 Oct. 1904, p. 191-200.

(4) *Collectanea,* nn. 1420 et 1433.

bitionem cessare quando, per varias cautelas observandas, scandalum removetur, et remota redduntur pericula suprà invocata, simul urgente gravi ratione matrimonii contrahendi; manent vero *absolute* illicita vi *juris ecclesiastici*, etiam cessante prohibitione naturali divina, cum fundetur lex ecclesiastica in præsumptione periculi universalis.

2°/ *Licita fiunt per dispensationem Ecclesiæ, eamque solam.*

Nimirum a/ Ad dispensationem præsupponitur quod per clausularum observationem cessaverit, juxta modò dicta, prohibitio divina naturalis, ac solum supersit interdictum juris ecclesiastici: hoc posito nihil jam obstat quominus Ecclesia, illæso jure divino naturali, propriæ suæ legi deroget. Dispensando autem Ecclesia, simul ac propriam legem relaxat, implicitè declarat non urgere jus divinum naturale (1).

b/ Absque dispensatione non legitimantur descriptæ nuptiæ neque per *consuetudinem* quamcumque (2), neque per Ecclesiæ *tolerantiam* hinc inde obtinentem (3).

Quam duplicem propositionem, sub a/ et b/ enunciatam, paucis comprehendit Instr. C. S. O. 12 Dec. 1888, l. c., n. 7: « Positis igitur canonicis causis, ac præhabitis memoratis cautionibus, quibus arcentur quæ legi naturali aut divinæ adversantur, ab ecclesiastica com-

---

(1) Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. IX, cap. III, n. 5.

(2) *Ibidem*, n. 20: « Neque est ut, hac in re, contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit pontificia dispensatio ». Item Instr. C. S. O, 3 Jan. 1871 (*Collect.*, n. 1434, sub 2): « Etsi jamdiu opinio inoleverit licite posse mixtas iniri nuptias absque S. Sedis dispensatione, hæc tamen opinio, qualibet non obstante consuetudine, tolerari nequit ». Cf. Feye, *De matr. mixtis*, p. 177 ss.; *N. R. th.*, XV, 502 ss.

(3) *De Syn. diœc.*, l. c.; Litt. Apost. Gregorii XVI, anni 1841 (*Collect.*, n. 1428: « Quodsi alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur, id profectò ad eam referendum est æquanimitatem, quæ nulla ratione approbationis vel consensus cujuspiam loco habenda sit, sed meræ patientiæ, quam ad majora vitanda mala affert necessitas, non voluntas ». Cf. etiam Instr. S. C. de P. F. anni 1858, *Collect.*, n. 1429.

petente auctoritate dispensatio in lege mixta connubia prohibente impetranda est, ut absque piaculo celebrari possint; ea deficiente nunquam gravi culpa vacant ».

IV

Q. *An et quibusnam sub cautelis ab Ecclesia dispensatur super impedimento mixtæ religionis?*

R. I/ Ab Ecclesia *posse,* positis ponendis, *dispensari* constat ex dictis sub responso ad III^m Qu., necnon ex ipsa constanti praxi S. Sedis (1).

II/ **Cautelæ.**

Prævie injungi oportet observandas **cautelas** nonnullas, præprimis « 1/ ut exclusum sit a parte fideli quodlibet perversionis periculum; 2/ universa proles utriusque sexus in sancta religione educetur; et 3/ suscipiatur a parte catholica onus curandi ut alteram acatholicam partem ad veram fidem unitatemque catholicam perducat » (2); quibus tribus conditionibus regulariter addenda 4^a, ne scilicet ante vel post matrimonium minister acatholicus qua talis (3) adeatur (4).

Tres priores conditiones requiruntur vi juris divini naturalis, adeoque sunt semper imponendæ nec unquam remittendæ (5), neque circa eas observandi necessitatem bona fides est permittenda (6): oportet nempe,

---

(1) Severiorem praxim olim usurpatam exponit PLANCHARD, *N. R. th.*, XV, p. 521 ss.

(2) Instr. C. S. O. 3 Jan. 1871, *Collect.*, n. 1434.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, VIII, p, 572.

(4) Hæc clausula diserte inseritur in formula quam Pius IX, juxta Instr. Secr. Status 1858, mandavit ab omnibus Congregationibus adhibendam. Tenorem refert *N. R. th.*, XV, 529.

(5) « Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur ». Instr. Secr. Status 15 Nov. 1858, *Collect.* n. 1430; collatis documentis relatis nn. 1434 et 1444.

(6) Nimirum debet pars catholica de dictis conditionibus servandis moneri, « neque ab hujusmodi faciendis admonitionibus et instructionibus propterea se excusare posset parochus, quia pars catholica in bona fide versatur, et quia cavendum est ne peccatum materiale fiat

antequam Ecclesia super matrimonio mixto dispensare queat, ut, per harum clausularum executionem, recesserit prohibitio divina naturalis. Circa *quartam* autem conditionem possunt nupturientes interdum, positis ponendis, in bona fide relinqui, juxta Instr. C. S. O. 17 Febr. 1864 et 12 Dec. 1888, apud *Collectan.*, n. 1431 et 1444, sub 8/ et 9/ (1); collatis *N. R. th.*, XV, p. 122 ss. et 593-598, necnon *Collat. Brug.*, VIII, p. 571 s. (2).

---

formale ». Instr. C. S. O., 3 Jan. 1871, n. 1434, sub 4/. Sunt etiam hæ conditiones exigendæ *in articulo mortis*, uti urget C. S. O., 18 Martii 1891 (*Collect.*, n. 2188). Cf. ulterius Instr. C. S. O. ad Episc. Hungariæ, 21 Julii 1880 (*N. R. th.*, XIV, p. 5 ss.); necnon Litt. Cardin. Rampolla ad Hungariæ Primatem, 7 Julii et 26 Sept. 1890 (*N. R. th.*, XXIII, 387 ss.), in quibus S. Sedes urget conditiones, signanter de educanda christianè universa prole, contra iniquas leges servandas civiles. Cf. tandem fata heroicæ luctæ sustentatæ, ob hanc causam, a variis Episcopis Germaniæ, ineunte sæculo 19°, apud *Etudes Religieuses*, l. c., p. 201 ss.

(1) « Sciant insuper animarum pastores, si interrogentur a contrahentibus, vel si certò noverint eos adituros fore ministrum hæreticum sacris additum ad nuptialem consensum præstandum, silere se non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant. Verumtamen, ad gravia præcavenda mala, si in aliquo peculiari casu sacerdos seu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat adire necne ministrum hæreticum vel schismaticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de eodem adeundo, prævideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem præstandum vel renovandum consensum, atque insuper ex adjunctis in casu concurrentibus prævideat monitionem certò haud esse profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum: tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodò aliæ ab Ecclesia requisitæ conditiones atque cautiones rite positæ sint, præsertim de libero religionis exercitio parti catholicæ concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda ».

(2) *Olim* in Indultis inserta legebatur clausula: « exceptis Italis de quibus non constet Italicum domicilium omninò deseruisse ». Quæ clausula per decr. C. S. O. 4 Maii 1887 est sublata. Cf. *N. R. th.*, XX, 37 et XV, 575; quo altero loco additur: « L'intention du Saint-Siége était de préserver l'Italie de l'hérésie et du séjour des hérétiques. C'est dans le même but que le S. Office a adopté une mesure indiquée par De Angelis: Si personæ etiam exteræ maneant in Italia, semper præcipitur ut matrimonium contrahatur extra Italiæ fines ».

Circa conditionem « ejurata hæresi », quæ quondam exigebatur, cf. *N. R. th.*, XV, 521 ss.; Wernz, o. c., n. 576.

Porro non sufficit ut dictæ clausulæ, et signanter priores tres, injungantur, sed non potest ad dispensationem et ad matrimonii celebrationem procedi antequam de earum observatione *rite constat.*

Quapropter *cautiones* (1) sunt a nupturientibus exigendæ, seu promissiones seriò ac fidenter factæ de integro conditionum adimplemento, adeo ut « superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate pro præsenti sive de earumdem adimplemento pro futuro » (2); nec ulla ratione fieri potest « ut spes illa quæ unice in bona voluntatis contrahentium dispositione fundatur, verarum cautionum locum tenere valeat » (3).

Quod spectat *formam* juxta quam cautiones præstentur, nulla forma determinata neque jure naturæ neque jure communi ecclesiastico præscribitur, sed sufficit illa quæ certitudinem moralem, de qua suprà, parere valeat. Et ita non est opus, generatim loquendo, saltem nostro tempore (4), ut promissiones juramento firmentur (5), nec etiam ut in scripto præstentur, signanter a parte catholica (6): præstat tamen eas scripto fieri ut facilius de illis in foro externo constare queat (7), ac efficacius scandalum removeatur.

Juxta decretum autem C. S. O. 10 Dec. 1902, *per se et generatim* non sufficit « assertio partis catholicæ sub juramento data, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem præstasse » (8).

---

(1) Ne confundas cautiones cum conditionibus seu cautelis: de harum observatione constat per illas.

(2) Instr. C. S. O. 21 Julii 1880, *N. R. th.*, XIX, p. 7.

(3) *Ibidem.*

(4) Quid voluerit antiqua praxis, cf. *N. R. th.*, XIV, 511 et XV, 576.

(5) *Collat. Brug*, t. VI, p. 421; Decr. C. S. O. 1875, apud Gasparri, *Tract. canon. de matrimonio*, n. 453.

(6) Cf. Litt. Apost. S. C. de P. F. 17 Aprilis 1897, apud Gasparri, o. c., n. 453; collato Wernz, o. c., n. 587, not. (32).

(7) *Collectan.*, n. 1440; *N. R. th.*, XIX, p. 7.

(8) *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 568 s., ubi ipsa S. Congr. explicat verba: *per se et generatim.*

Quodsi, in rescripto dispensationis, vel *in jure particulari,* forma aliqua præcipiatur, est utique adhibenda. Et ita, *in diœcesi Brugensi*, antequam petatur dispensatio, uterque nupturiens propria manu subsignare debent scriptam promissionem (absque juramento) (1) qua se obligant ad observandas fideliter conditiones utramque partem respective spectantes. Utraque autem declaratio fieri debet in duplici exemplari : unum transmitti debet ad Episcopum, alterum a partibus retineri debet in perennem memoriam assumptarum obligationum. Parochus testari debet spem dari fundatam fore ut stent promissis (2).

Tandem, uti monet Instr. S. C. de P. F., 25 Junii 1884 (n. 1442), « post celebratas mixtas nuptias, parochi gravi conscientiæ onere se gravari sciant invigilandi ut promissæ a conjugibus conditiones observentur, et effectum sortiantur ».

Nota. 1°/ Præter enumeratas cautelas nupturientibus injungendas, ad dispensandum requiritur *causa,* et quidem ex duplici capite : tum a/ ratione derogationis factæ ipsi legi ecclesiasticæ, ad quam derogationem, juxta generalia principia, proportionata causa intercedat oportet (3); tum b/ ad hoc ut cesset prohibitio juris divini naturalis. Hoc alterum innuit Instr. C. S. O. 12 Dec. 1888, in textu suprà citato (4).

---

(1) In Concilio Americæ Latinæ Romæ celebrato 1899, requiritur scripta promissio *sub juramento*. Cf. *Acta et Decreta,* n. 591.

(2) *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 571, in nota, refertur tenor formulæ subsignandæ ab utraque respective parte : pars *catholica* spondet se curaturam educationem christianam prolis, conversioni compartis adlaboraturam, seque non adituram ministrum acatholicum ; pars autem *acatholica* promittit, præter christianam educationem prolis, libertatem relinquere religiosam conjugi, nec adire hæreticum ministrum.

(3) Van den Berghe, *Tractatus de Legibus*, n. 150.

(4) Cf. etiam Litt. encycl. S. C. de P. F. 11 Martii 1868 (n. 1433): « Ad matrimonium mixtum permittendum minimè sufficit ut sponsi cautiones admittere parati sint, necnon cæteras clausulas in rescriptis Ap. Sedis adhiberi solitas, sed omninò justæ gravesque requiruntur causæ, ut facultas dispensandi super mixtæ communionis impedimento

Quænam causa postuletur accuratè determinari nequit. Sane requiritur causa verè gravis, et præstat inducere causam ad *bonum publicum* spectantem, quales proponuntur a Bangen (1): « a/ si princeps acatholicus adhibitis cautionibus ducere velit catholicam, indeque magna catholicæ religionis commoda forent speranda; b/ si probabilis adsit spes ut familia acatholica, ad veram fidem inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur; c/ si matrimonium mixtum unicum sit remedium ut liberi, jam ex alio matrimonio mixto procreati, in religione catholica educentur; d/ si magna scandala ex diffamatione, gravidatione, (matrimonio coram ministello contrahendo) vel alio modo oritura evitari nequeunt nisi per matrimonium mixtum ».

Non excluduntur tamen nostro tempore (2) causæ ordinis privati, et si seorsim sumptæ non sufficiant, earum tamen ratio habetur si plures concurrant vel eis aliunde pondus accrescat.

2°/ De *cautela* observanda in *celebratione* matrimonii mixti, quæque adeo spectat parochum potius quam nupturientes, speciatim agitur sub responso sequenti.

V

Q. *An, quandonam et quomodo matrimonio mixto assistere potest parochus?*

RESPONDETUR sub distinctione:

I/ **Si matrimonium mixtum licite contrahitur,** positis scilicet ponendis ac prævia dispensatione: potest

---

licitè executioni mandetur. Cautiones enim illæ ideo naturali divinoque jure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quæ mixtis intersunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis, etiam sub opportunis cautionibus, fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum cæteroquin haud evitandum immineat necesse est ».

(1) *Instr. pract. de sponsal. et matrim.*, IV, p. 20 s.

(2) Cf. WERNZ, o. c., n. 586; *Collectan.*, n. 1426.

parochus assistere matrimonii celebrationi, ast *regulariter* merè *passive* dumtaxat, et *extra ecclesiam*.

Explicatio :

1°/ Hæc clausula de passiva assistentia parochi, in quacumque facultate dispensandi super matrimoniis mixtis, subintelligitur, etiam ubi disertè non memoratur. Cf. Instr. Secr. status, 1858, n. 1430.

2°/ *Passive assistere* importat assistentiam materialem, « excluso quovis ecclesiastico ritu (1), perinde ac si (parochus) partes unice ageret meri testis, ut aiunt, qualificati, seu auctorizabilis, ita scilicet ut, utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum validè gestum in matrimoniorum librum referre queat » (2).

3°/ *Extra ecclesiam:* potest tamen consensus recipi in sacristia, ac imo, pro parochiis, ubi sacristia apta et conveniens non adest, in alio loco ecclesiæ adjuncto, ut capella remota, sine cereis accensis, nec quocumque ornatu speciali » (3). Porro melius est, juxta FEYE, *De Imped. matr.*, n. 571, ut assistat potius in loco omninò profano sed decenti, modò contrarium non ferant statuta vel usus diœceseos (4).

4°/ *Ratio* cur adeo severè statuerit Ecclesia est, quemadmodum docet Instr. anni 1858 (n. 1430) « ut in

---

(1) Ergo non excluditur tantùm benedictio solemnis infra missam pro sponso et sponsa danda, sed etiam quæcumque cœremonia, in Rituali occurrens, usus vestis sacræ, imo etiam proclamationes antenuptiales, non autem, juxta FEYE, *De Imped. matr.*, n. 571, litteræ dimissoriales vel testimoniales. Cf. GASPARRI, o. c., nn. 457-463; *N. R. th.*, XV. 589-593; FEYE, *De matrim. mixtis*, p. 187-193.

(2) « Quæ assistentia mere passiva... non excludit ut parochus *per simplices interrogationes* consensum utriusque sponsi exquirat et monitionem addat de vinculo matrimonii ». WERNZ, o. c., n. 588, not. (43).

(3) Decr. C. S O. 17 Jan. 1877, apud *N. R. th.*, p. 462 ss.; THEOL. MECHL., o. c., n. 63, qu 6.

(4) Nedum jus particulare Brugense hujusmodi praxi contrarietur, ei potius favet et suadet ut in aula pastorali consensus nuptialis præstetur: ita vitatur inconveniens quod in sacristia contracturi sollicitent solemniter ingredi ecclesiam et per eam transire ad sacristiam.

catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere et deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum et futuræ prolis perniciem contrahendis ».

Circa assistentiam olim præstandam cf. PLANCHARD, *N. R. th.*, XV, p. 582 s.

5°/ Dicitur: *regulariter:* quia assistentia *activa* nonnunquam toleratur: « Quodsi in aliquibus locis sacrorum antistites cognoverint easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantùm Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus judicent quando conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione minimè impleri possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in diœcesano Rituali legitimè præscriptum, exclusa semper Missæ celebratione, ac diligentissimè perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum varietate et gravitate » (1).

Insistit autem in hoc S. C. de P. Fide (2) quod activa hujusmodi assistentia non sit nisi per modum exceptionis concedenda, ratione gravium adjunctorum (3).

Cæterùm non permittitur rituum sacrorum usus nisi in quantum necessitas ad illos adhibendos urget, et, si

---

(1) Instr. Secr. status 1858, l. c.; quam tolerantiam jam admisit S. C. de P. F., eodem anno, n. 1429.

(2) 11 Martii 1868, n. 1433; Epistola ejusdem S. C. de P. F. 4 Dec. 1862, apud GASPARRI, o. c., n. 465.

(3) In laudata epistola 1862 nonnulla indicantur graviora incommoda. Cf. etiam *N. R. th.*, XV, 586.

vitantur graviora mala, uno alterove ritu concesso (1), non est ulterius procedendum: semper autem excluditur celebratio missæ (2).

II/ **Si illicite initur,** spreta scilicet dispensatione, vel ea denegata, sive quia nolunt nupturientes conditiones in se suscipere, sive quia sufficiens certitudo de earum observantia desideratur: *regulariter* nequit parochus *ne passive quidem* assistere, et *nunquam* toleratur assistentia *activa,* signanter cum benedictione.

Explicatio.

1°/ Prohibitio generalis, excludens quamcumque parochi assistentiam, ac qualemcumque, etiam per litterarum testimonialium traditionem, cooperationem, non semel fuit inculcata in variis documentis citatis apud FEYE, *De matrim. mixtis,* p. 193 ss.; WERNZ, o. c., n. 589; GASPARRI, o. c., n. 446 (3): supponitur etiam non obscure in textibus sub 2° et 3° adducendis.

2°/ Dicitur: *regulariter*, quia exceptionaliter, de venia S. Sedis, pro nonnullis regionibus, signanter Austria

---

(1) Cf. Instr. C. S. O. 9 Dec. 1874, ubi, in casu particulari, suadetur parocho usus solius superpellicei, omissis reliquis ritibus: ita etiam potest Episcopus, si id satis esse judicat, concedere ut solæ proclamationes fiant, quas etiam de se ad ritum sacrum pertinere suprà vidimus.

(2) Ad tramites decr. C. S. O. 17 Jan. 1877, (*N. R. th.*, XX, 462 ss.; GASPARRI, o. c., n. 463), vigore clausulæ *exclusa tamen semper Missæ celebratione,* prohibetur non tantùm Missa *pro sponsis*, cum orationibus et benedictionibus uti in Missali Romano; sed quælibet missa, etiam privata, quæ celebretur coram sponsis et comitibus post matrimonium, licet sponsis non detur distincta sedes, ita scilicet ut ea Missa habeatur tanquam complementum cæremoniæ matrimonii.

Novimus tamen factum recens in quo descriptæ praxi fuit derogatum, quatenus concessum fuit ut, post consensum in sacristia susceptum, coram sponsis et comitibus missa celebraretur in refrigerium animæ pro defunctis consanguineis partis catholicæ. Quod quomodo, ignorante ac renitente Ordinario, obtentum fuerit scit ille qui obtinuit.

(3) Ita loquitur Gregorius XVI in *Brevi* 27 Maii 1832 ad Episcopos Bavariæ: « Si nonnunquam contigerit... ut catholicus aliquis vir mulierque recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata Ecclesiæ dispensatione, vel debitis cautionibus seu earum aliqua prætermissa, tunc sanè sacri pastoris officium erit *abstinere... a matrimonio ipso sua præsentia cohonestando* ».

et Hungaria, concessum est « ut quotiescumque matrimonium acatholicus vir cum catholica muliere vel vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia præscriptis, absque majoris mali scandalique periculo in Religionis perniciem interverti omninò non possit, simulque in Ecclesiæ utilitatem et commune bonum vergere dignoscatur, si hujusmodi nuptiæ quantumlibet vetitæ et illicitæ, coram catholico parocho potius quam coram ministro hæretico, ad quem partes facile confugerent, (1) celebrentur, tum parochus catholicus aliusve sacerdos ejus vice fungens, poterit iisdem nuptiis, materiali tantum præsentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse » (2).

Hæc tolerantia profectò non reddit matrimonium mixtum licitum, nec etiam potest, absque recursu ad S. Sedem, ad alias regiones, in quarum gratiam indultum non est datum, extendi: posset tamen Episcopus, ex potestate quasi-ordinaria, idem permittere in casu urgenti, præsertim si cautum sit catholicæ educationi prolium, vel saltem non extiterit pactum in contrarium (3).

3°/ Uti ex citatis textibus liquet, restringitur concessio ad præsentiam parochi mere *passivam*, et excluditur omnis assistentia activa, ac proinde omnis benedictio sponsorum et quivis ecclesiasticus ritus, adeo ut sacerdos in nigris excipiat, tanquam merus testis, consensum conjugalem, modo suprà descripto.

Quod ulterius confirmat laudata Instr. S. C. de P. F., monens quod RR. PP. « benedictionem sacerdotalem

---

(1) Grave incommodum, præter ministri acatholici præsentiam adeundam, est in hoc quod, absque parochi assistentia, matrimonium irritetur ex capite clandestinitatis.

(2) Instr. S. C. de P. F., anni 1858, n. 1429; collatis Litteris Gregorii XVI, 1841, n. 1428, et Litt. Apost. Pii VIII 25 Martii 1830, n. 1426.

(3) Hoc imnui videtur in memoratis litteris Gregorii XVI; cf. WERNZ, o. c., n. 589, cum nota (53); FEYE, *De Imp. matrim.*, n. 570; GASPARRI, o. c., n. 447; PUTZER, *Comment. in facult. Apostol.*, n. 219, in nota.

cæterosque Ecclesiæ ritus nunquam in ejusmodi nuptiis (illicitis) admiserunt, imo expressis verbis ab omni sacro ritu abstinendum esse semper et constanter declararunt » ; et sane sponte intelligitur, uti ibidem addit laudata Instructio, « matrimoniis quæ sine gravissimo peccato a catholicis contrahi nequeunt, minimè a catholico sacerdote bene precari posse » (1).

In hoc uno tantùm cessit S. Sedes, quatenus permiserit nonnunquam fieri *proclamationes* bannorum, quæ de se ad ritus sacros pertinent (2).

A. De Smet.

---

(1) « Neque dicatur Ecclesiam, sicut ad majora mala et scandala amovenda passivam assistentiam aliquando tolerare consuevit, ob eamdem rationem indulgere posse, ut quando sponsi hanc passivam assistentiam adversantur, eorum nuptiis quamvis illicitis sacerdotalis benedictio adhibeatur. Nam diversa et non eadem est passivæ assistentiæ et sacerdotalis benedictionis ratio. Parochus qui ex S. Sedis tolerantia, et tantùm ut Tridentinæ legi satisfiat, illicito matrimonio tanquam testis, materiali tantùm præsentia, adest, coram se fieri sinit quod ipse nequit impedire, quodque, si alio modo factum fuerit, tam in catholici conjugis quam in Ecclesiæ damnum cederet. Parochus nihil dicit, nihil agit, quo illicitam et perniciosam ejusdem conjugis actionem aut approbare aut cohonestare videatur ; imo hoc ipso quod actui natura sua sacro assistat, quin ullo modo eas exhibeat preces et cæremonias, quibus Ecclesia aliàs matrimonia et approbat et solemniora reddit, manifeste vel tacendo et nihil agendo declarat a catholico iniri connubium, quod Ecclesia tanquam illicitum et perniciosum reprobat atque damnat. E contra sacerdos iisdem illicitis nuptiis benedicens non tantum fieri sineret quod nequit impedire, sed ipse propria sua actione aliorum peccato cooperaretur, et insuper sacrum et publicum ministerium, quo fungitur, profanando, illicitas mixtas nuptias, tam suo quam Ecclesiæ nomine approbare, earumque libertatem saluti animarum et fidei causæ perniciosam sua ipsa opera fovere videretur ». *Ibidem.*

(2) Indulsit nimirum S. Sedes quarumdam regionum Episcopis, eos, attentis specialibus adjunctis, « pati ulterius posse ut a parocho catholico tum consuetæ proclamationes fiant, omni tamen prætermissa mentione circa religionem eorum qui nuptias sint contracturi, tum etiam de peractis hisce proclamationibus litteræ mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodò nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur nihil aliud, præter Ecclesiæ vetitum ob mixtæ religionis impedimentum, conciliando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, unde consensus aut adprobationis vel levis suspicio sit oritura ». Instr. Card. Lambruschini 30 Aprilis 1841, *Collectan.*, in nota ad n. 1428. Idem indultum refert Instr. S. C. de P. F. 1858, n. 1429.

VI

Q. Interpretare articulum XLI Constitutionis « Officiorum ac munerum ».

R. Multum prodest in antecessu paucis adumbrare anteactam hac de re legislationem (1). Statuto Concilii Lateranensis V, Sess. X, nullus *librum aliquem* seu *aliquam scripturam* imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius scripturæ hujusmodi *imprimendæ,* extra Urbem, episcopi et inquisitoris examini et approbationi submitterentur; qui autem secus facere præsumpserit, pœna excommunicationis innodatus existat, ejusque contumacia aliis remediis de jure frangatur. Quam ordinationem iisdem fere verbis exscripsit Regula X veteris Indicis, eamque præterea extendit ad omnes *libellos manu scriptos* deinceps *evulgandos*. Sed cum magis in dies crevisset in toto scientiarum campo librorum copia, cumque Ecclesiæ, connivente potestate civili, minueretur auctoritas, huic severæ præscriptioni, more usuque alicubi invalescente, derogatum fuit. Hac consuetudine perspecta, Auctores censebant illos tantum libros præviæ censuræ submittendos esse qui de fide aut de moribus tractarent (2). Recentiori memoria Pius nonus, datis ad Archiepiscopos, episcoposque principatus pontificii litteris 2 Junii 1848, Regulam X magna ex parte mitigavit (3). Statuit nimirum « ut Censores Eccle-
» siastici in locis temporali Nostræ Ditioni subditis de iis
» tantum solliciti sint, quæ divinas Scripturas, Sacram
» Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum,
» Theologiam naturalem, Ethicen, aliasque hujusmodi reli-
» giosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generatim de
» omnibus, in quibus Religionis, vel morum honestatis
» speciatim intersit. Juxta hæc itaque statuimus atque per-

(1) SCHNEIDER, *Die neuen Büchergesetze der Kirche*, p. 143 ss., p. 126, nota 1[8]. Mainz 1900; GENNARI, *Della nuova disciplina sulla proibizione de' libri,* 3 ed., p. 110. Roma, 1903.

(2) SCHNEIDER, *o. c.*, p. 143.

(3) Hanc disciplinam plura Concilia provincialia receperunt Cf. DILGSKRON, *De revisione et approbatione librorum typis describendorum* ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1897, t. V, p. 134 ss., 221 ss.; WERNZ, *Jus Decretalium.* T. III. *Jus administrationis,* n° 41, nota 109.

» mittimus, ut in omni Ephemeridum atque Librorum » genere illi dumtaxat sine *prævia Ecclesiastica Censura* edi » nequeant, qui moralis aut religiosi, ut diximus, argumenti » sint; in cæteris (1) vero ii tantum articuli, qui simile » argumentum habeant, vel causam ipsam Religionis aut » morum honestatis proxime attingant (2) ».

Juvat jam adducere textum art. 41 leoninæ constitutionis, qui ad verbum *fere* sed *non integre* ex præfato decreto Pii IX desumptus est: « Omnes fideles tenentur præviæ censuræ » ecclesiasticæ eos saltem subjicere *libros* qui divinas Scrip- » turas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus » Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hu- » jusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac » generaliter *scripta omnia*, in quibus religionis et morum » honestatis specialiter intersit. »

Ex hac juris utriusque connexione clare, apparet inter utrumque disparitas:

a/ Pius IX nullum instituit discrimen inter libros, libellos, folia etc. sed complectitur omnis generis libros ac ephemerides, imo harum singulos articulos qui religiosi aut moralis argumenti sunt aut hanc materiam proxime attingunt; Leo XIII distinguit inter libros et scripta.

b/ Ultima pericopa citati decreti, qua præcise determinatur sensus ac ambitus statuti, penitus in novo jure omittitur.

Unde, attentis his differentiis, attentis rectæ interpretationis principiis (3), attenta praxi et cum demum simus in odiosis, hæc tradi potest hujus dispositionis interpretatio.

1° *Omnes fideles*. Hac lege ligantur omnes illi, sive auctores, sive impressores aut editores, qui intendunt edere librum aut huic editioni adlaborant, satagendo v. gr. ut liber in vulgus spargatur; nam prævia censura

---

(1) In aliis sc. ephemeridibus aut libris qui moralis aut religiosi argumenti non sunt. De Brabandere-Van Coillie. *Jur. can. et can.-civ. compend.* ed. 7, n° 1345, t. II, p. 698.

(2) Articuli qui aliam tractant materiam puta juridicam, philosophicam sed sub respectu morali et religioso, aut attenta connexione hujus materiæ cum fide vel moribus.

(3) *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 516.

non tam requiritur ut typis mandetur liber, quam ut in vulgus spargantur exemplaria (1).

2° *tenentur subjicere prævia censuræ ecclesiasticæ* juxta statuta in c. 1 tit. II Constitutionis « de Prælatis librorum censuræ præpositis. »

3° *eos saltem libros:*

a/ sub nomine libri veniunt libri stricte dicti sc. volumina certæ molis (2) et certæ unitatis (3). Hac voce *per se* comprehenduntur etiam fasciculi libellorum periodicorum qui ratione quantitatis et unitatis libris æquiparari possunt (4). Non vero attinguntur libelli,

---

(1) VERMEERSCH, *De prohibitione et censura librorum*, ed. 4, p. 130. Romæ, 1906; LEGA, *De judiciis ecclesiasticis*, lib. II, vol. III, p. 478, n° 410. Romæ, 1900.

(2) Auctores veteres pro libro requirunt 10 folia; sed notari debet quod ratio habenda sit de magnitudine externæ formæ scripti, cum loquebantur veteres de foliis integris. Decem folia æquiparantur 160 paginis operis in-8, 320 paginis operis in-16. Illa regula evidenter est moraliter intelligenda et usu verificanda. VERMEERSCH, *o. c.*, p. 28.

(3) Est elementum præcipuum definitionis. Hæc unitas habenda est vel ex unitate materiæ seu argumenti, vel ex unitate tendentiæ seu scopi; ita si tractaretur de theologia dogmatica, de jure canonico aut si opus de diversis agens materiis saperet materialismum, propugnaret hæresim.

(4) Quæstio hæc est intricatissima, quæ hucusque insoluta remansit. Ad librum habendum requiritur primum certa moles; at dum fasciculi periodicorum quæ quater in anno prodeunt generatim hanc quantitatem attingunt, hanc habitualiter non attingunt fasciculi singuli periodicorum qui semel in mense in lucem eduntur. Deinde requiritur certa unitas in mole. Hæc in foliis periodicis verificari potest ratione materiæ (une revue spéciale de philosophie, de théologie speculative) aut ratione communis tendentiæ (une revue générale écrite dans un esprit rationaliste); et præterea notandum est quod huic unitati obstent, præter articulorum diversitatem, aliæ materiæ quæ his in scriptis hodie frequentissime reperiuntur (documents, comptes rendus, chronique, bibliographie). Nec rem conficit responsum S. O. 17 Jan. 1892 sub jure anteriori latum, in quo libris assimilantur publicationes periodicæ in fasciculos religatæ propugnantes hæresim. Sed, an ibi agatur de periodicis qui paraissent en fascicules, alias *les revues;* an vero de serie annua fasciculorum in uno volumine ligata aut liganda. Evidenter prævia censura non intelligitur pro compacto volumine fasciculorum. Unde pro solutione expectandum est documentum Romanum et in praxi non sunt inquietandi illi periodicorum editores qui, nullo modo aut non observatis formalitatibus de jure, reportant hanc præviam censuram. Usus est optimus legum inter-

folia, ephemerides, verbò omnia scripta quæ nomen libri stricte dicti non merentur.

b/ Nont antum opera typis impressa sed etiam lithographice aut alio modo exarata censuræ sunt obnoxia, saltem si publici juris fiant. Opera manuscripta hac præscriptione non feriuntur (1).

4° *qui divinas Scripturas* (introductiones, elucubrationes de inspiratione, canone et authenticitate, editiones textus, versiones, commentaria), *Sacram Theologiam* (apologeticam, dogmaticam, moralem, pastoralem, liturgicam (2) etc.), *Historiam ecclesiasticam* (generalem aut specialem, universalem aut particularem), *Jus canonicum* (publicum aut privatum), *Theologiam naturalem* (theodicæam), *Ethicen* (jus naturale), *aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt.* Inter has recenseri possunt: tractatus de musica sacra, opera patrologiæ, libri in quibus agatur de re sociali sed sub respectu morali aut religioso, narrationes romannenses dummodo religiosas aut morales disciplinas respiciunt etc.

5° *et generaliter scripta omnia in quibus religionis aut morum honestatis specialiter intersit.* Sub nomine scripti veniunt cujusvis formæ aut molis opera: libelli, ephemerides, folia aut publicationes periodicæ, imo unicum folium aut singuli articuli alicujus diarii. Dum ergo libri indigent censura prævia statim ac versant disciplinam moralem aut religiosam, scripta tunc tantum, si sive ex

---

pres. V. gr. non signantur prævia censura: la revue d'histoire ecclésiastique, la revue d'apologétique, la revue bénédictine, la revue du clergé français, American Ecclesiastical review, de katholiek, Archiv für katholischen Kirchenrecht, Stimmen aus Maria-Laach etc.

(1) Wernz, *l. c.*, n° 41; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1346.

(2) Inde, ni fallar, argumentum solidius erui potest ad probandam necessitatem reportandi prævium censuram pro libris liturgicis, quam ex secunda articuli pericopa. Illi libri evidenter respiciunt theologiam liturgicam sicuti editiones textus Librorum Sacrorum respiciunt Sacras Scripturas; imo rubricæ librorum liturgicorum directe pertinent ad disciplinam liturgicam. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 197 s.

se, sive ex temporum circumstantiis, res quæ tractatur consuetò majoris sit momenti, errandive periculum gravius ac perniciosius (1). Parum refert num directe inibi agatur de argumento religioso vel morali, aut de alio quod proxime religionem aut morum honestatem attingat. R. P. Vermeersch (2) ad rem affert quædam exempla: « Sic dum Concilium Vaticanum cogebatur, specialiter religionis intererat scriptum de proclamanda infallibilitate vicarii Jesu Christi...; sic in Italia scriptum agens de vindicando dominio temporali S. Sedis, de opportunitate pro catholicis ferendi suffragium in electionibus politicis; ita etiam fervente aliqua controversia de facultate jurisjurandi præstandi cuipiam legi, scriptum de illa re facile hac clausula attingeretur; » item dicendum foret de scriptis circa hodiernas controversias biblicas, circa catholicismum liberalem ac laïcalem etc.

Eodem modo, diarium aliquod vel folium periodicum hanc præviam censuram reportare teneretur, si propter non ordinariam sed specialem gravitatem in tractatione argumenti aut propter ardentem inter catholicos controversiam inter scripta veniret, in quibus specialiter religionis aut morum honestatis intersit (3).

Sapientissime totum negotium illud moderandum reliquit nova constitutio Episcopis. Unde in concreto Ordinarii erit judicare de gravitate argumenti et consequenter de necessitate censuræ præviæ; sicuti ipsius est invigilare in diaria et folia periodica, ea ubi opus est prohibere et curare ut de hujusmodi lectionis peri-

---

(1) LEHMKUHL, *Theologia moralis,* ed. 9, t. II, p. 819; VERMEERSCH, *o. c.*, p. 143, nº 118; LEGA, *o. c.*, p. 477; GENNARI, *o. c.*, p. 109; WERNZ, *l. c.*, nº 41, nota 109, p. 140.

(2) *o. c.*, p. 143.

(3) An stricte loquendo pastorales illæ ephemerides quæ ad ædificationem et instructionem populi et cleri ordinantur (gallice *semaines religieuses*) huic legi obnoxiæ sint dubitari potest. Jure merito tamen Episcopus invigilabit in ipsas. Cf. tamen WERNZ, *l. c.*, VERMEERSCH, *l. c.*, p. 144.

culo fideles moneantur. Cæteroquin Episcopi, attento art. 42 quo prohibetur quominus clerici sæculares absque prævia Ordinarii licentia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant, apte auctoritatem suam interponere possunt ut intacta remaneat doctrina et disciplina ecclesiastica. Demum posset Episcopus jubere attentis circumstantiis ut modo prævio et generali approbetur quodvis folium catholicum (1), imo ut speciali censura examinentur illi articuli qui de re peculiaris momenti agerent (2).

Notanda. Legislator non tradidit tantum hanc generalem normam qua in universum dignoscuntur opera ecclesiasticæ censuræ obnoxia sed plura in specie designavit scriptorum genera, quæ sine prævia censura edi nequeunt: art. 7 coll. 30 et 48; 13, 15, 17, 19, 20, 31, 32, 33, 44.

A. De Meester.

(1) Conc. Baltimor. II, c. 4, nº 506; cf. tamen Conc. Baltimor. III, tit. VII, nº 228.

(2) Cf. Schneider, *o. c.*, p. 146 ss., Hollweck, *Das Kirchliche Bücherverbot*, 2 ed., p. 45, Mainz 1897.

Miscellanea.

I

DOMICILE DES FABRICIENS.

Dans une lettre, adressée le 7 Septembre 1906 à M. le gouverneur de la province de Liége par M. le ministre de la justice, on lit ce qui suit (1) :

« 1° L'art. 3 du décret du 30 déc. 1809 exige que les fabriciens soient domiciliés dans la paroisse où ils exercent leurs fonctions. M. X, trésorier de la fabrique de l'église, n'étant pas domicilié dans cette localité, vous voudrez bien l'inviter à donner sa démission de membre du conseil de fabrique de l'église précitée et lui faire savoir que s'il s'abstenait d'obtempérer à cette invitation, je me verrais forcé de proposer au Roi d'annuler son élection. »

2° En ce qui concerne le domicile des fabriciens de paroisse des agglomérations *urbaines,* il est dit : « Tant qu'il n'est pas saisi d'une plainte ou d'une réclamation contre un fabricien, du fait qu'il a quitté la paroisse, siége du conseil de fabrique auquel il appartient, le Gouvernement n'a pas à intervenir pour faire respecter l'art. 3 précité. Mais il ne peut, en présence du texte formel de cette disposition, autoriser d'une manière générale qu'il y soit dérogé. »

Observations.

1° Cette lettre ministérielle confirme l'opinion, soutenue par la plupart des auteurs, qu'il n'y a point d'élections nulles de plein droit ; et qu'en cas d'élections irrégulières, on n'en peut faire de nouvelles avant qu'elles aient été annulées par arrêté royal ou que les mem-

(1) *Revue ecclésiastique de Liége,* 1907, t. II, p. 308.

bres irrégulièrement élus aient spontanément renoncé à leur mandat (1).

2° L'art. 3 du décret de 1809 exige formellement que les fabriciens soient domiciliés dans la paroisse. Par conséquent, si une commune renferme plusieurs paroisses, les conseils de fabrique devront respectivement être composés de membres domiciliés dans ces différentes circonscriptions religieuses. Cependant, dans beaucoup de villes ce principe est sacrifié à la coutume contraire. La lettre précitée, tout en repoussant une dérogation générale à cette prescription de l'art. 3, indique suffisamment que la jurisprudence administrative tolère en fait la pratique existante.

A. De Meester.

II

CIRCA FŒTUS ECTOPICOS.

In ephemeride *Nederlandsche Katholieke stemmen*, anni 1906, p. 300 ss., ab Ex. *Schaepman* denuo agitatur quæstio de non extrahendo fœtu ectopico (2): hanc controversiam attigimus apud *Collat. Brug.*, t. VII, p. 605 ss., et t. X, p. 72 ss., ad quæ loca provocat laudatus Auctor.

Hac occasione juvat nonnulla ibidem concinnius dicta paulo latius evolvere, eo vel magis quod, variis in scriptis nuper editis (3), in diversum sensum fuerit solutio proposita.

1°/ Sententiæ, apud *Collat. Brug.*, ll. cc. enunciatæ omninò inhærendum censemus scilicet graviter illicitam

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, n° 1002, t. II, p. 296; *Collat. Namurcen.* 1905-1906, t. X, p. 152 s.

(2) Quid veniat nomine fœtus ectopici, cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 606.

(3) Cf., præter citatum locum, *Pastor Bonus*, 1905, p. 422 ss.; p. 467 ss.; *N. R. th.*, 1905, p. 183 ss.; *R. th. fr.*, 1905, p. 381 ss.; Antonelli, *Medecina Pastoralis*, Pustet, 1905, I, p. 222 ss.

esse ejectionem *directe procuratam* fœtus *ectopici* (1), dummodò de præsentia fœtus humani ejusque viventis ritè constet.

Et sanè iteratis declarationibus Congr. S. Officii est inculcatum illicitam esse *directam* abortus procurationem *in casu gestationis uterinæ;* non apparet autem in quo fundetur distinctio inter directè provocatam expulsionem fœtus *uterini*, et directe provocatam expulsionem fœtus *extrauterini,* cum in utroque casu æque obtineat *occisio directa innocentis.* Id jam advertimus olim, notando utriusque praxeos illiceitatem eodem niti principio, et non intelligi quomodo reprobantes abortum directe procuratum in fœtu uterino, a pari reprobatione excipiant directam fœtus ectopici ejectionem.

Idem confirmat auctoritas Congregationis S. Officii, in decretis 4 Maii 1898 et 5 Martii 1902 (2): ad cujus alterius responsi valorem dijudicandum, attende illud quidem dari ad solvendum casum particularem, simul vero idem proponi in interpretationem decreti generalis anni 1898, uti ex ipso tenore manifeste liquet.

Dicitur: « *dummodò de præsentia fœtus humani ejusque viventis rite constet* »: nimirum ad descriptæ praxeos absolutam illiceitatem requiritur ut absit gravis ratio dubitandi circa naturam et vitam concepti fructus; secus enim, stante scil. hujusmodi dubio sive circa ejusdem naturam, utrum fœtus humanus sit vel potius tumor malignus aut mola, sive circa vitæ persistentiam, posset ad extractionem procedi, si, uti facilè continget, necessitas urgeat, putà ad salvandam matrem periclitantem: salus nempe matris ratio videtur sufficiens ut, in tali casu chirurgus sese exponat, periculo lædendi vel et interimendi fœtum forte existentem (3).

---

(1) Potiori adhuc jure illicita est fœtus electrocutio, de qua loquitur LEHMKUHL, apud *Pastor Bonus*, l. c., p. 469, quæque est vera embryotomia.

(2) *Collat. Brug.*, t. III, p. 491; VIII, p. 605.

(3) Ita *Ned. kath. stemmen*, l. c.. p. 312; ANTONELLI, o. c., p. 224;

2°/ *Ulterius* quæri potest quænam operatio censenda sit *ectopici abortus directa provocatio.*

Ni fallor, ab omnibus admittitur, directam dari fœtus expulsionem, quando extrahitur ante maturitatem, ectopicus fœtus ex involucris in quo reconditur; atvero non desunt Theologi, iique egregii, uti Antonelli et Lehmkuhl, ll. cc., qui contendant excisionem integri ovi fœcundati cum involucris fœtum circumvolventibus constituere abortum non directum, sed indirectum dumtaxat: ex quo meritò concludunt hanc operationem licite fieri posse attenta gravissima causa matrem salvandi.

Ita *Antonelli*, l. c.: « Si præsentia fœtus sit certa... et certo non est viabilis, puta secundo vel tertio mense suæ evolutionis,... omninò licitam censemus operationem... Difficultas aliqua hic oriri potest ex eo quod nonnulli putare queant mortem fœtus esse directam. At perperam; nam hac operatione, directe et per se, non officitur ovum, sed tantùm cystis seu tumor, in quo includitur ovum, ac proinde nonnisi negative ipsum patitur; dein periculum mortis matris nullo modo removetur morte fœtus, sed tantum, et quidem per se et immediatè, abscissione cystis, etsi, ex hac, postea, mors fœtus certo sequatur, alias item certo secutura. Aliis verbis, ex hac operatione item duplex effectus æque habetur, bonus scilicet unice intentus et quæsitus, malus vero tantum permissus; bonus vero non provenit ex malo, etsi uterque ex eadem causa, gravissimis rationibus posita, oriatur ». Pariter *Lehmkuhl*, provocans ad Antonelli, eumque citans.

Porro non possumus dictis horum Auctorum assentiri, et censemus descriptam excisionem integri ovi

---

Lehmkuhl, apud *Pastor Bonus*, l. c.; Noldin, *De Præceptis Dei et Ecclesiæ*, Œniponte, 1905, p. 345 s. Non audet idem concedere *N. R. th.*, l. c., p. 196, et satis habet ut probabilitas positive faveat prægnantiæ fœtali: « Dès qu'il parait probable que la tumeur est la manifestation d'une conception extrautérine, il faudrait s'abstenir et attendre les évènements ».

cum involucris *regulariter* esse habendam uti abortum directe provocatum, adeoque damnandum, non secus ac si ipse fœtus ex ovo extraheretur.

Nimirum abortus, seu fœtus non vitalis expulsio, est *directus*, quotiescumque fœtus expulsio intenditur uti finis, vel eligitur qua medium, sive explicite sive implicitè: implicitè scilicet quando ponitur actio ex qua sequitur fœtus ejectio tanquam unicus effectus inmediatus, ad exclusionem alterius effectus æque immediati. Erit *indirectus* quando non intenditur uti finis nec eligitur qua medium, neque explicite neque implicitè, seu quando sequitur ex posita actione *æque immediatè* ac alius effectus bonus, isque solus intenditur: quodsi bonus effectus, puta salus matris aliàs morituræ, compensat malum effectum, actio erit licita.

Porro criterium ad discernendum utrum ex quadam actione salus matris æque immediatè sequatur ac expulsio fœtus, in hoc est utrum salus matris *independens* sit necne ab ipsa prolis ejectione, seu, quod idem est, utrum morbus in matre curandus vel mortis discrimen ab ea avertendum dependeat vel non a præsentia fœtus in sinu materno (1).

Ita quotiescumque discrimen matris totum quantum provenit ab ipsa prægnantia, uti in casu vomitus incoercibilis, salus matris nequit obtineri nisi *mediante* fœtus expulsione, adeoque ex actione abortum provocante non sequetur æque immediate ac ipsa embryonis ejectio; item si mors immineat matri ex nimia arctitudine, ejectio fœtus erit medium ad illud periculum removendum, et abortus erit directus.

Contrà ubi mater communi quadam laborat infirmitate, nullatenus a prægnantia dependente, si non potest dictæ infirmitati efficaciter occurri, nisi potione quæ simul abortus periculum inducit, abortus, si contingit,

---

(1) Non est accurata notio quam tradit *Ned. Kath. stemmen*, l. c., p. 309. quasi « æque immediate » idem sit ac « *æque certò* ».

erit indirectus et licitus ; item si gestantis matris uterus tumore aliquo cancerali est infectus, posset, si necessitas cogat, chirurgicali operatione auferri pars infecta, licet abortus necessariò inde sequatur ; imo posset et integer uterus exsecari si matri periclitanti aliter succurri nequeat (1).

Quibus ritè attentis, ægre in dubium vocabis sententiam propositam : memoratam nempe excisionem *regulariter* esse reprobandam, qua directam abortus procurationem, cum regulariter matris ectopicè prægnantis periculum immediatè pendeat ab ipsa fœtus extrauterini præsentia, nec alia via quam ejusdem expulsione removeri queat.

Nec refert quod ipse fœtus non extrahitur immediatè, sed integrum ovum cum involucris exsecatur, siquidem hæc altera operatio *regulariter* non valet salutem matris procurare, nisi *mediante ipsa remotione ac expulsione fœtus*, ita ut, etiam in hac hypothesi, salus matris prorsus dependeat ab ejectione fœtus extrauterini (2).

Equidem « periculum mortis matris nullo modo removetur *morte* fœtus », uti audivimus Antonelli nobis opponentem, sed removetur ejusdem fœtus *expulsione occisiva;* quod sufficit, quemadmodum sufficit in procurando abortu fœtus uterini : et sane periculum matris oriens ex arctitudine vel vomitu incoercibili, non removetur *morte* fœtus sed ejusdem *expulsione*.

Dicitur : *regulariter*, quia nonnunquam continget quod vita matris ectopice prægnantis periclitetur, *independenter a præsentia fœtus*, ex infectione v. gr. involucrorum in quibus fœtus reconditur, vel ex infectione organi cui

---

(1) In eadem ephemeride, l. c., p. 311-312 illicitum declaratur « abortum permittere per excisionem sive amputationem uteri infecti gravidi, sive uteri in quo est carcinoma vel myoma ».

(2) Sic v. gr. in prægnantia *tubali,* concepto scilicet embryone in canali Fallopiano, periculum matris oritur ab imminenti ruptura membranæ tubalis ex præsentia fœtus nimis distentæ.

ovum fœcundatum adhæret (1): quo casu posset, si secus matri succurri nequeat, infectum organum resecari, etiamsi simul ipsum ovum fœcundatum sit auferendum: talis nempe operatio salutem matris procurat æque immediatè ac expulsionem fœtus, et indirectus censetur abortus, eodem titulo quo per incisionem vel excisionem gravidi uteri infecti, vidimus procurari abortum indirectum tantùm (2).

A. De Smet.

(1) Id frequentius continget in conceptione abdominali.

(2) In hoc casu, sed in hoc tantùm, locus est analogiæ quam inducit Antonelli, l. c., inter excisionem fœtus ectopici et excisionem « uteri gravidi ob tumores malignæ naturæ, qui in texto musculari uteri tempore prægnationis aliquando producuntur ».

E S. Congr. Concilii

Decretum de excardinatione et sacra ordinatione.

Decreto diei 20 mensis Julii 1898, quod incipit *A primis*, Emi S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, hæc quæ sequuntur statuerunt:

« I. *Excardinationem* fieri non licere nisi justis de causis, » nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia » diœcesi executioni demandata.

» II. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non » oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est » nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; » ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito » ad hoc juramento ad instar illius quod Constitutio « *Spe-* » *culatores* » pro domicilio acquirendo præscribit.

» III. Ad hanc *incardinationem* deveniri non posse, nisi » prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum » a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta » insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si » opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis op- » portuna testimonia.

» IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines » promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponen- » dæ, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus » perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis » sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, » an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint » quod sicut « nullus debet ordinari qui judicio sui Episcopi » non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis » ut in *cap. 16*, » *sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum » esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate » aut commoditate diœcesis.

» V. Quo vero ad clericos diversæ linguæ et nationis, » oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius » procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint » prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secre-

» tam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informa-
» tionem, onerata super hoc graviter Episcoporum con-
» scientia. »

« VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos qui
» excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum
» esse dispositionibus Const. « *Speculatores* » quæ, nihil ob-
» stante præsenti decreto, ratæ ac firmæ semper manere
» debent ».

Sed pluribus in locis mos jam pridem invaluerat ut quædam litteræ quasi *excardinatoriæ,* seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatæ, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suæ diœcesis subditum dimittebat, et jus nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset juxta Constitutionis « *Speculatores* » præscripta.

Porro evulgato decreto *A primis*, de hujus praxis legitimitate disputari cœpit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSmi quæstione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut præfatæ litteræ, quibus laici a propria diœcesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradiœcesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen,

1° dimissio ab Episcopo proprio ex justa causa, in scriptis et pro determinata diœcesi concedatur.

2° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quæ pro clericis *incardinandis* statutæ sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto « *Vetuit* » diei 22 Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3° Sed juramentum ad tramitem Constitutionis « *Speculatores* » requisitum, præstandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in diœcesi non

propria, eique in perpetuum serviendi, ante majorem ætatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui ætate major non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio Papæ X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, die 24 mensis Novembris 1906.

† Vincentius Card. Episc. Prænestinus,
Præfectus.
C. De Lai, *Secretarius.*

Adnotationes.

Juxta jus antiquum, ad tramites Concilii Tridentini, Sess. XXII, cap. 9, et Constitutionis *Speculatores* (1). varia ratione poterat aliquis Episcopum proprium, quoad ordines suscipiendos, consequi, signanter ratione *originis* seu nativitatis et ratione *domicilii*, ut omittamus titulos *beneficii* et *familiaritatis*, apud nos vix attendendos (2).

Per decretum autem S. Congr. Concilii, 20 Julii 1898 (3), in jure receptus est *novus* titulus, *incardinationis* scilicet, cujus beneficio subducitur juvenis jurisdictioni prioris sui Episcopi, et constituitur subditus alterius Episcopi, ita ut ab eo ad ordines promoveri queat tanquam a proprio Episcopo (4).

Atvero hæc nova disciplina, sic providente laudato

---

(1) Cf. tenorem celebris illius Constit apud Many, *Prælectiones de S. Ordinatione*, Parisiis, 1905, p. 605 ss.

(2) Dicti tituli accurate determinantur in memorata Const *Speculatores*. Cf. etiam Many, o. c., nn. 27-41.

(3) Exhibet hoc decr. Many, o. c., p. 635 ss.; refertur etiam apud *Anal. eccl.*, 1898, p. 351 ss.

(4) Formulam excardinationis et incardinationis in America Latina usurpatam exhibent *Acta Conc. Amer. Latinæ*, anni 1899, in *Appendice*, p. 760.

decreto, sub 6°/, *unicè* spectat *clericos,* non autem *laicos:* pro hisce standum erat hucusque dispositionibus veteris juris ac notatim Constitutionis *Speculatores*. Cæterúm, uti arguit *Rev. eccl. de Metz*, 1907, p. 11, « la raison juridique de cette restriction était facile à comprendre : comme c'est par la tonsure seulement qu'un sujet entre dans le clergé d'un diocèse, *incardinatur,* un évèque ne pouvait pas excorporer, *excardinare,* un de ses diocésains laïques qui n'appartient pas encore à son clergé ». Cf. *Canon. contemp.*, 1906, p. 705-707, contra MANY, o. c., n. 71.

Laicum proinde ad primam tonsuram admittere, Episcopo, ratione domicilii vel originis non proprio, non licebat, stricte inhærendo juri anno 1898 introducto, nisi ipsi licentia prævie data ab Episcopo proprio *per litteras dimissoriales :* hac ratione manebat hujusmodi tonsurandus subditus Episcopi litteras tradentis, et postea tantùm, postquam per clericalem tonsuram fuerat proprii Episcopi diœcesi incardinatus, poterat excardinari, et ad alteram diœcesim incardinatione transferri.

Jamvero hæc est præcise moderatio inducta per præsens decretum (1), quod nempe in posterùm integrum erit Episcopo proprio, sive originis sive domicilii, subdito suo, *etiam laico*, litteras tradere, non quidem stricte dictæ excardinationis, sed litteras æquivalentes (2), quarum nimirum vi « extradiœcesanus

(1) Disciplina, quam sancit decretum, fuit diu agitata et mature examinata coram S. Congr. Concilii, in sessione diei 15 Sept. 1906, uti relatum videsis in *Causa Romana,* apud *Anal. eccl.*, 1906, p. 380 ss.; in illa sessione convenerunt Emin. Patres de opportunitate condendi decretum cum necessariis normis ; consilium hoc, sequenti die, probavit Sanctissimus, et tandem, die 24 Nov., prodiit ipsum decretum.

(2) In ipsa *Causæ* relatione legimus : « Observari in primis posset quod litteras excardinationis *laicis* concedere absurdum per se sit .. Verum ex altera parte magis factis quam verbis videtur attendendum,... et quidquid sit de nomine, si res in se inspiciatur, nulla videtur esse valida ratio qua Episcopus prohibeatur, quominus jus suum nativum quod habet in laicos suæ diœceseos alteri Episcopo cedat ». l. c., p. 382.

fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri ». Hoc nimirùm pacto Episcopus laicum suæ diœceseos dimittit, et jus nativum quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transfert eique cedit: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facit, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere liberè potest.

Porro urget S. Congr. nonnullas **cautelas** adimplendas:

1°/ « Dimissio ab Episcopo proprio ex justa causa, in scriptis et pro determinata diœcesi concedatur ».

Debet dimissio seu improprie dicta excorporatio fieri non quidem indeterminatè, sed *in gratiam determinatæ diœceseos:* imo censet Boudinhon (1) hic applicandam esse normam pro incardinatione clericorum, sub 1°/ statutam (2), nempe sicuti « l'excorporation des clercs n'est définitive que par l'incorporation, de même le droit d'ordonner un sujet laique n'est perdu pour l'Ordinaire qui en jouit que par l'acceptation de ce même droit par un autre Ordinaire ».

Quod attinet *justam causam:* « Les justes causes en question sont tout simplement les motifs qui déterminent un évêque à ne pas ordonner lui-même le sujet pour son diocèse. Ces motifs pourront être totalement impersonnels au candidat, si, par exemple, le diocèse est suffisamment pourvu de prêtres; ou bien ils pourront dépendre du jeune homme lui-même, des circonstances de famille, de santé, de fortune, et autres qui rendraient son ministère moins utile dans sa patrie, alors qu'elles lui permettraient de faire ses études

---

(1) *Canon. conplemp.*, 1907, p. 16.

(2) « Excardinationem fieri non licet nisi justis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia diœcesi executioni demandata ».

et d'exercer un ministère fructueux dans un autre diocèse » (1).

2°/ Servandæ sunt regulæ pro *clericorum* incardinatione, anno 1898, statutæ, sub 2/ 3/ 4/ et 5/; servato quoque decreto *Vetuit* diei 22 Dec. 1905, quoad alumnos a seminariis dimissos (2).

Inter ibidem autem recensitas normas præprimis attendæ sunt 2ª et 3ia, quæ sic habent:

a/ « Incardinationem faciendam esse ab Episcopo, non oretenus sed in scriptis, absolutè et *in perpetuum*, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc juramento ad instar illius quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo præscribit » (3).

b/ « Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia ».

Quarta et quinta normæ suggerunt cautelas adhibendas in admittendis alienis clericis, signanter si diversæ sint linguæ et nationis: quò spectat etiam decretum *Vetuit* anni 1905, ad quod vidimus in præsenti decreto provocari.

3°/ Juramentum, de quo sub a/, « præstandum esse *ante clericalem tonsuram*. Verùm cum obligatio permanendi in diœcesi non propria, eique in perpetuum ser-

---

(1) *Canon. contemp.* 1907, p. 15.

(2) *Collat. Brug.*, t XI, p. 217.

(3) Juxta laudatam Constitutionem, ad acquirendum domicilium quoad ordines suscipiendos, oportet, ut præter actualem ac determinatam commorationem, sub fide juramenti constiterit de animo in aliqua diœcesi perpetuò manendi. Arbitratur autem R. P. Vermeersch, *De Religiosis* — Periodica, 1907, p. 24, « in juramento ad normam C. *Speculatores* emisso, perpetuitatem consilii postulari quatenus nulli alii cogitet diœcesi servire, non autem quatenus ad statum perfectiorem non aspiret ».

viendi, ante majorem ætatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui *ætate major* non sit ».

« Si donc un jeune homme désirait recevoir la tonsure avant cet âge, il ne pourrait invoquer le bénéfice du présent décret ; mais rien ne l'empêcherait de s'adresser pour cela à son Evêque d'origine qui reste libre de l'ordonner *per se vel per alium;* sauf à lui donner l'*exeat* après sa majorité, comme cela se pratiquait jusqu'ici » (1).

A. De Smet.

(1) *Revue écc. de Metz*, 1907, p. 13.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

Indulgentiæ adnexæ pio exercitio mensis Sacratissimo Cordi Jesu dicati.

Imprimis indicandum est decretum S. C. Indulg. 30 Maii 1902, quo removetur dubium exortum circa indulgentias adnexas a Pio IX et Leone XIII piis exercitiis mense Junio peragendis (1):

« Omnes Christifideles, qui *sive publice*, *sive privatim* peculiaribus precibus devotique animi obsequiis in honorem SS. Cordis Jesu mense Junio corde saltem contrito vacaverint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel singulis dicti mensis diebus lucrentur.

Qui vero Christifideles *privatim tantum* singulis dicti mensis diebus præfata obsequia præstiterint simulque una die vel intra memoratum mensem vel ex octo prioribus mensis Julii vere pœnitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis pias preces effuderint, plenariam indulgentiam consequentur.

Quam quidem plenariam indulgentiam etiam ii Fideles lucrentur, qui saltem decem in mense vicibus ejusmodi exercitiis *publice* peractis interfuerint itemque supra memorata pia opera adimpleverint.

Quas omnes indulgentias eadem S. Congr. etiam animabus igne purgatorio detentis fore applicabiles declarat ».

*
* *

Nuperrime, in audientia 8 Augusti 1906, « Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Jesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in

(1) Collat. Brug., t. VII, p. 325. — Anteriora acta de cultu SS. Cordis Jesu in unum collecta invenies apud Collat. Brug., t. VII, p. 324 ss., coll. t. X, p. 123 s.

Christifideles saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur », singulares indulgentias perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est. Sunt np. sequentes (1) :

1° « Indulgentia plenaria *toties quoties,* applicabilis animabus defunctorum, *die 30 Junii, in ecclesiis in quibus mensis SS. Cordis fuerit solemniter celebratus* ».

Est indulgentia plenaria *ad instar Portiunculæ,* id est lucranda *toties quoties* opera iterabilia iterantur. Hic in textu nullum opus expresse præscribitur; at ex subjecta materia videtur dicendum in casu requiri conditiones ordinarias et visitationem ecclesiæ privilegiatæ. Unde indulgentia acquiri poterit toties quoties preces ad mentem summi Pontificis recitantur in visitationibus ecclesiæ distinctis.

Ecclesiæ censentur *privilegiatæ* omnes, in quibus mensis SS. Cordis Jesu fuerit solemniter celebratus. Ad hoc arbitramur satis esse, si fiant pia exercitia præscripta in Diœcesi brugensi. Cum in textu sermo sit tantum de *ecclesiis* (italice *Chiese*), non auderemus favorem extendere ad oratoria etiam publica, quæ vulgò ecclesiæ censeri nequeunt. — Adverte privilegium esse *locale* seu adnexum ipsi ecclesiæ: unde, ut quis lucretur indulgentiam, necesse non est quod ipse piis exercitiis interfuerit mensis Junii.

Insuper privilegium est *adnexum diei 30 Junii,* id est diei naturali, *a media nocte ad mediam noctem* (*Decr. auth.* n. 434 ad 1^{m}) (2).

2° « Privilegium altaris Gregoriani *ad instar* pro eorum missa diei 30 Junii *prædicatoribus mensis SS. Cordis necnon rectoribus ecclesiarum,* ubi pium exercitium (mensis Junii) fuerit solemniter celebratum ».

---

(1) Vertimus ex textu Italico, qui reperitur ap. *Anal. eccl.*, XIV (1906), p. 408.

(2) Cum hoc anno incidat dies 30 Junii in dominicam, major inde fiet opportunitas excitandi fideles, ut utantur singulari hoc privilegio.

Privilegium altaris Gregoriani consistit in indulgentia plenaria pro anima cui applicatur missa. Discrimen cum altari simpliciter privilegiato situm est *in majori certitudine,* quod indulgentia plenaria altaris Gregoriani proprium sortiatur effectum; quod nempe acceptetur a divina bonitate *facilius, plenius, citius,* ob deputationem specialissimam ab Ecclesia factam et ob intercessionem specialem et patrocinium S. Gregorii (1).

Hoc privilegium primitus concessum fuit soli altari S. Gregorii, erecto in ecclesia ejusdem Sancti in Monte Cœlio; at Ecclesia ad alia etiam altaria privilegium istud extendit, quæ ideo vocantur altaria Gregoriana *ad instar* seu per communicationem (2).

Ex hoc quod communicatio altaris gregoriani, olim suspensa, nunc rarò concedatur, luculenter apparet magnitudo gratiæ factæ, atque adeo quantum Pius X in votis habeat ut pium exercitium a prædicatoribus et rectoribus ecclesiarum propagetur.

Nota privilegium esse *personale* seu nullum altare determinari; unde ad quodvis altare celebrari potest a prædictis missa die 30 Junii, etiam extra ecclesiam in qua mensis SS. Cordis fuit celebratus.

3° « *Pro personis, quæ promovent pium exercitium,* indulgentia *500 dierum* lucranda per quodlibet earum opus bonum, quo intendunt propagare illud aut efficere ut melius peragatur; *indulgentia plenaria* pro earum Communionibus mensis Junii; quæ omnes indulgentiæ applicari possunt Animabus Sanctis purgatorii ».

Unum adverte: quoties decurrente mense Junii istæ personæ ad sacram Mensam accedunt, acquirunt indulgentiam plenariam; neque aliud ab eis exigitur, quam ut aliquid conferant propagando pia exercitia mensis SS. Cordi dicati.

*
* *

---

(1) Simili efficacia gaudet *triccnarium Gregorianum,* de quo COLLAT. BRUG., t. X, p. 442.

(2) MOCCHEGIANI, *Collectio indulgentiarum,* n. 1112 ss.

Actum consecrationis totius generis humani SS. Cordi Jesu quotannis esse recolendum edixit SS. D. N. Pius Pp. X, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo SS. Cordis Jesu. Pro momento decreti, ejusdem textum integrum subjicere placet.

*
* *

URBIS ET ORBIS.

Quo perennis extet memoria illius amplissimi religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii (1) augustissimo Cordi Jesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares qui ex illo fructus emanarunt jugiter perseverent, preces sunt delatæ SSmo Dno Nostro Pio Papæ X, ut, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo ejusdem SSmi Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga sacratissimum Cor Jesu jam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius conjungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SSmo Sacramento publicæ adorationi exposito, formula consecrationis ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniæ in honorem SSmi Cordis erunt adjiciendæ.

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piæ cæremoniæ corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 416.

Datum Romæ, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 22 Augusti 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Præf.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Cum his invitationibus instantissimis ac vehementi desiderio Vicarii Christi conferantur litteræ quadragesimales (1907) Ill^{mi} ac Rev^{mi} Episcopi Brugensis de cultu SS. Cordis Jesu promovendo una cum praxi Communionis frequentis ac quotidianæ (1).

H. MAHIEU.

E S. Congregatione Indicis

Decreto d.d. 12 Aprilis 1907 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt sequentia opera:

Mgr Léopold Goursat, Les Mystères sataniques de Lourdes à travers les âges. Paris (1905).

Juozupas Ambraziejus, Trumpas Rymo-Kataliku Katekizmas. Vilnius 1906.

L'Abbé G. J. E. Combe, Le Secret de Mélanie, Bergère de la Salette, et la Crise actuelle. Roma 1906.

José Domingo M. Corbató, El inmaculado San José. Apuntes vindicativos de su concepción purísima, su honor de esposo, sus derechos de padre, su primacía restauradora. Artículos publicados en « *La Señal de la Victoria* ». Valencia 1907. *Decr. S. Off. fer. IV 20 Febr. 1907.*

(1) Utiliter spargetur apud fideles folium indicatum ad calcem hujus fasciculi.

Consultatio

Q. Pœnitens ritè attritus confessionem instituit et absolvitur: suscepta absolutione, meminit peccati gravis inculpabiliter omissi, illudque illicò confitetur et novam absolutionem consequitur. Dubitatur utrum super hoc peccato attritionis actum de novo elicere debeat dictus pœnitens antequam rursùs absolvatur?

R. A/ Si attritio fuit concepta ex motivo *particulari,* non afficiente hoc peccatum in priori confessione omissum, patet *novum requiri attritionis actum.*

B/ Contrà si fuit attritio concepta, uti passim contingit, ex motivo *universali,* sese extendente ad omnia peccata lethalia commissa, **controvertitur:**

Hanc controversiam nuper moverunt et in diversum sensum solverunt *Nederl. Kath. stemmen*, 1905, p. 136 ss., et *Theol. Prakt. Quartalschrift,* 1905 p. 898 ss. Opinatur nempe WOUTERS, in priori laudato periodico, cum non paucis Auctoribus ibidem citatis, *probabilem* esse sententiam quæ novum contritionis actum requirit, eamque proinde, siquidem agitur de valore sacramenti, ceu tutiorem in praxi sequendam urget.

Porro, pace egregii theologi, *moraliter certam* censemus alteram sententiam negantem, adeoque tutam ducimus praxim non renovandi in casu attritionis actum. Ad hoc sufficiat arguere ex rationibus theologicis, relicta auctoritate extrinseca. Et quidem

1°/ **Directe.**

Argumentum ad quod unicum provocamus deducitur ex ipsa constitutione sacramenti, quam non satis attendunt adversarii. Nimirum ad essentialem sacramenti Pœnitentiæ constitutionem pertinent quidem, juxta sententiam S. Thomæ, actus pœnitentis, confessio scilicet et contritio, sed *non eadem ratione:* confessio nempe requiritur tanquam accusatio rei, seu subjectio

causæ dijudicandæ, et ideo *actu* adsit necesse est, ac renovanda est *actu* quotiescumque sacramentum iteratur; contrà contritio non requiritur nisi ad hoc ut confessio reddatur *dolorosa* (1), ac proinde non opus est, ad sacramenti constitutionem, ut adsit contritio *actu,* sed *virtute* dumtaxat, ita nempe ut ex ea procedat confessio sub ejusque influxu instituatur.

Quis autem neget attritionem quæ adfuit in priori confessione adhuc virtualiter perseverare in altera confessione priorem immediate excipiente, ita ut sub ejus influxu accusatio fieri queat dicti peccati obliti? supponitur nempe, uti diximus, elicitam fuisse attritionem ex motivo universali, complectente omnia peccata mortalia commissa.

2°/ **Indirecte**, ex refutatione argumentorum quæ ab adversariis afferuntur ad probandam necessitatem novi actus contritionis. Et sanè frustrà opponitur

a/ Alteram confessionem, in qua exponitur peccatum oblivioni traditum, constituere *distinctum* judicium sacramentale, ac proinde utrumque iterandum esse elementum, ex parte pœnitentis ad ejus constitutionem pertinens, confessionem nempe et attritionem (2).

Concesso namque antecedente, negamus inde consequi quod contritio sit renovanda *actu*: sufficit, uti diximus, quod ex ea virtualiter perseverante, et sub ejus influxu confessio dolorosè instituatur.

Nec magis proficit instantia, quatenus

b/ unus idemque actus, in specie attritio, nequeat ceu materia subesse duplici distinctæ formæ, absolu-

---

(1) Cum accusatio rei, secus ac in judiciis forensibus, tota quanta tendat in reconciliationem, oportet ut spontaneè peragatur et dolorosè.

(2) « Het is niet onwaarschijnlijk, dat de eerste biecht als rechtspraak volledig was, en de tweede een nieuwe, op zich zelf staande en volledige rechtspraak moet genoemd worden. Maar als de tweede biecht een nieuwe, op zich zelf staande en volledige rechtspraak is, vordert zij ook eene herhaling van die acten, welke voor de geldigheid van die rechtspraak noodig zijn; waartoe ook behoort de acte van berouw ». l. c., p. 137.

tioni scilicet; quodque igitur, pro altera absolutione, novus postuletur contritionis actus (1).

Hoc namque rursus supponit materiam sacramenti Pœnitentiæ esse contritionis *actum*: quasi-materia nempe Pœnitentiæ, per absolutionem informanda, non constat, uti notavimus, *actibus* contritionis et confessionis, sed *confessione dolorosa*.

Nec tandem movemur

c/ ex eo quod attritio, ut sit pars sacramenti, debeat ordinari ad absolutionem sacramentalem: ad quod, saltem probabiliter, requiritur ut concepta fuerit attritio ex intentione confessionem instituendi et absolutionem consequendi (2).

Nimirum attritio potest *dupliciter* ad sacramenti susceptionem ordinari: *antecedenter*, quatenus ex prævia intentione confitendi et absolutionem consequendi dolorem quis eliciat; *consequenter*, quatenus eliciat dolorem de peccatis commissis, et ex dolore concepto statuat confiteri et absolvi: sufficit alterutra ordinatio.

Quomodocumque autem concipiatur attritionis ad absolutionem ordinatio, optimè potest attritio, in secunda confessione perseverare quin opus sit ut iteretur. Intentio confitendi et absolutionem impetrandi, sive attritionem præcedat sive eam consequatur, afficit, (modò attritio, uti in nostro casu, fuerit universalis) confessionem et absolutionem *omnium peccatorum mortalium*, quibus obnoxius erat pœnitens eo momento quo intentio illa fuit concepta, adeoque afficit confessionem et absolutionem peccati mortalis in priori confessione per oblitionem omissi et in altera expositi et absolutioni subjecti.

A. De Smet.

---

(1) « Het is waarschijnlijk dat één en dezelfde handeling (in casu de acte van berouw, welke de biechteling vóór de eerste absolutie verwekte), niet kan strekken tot onmiddelijke materie van twee verschillige vormen (in casu, de eerste en de tweede absolutio) ». *Ibidem.*

(2) « De geldigheid van het sacrament vordert, althans waarschijnlijk, dat de acte van berouw gericht worde naar de te ontvangen absolutie.... Maar, nu is het waarschijnlijk dat in ons geval, met betrekking tot de tweede absolutie, niet de richting van het berouw aanwezig is, welke gevorderd wordt ». *Ibidem.*

Bibliographia

DE FIDE.

G. Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina,* pp. 286 gr. in-8°, 5 fr. Amstelodami, Van Langenhuysen, 1906.

Fr. Raimundus-Maria Martin, O. P., *De Necessitate Credendi et Credendorum seu de Fide Salutari,* pp. 140. Lovanii, Uystpruyst-Dieudonné, 1906.

Fr. Bernard Kuhn, O. P., *Du Doute moderne à la Foi,* pp. 117, Bruxelles, Schepens, 1907.

Abbé Gayraud, *La Foi devant la raison,* pp. 268, Paris, Bloud, 1906.

Quum nostris temporibus multæ quæstiones quæ ad fidem pertinent, denuo agitantur, haud inutile erit, quædam nova opera quæ circa hanc materiam versantur, recensere. Jam supra (1) egimus de opere magni valoris Hor. Mazzella: *de virtutibus infusis*, in quo præsertim illæ quæstiones circa fidem, de quibus plurimum controvertitur, ad trutinam revocantur. Nunc libenter commendamus novum tractatum de fide divina, auctore Van Noort, prof. theol. in Seminario Warmundensi, et jam pluribus operibus theologiæ præclaro (2). R. D. Van Noort pari eruditione et perspicuitate ac Illustr. Mazzella quæstiones difficiliores exponit et solvit; insuper ea proportione et claritate uberrimam materiam disponit ut ejus tractatus inter meliora quæ circa actum fidei opera prodiere, egregium obtineat locum.

Post brevem introductionem in qua de notione et divisione fidei, in capite 1° agit de fidei objecto; in capite 2° de fidei actu. Adjungitur brevis appendix de habitudine fidei et rationis.

Præcipuas auctoris conclusiones subjungimus, ut indoles et methodus tractationis plenius appareat.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 679 s.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 56, ubi recensetur prima pars tractatus de quo hic agitur, nempe: *De fontibus revelationis.*

In parte polemica et apologetica tractatus, antiquas jam disquisitiones hodiernis controversiis sedulo adaptare studet. Sic merito carpit theologos catholicos qui notionem fidei pervertunt (p. 139, 141); notionem dogmatis catholicam vindicat contra novas quasdam definitiones propositas (p. 162 ss.); theorias falsas Harnack, Günther et Loisy circa evolutionem fidei catholicæ expendit et per summa capita refutat, (p. 184-190). Ex dilucida expositione præparationis fidei ex parte intellectus et voluntatis, optime infert nova credibilitatis motiva quæ a nonnullis modernis ad fidem exiguntur non esse necessaria (1), ut quis fidem suscipere prudenter possit ac debeat (p. 128) etc.

Inter auctoris sententias quoad quæstiones quæ inter catholicos disputantur et libere disputari possunt, sequentes notare juvat. Varias proponit opiniones, quin ullam aperte amplectatur (2), ad quæstionem: utrum revelatio habenda sit veri nominis pars seu elementum constitutivum motivi objectivi fidei (p. 144 s.); contra Schiffini (3) tuetur veritates theologicas, quas magisterium Ecclesiæ infallibiliter docet, tenendas esse fide ecclesiastica (p. 194); in analysi actus fidei, refutata sententia Suarez et Lugonis, defendit sententiam quam primus resuscitavit Cam. Mazella, juxta quem in actu fidei non habeatur assensus virtualiter duplex, sed assensus simplex in objectum materiale (p. 232-243). Agendo de necessitate fidei, auctor ut longe probabilius admittit, speculative loquendo, necessitatem medii pro mysteriis SS. Trinitatis et Christi Redemptoris probari non posse neque ex natura rei, neque ex positiva ordinatione Dei in Novo Testamento (p. 257-268).

Pauca animadvertere liceat. Mirum videri potest in articulo ubi principia subjectiva actus fidei exponuntur, nullam mentionem fieri de ipsa virtute fidei. Opportunum tamen fuisset hoc in loco indicare relationes vigentes inter ipsum actum fidei divinæ et principium subjectivum quo christiani gaudent; nempe ipsam virtutem.

---

(1) Addere posset auctor: ea motiva nec per se sola sufficere.

(2) Hor. Mazzella, sequentem defendit thesim o. c., p. 509: Revelatio non tam conditio est quam partiale formale objectum, quod simul cum auctoritate divina unum constituit adæquatum motivum credendi.

(3) *De Virtutibus infusis*, p. 213.

Omissionem aliquam majoris forsan momenti notamus, ubi de proprietatibus fidei sermo est. Sic scribit auctor (p. 234): « præcipuæ fidei *salutaris* proprietates sunt veritas, obscuritas, libertas, firmitas ». Inter dictas proprietates nonnullæ, uti obscuritas, libertas, fidei theologicæ (1) naturali, quæ physice et interdum moraliter possibilis evadit, pari jure adjudicari possunt et debent. Nonne ea proprietas quæ fidei *salutaris* præcipua est, nempe supernaturalitas recensenda foret, et explicandum utrum et quonam sensu supernaturalis actus fidei substantialiter ab actu naturali differat? Nostro tempore, quo plurimi etiam inter catholicos actum fidei divinæ *salutarem* tanquam actum prorsus singularem exhibent, quasi gratia naturam destrueret, magis quam olim necesse videtur ut sedulo demonstrent theologi in quo actus supernaturalis fidei cum actu naturali conveniat, in quo ab eo discrepet.

His modo dictis complendum opinamur egregium illud opus cujus peculiare meritum iterum celebramus, quodque tractatus theologici hodiernis controversiis adaptati, verum specimen exemplarque existit.

*
* *

Nuper prodiit Dissertatio theologica quam pro gradu Lectoris Sacræ Theologiæ in ordine Prædicatorum consequendo, scripsit Fr. Raimundus-Maria Martin, ejusdem ordinis alumnus. Ut ipse titulus indicat, dissertatio in duas partes dividitur: in prima parte agitur de necessitate credendi; in altera vero de necessitate credendorum. Pauca de notione actus fidei theologicæ proprie et late dictæ prænotantur.

Occasio scribendi hæc fuit. In opere cui titulus « Dogmatische Theologie von Dr J. B. Heinrich, fortgeführt durch Dr Const. Gutberlet », t. VIII, Mainz, 1897, idem Gutberlet reassumpsit thesim quam olim proposuit, saltem disputandi gratia, Martinez de Ripalda, S. J. († 1648): nempe præter fidem divinam stricte dictam, fidem divinam alteram, fidem scilicet late dictam (2) existere, eamque ad salutem sufficere.

---

(1) Sensu litterali, scil. quævis fides quæ habet Deum pro objecto.

(2) Dicitur fides late dicta, ille actus quo intellectus veritati divinæ assentit non propter auctoritatem Dei revelantis, sed ope luminis naturalis rationis, gratia quadam illustrationis confortatæ.

Insuper Gutberlet propugnavit hac eadem fide nonnisi duas veritates: Deus est, et inquirentibus se remunerator est (Hebr., XI, 6), lumine naturalis rationis cognoscendas, teneri oportere; contrà, cum de veritatibus revelatis agitur, fidem revelationi in voto solùm adhærentem, exigi debere. Contra hanc doctrinam scripserunt *Schmid* (1) et *Liese* (2). Hi auctores biblicis patristicisque argumentis propugnant necessitatem medii ad salutem fidei theologicæ proprie dictæ; fidem autem mysterii S^mæ^ Trinitatis et Incarnationis solùm necessariam esse necessitate præcepti.

Fr. Raymundus circa hanc disputationem suam dissertationem conscripsit: argumentis ex auctoritate non neglectis, ex natura rei demonstrare conatus est quasdam theses quas, claritatis gratia in fine operis in unum collegit. Has singillatim notabimus, et quid de ipsarum veritate et adductis probationibus sentiamus breviter dicemus.

1^a^ Credere aliquid fide theologica supernaturali omnibus necessarium est necessitate medii ad salutem. — Hanc conclusionem optime probatam invenire est in hoc opere; dubitamus tamen utrum omnia argumenta æquali valore ad scopum attingendum valeant. Sic dubium manet utrum textus allatus (3) ex Habac. II, 4: « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus autem in fide sua vivit », *vi sui* uti dicit auctor, rem conficiat. Probabilius videtur hoc in loco Sacræ Scripturæ agi non de vita æterna, verum de eversione et destructione impiorum, de liberatione et triumpho (his in terris) populorum justorum (4). Nec ex

---

(1) Die auszerordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit, Brixen, 1899.

(2) Der heilsnotwendige Glaube, sein Begriff und Inhalt, Freiburg i. B. 1902.

(3 p. 32.

(4) Ita etiam sentit R. P. Haghebaert, O. P., Profetie van Habakuk (Beelen, *Oud Testament*, t. VI, p 198 s.). Dicit: « Wat wil de propheet hier zeggen door de woorden: zal. .. leven? Hij wil zeggen dat het volk des Heeren, op voorwaarde dat het geloove, niet zal vergaan, niet zal uitgeroeid worden. Hij zegt dus niet dat de rechtveerdigen het eeuwig leven zullen hebben ». Et infra addit: « Men moet nochtans bemerken dat er in de voorzegging van Habakuk II, 3, 4, eene algemeene wet uitgedrukt wordt, volgens dewelke de ongeloovige volkeren, die de geloovigen vervolgen en verdrukken, zullen overwonnen en gekastijd worden ».

verbis Habac., R. P. demonstrare tentavit supernaturalitatem ejusmodi fidei, quam probationem cæteroquin in cæteris argumentis egregie præstitit.

2ª Sed requiritur actus fidei theologicæ proprie dictæ; non sufficit ergo actus fidei late dictæ. — Hic directe refutanda occurrit opinio Gutberlet. Propositionem suam invicte stabilit auctor tum argumentis positivis, deductis ex ratione, S. Scriptura, Patribus et Ecclesiæ declarationibus, tum negative solvendo argumenta adversariorum. Merito tuetur solum actum fidei theologicæ proprie dictæ, non autem actum fidei late dictæ, esse 1° verum actum fidei, 2° actum supernaturalem.

In demonstratione hujus secundi puncti tenet auctor ad supernaturalitatem actus fidei theologicæ non sufficere gratiam sanantem et elevantem intellectum et voluntatem credentis, sed insuper requiri ut potentia intellectiva a formali et supernaturali fidei objecto informetur et specificetur. Hanc sententiam verbis sequentibus, aliquatenus obscuris, exprimit: (p. 64): « Quæ quidem formalis objecti ratio (i. e. veritas prima, auctoritas Dei revelantis) intellectivam potentiam, *per lumen fidei ipsi impressum*, determinat, elevat, intrinsece immutat, eamque efficit principium seu actum primum, quoad substantiam supernaturalem ». Putamus, si hujusmodi supernaturalis objecti necessitas demonstraretur, hanc supernaturalitatem non inquirendam esse in hoc quod formalis objecti ratio per fidem cognoscatur, sed inveniri in hoc ipso objecto, nempe auctoritatem Dei revelantis vere esse aliquid supernaturale.

Unum deest, nostro judicio, ut illa refutatio opinionis de Ripalda et Gutberlet omni ex parte sit absoluta; nimirum potuisset auctor latius et plenius evolvere sensum declarationis Innocentii XI, quæ ad hanc materiam pertinet. Siquidem huic declarationi se subtrahere conantur quidam, aliique ancipites hærent quousque illud decretum extendendum sit, opportunum erat in dissertatione quæ illam quæstionem ex professo pertractat, declarationis Innocentianæ intelligentiam intimius scrutari et qualemcumque conclusionem methodo historico-critica stabilire. Quæ habet auctor p. 78, hujusmodi tractationis vix schedulam, utut optimam, referre censenda sunt.

3ia Actus ille fidei, non nisi revelatione expresse accepta perficitur neque sufficit ullo modo actus aliquis, implicite seu in voto tantum revelationi adhærens. — Illa conclusio bene et merito breviter absolvitur, quum ex antea dictis jam sufficienter deduci possit.

In tribus sequentibus thesibus sententiam suam enuntiat auctor circa objecta fidei, necessitate medii credenda. Hic demonstrare conatur opinionem quam plurimi theologi ut minus probabilem negant: Sustinet mysteria SSmæ Trinitatis et Incarnationis Domini, eadem ratione ac veritates *ad Hebr. XI, 6*, allatas, necessitate medii ad salutem credenda esse.

Stat conclusio 4a: Omni tempore necessarium fuit necessitate medii ad salutem, credere explicite duo, nempe: quod Deus est et inquirentibus se remunerator est.

Sed incipimus dubitare de conclusione 5a: Sub omni lege, necessarium fuit necessitate medii ad salutem, credere aliqualiter mysteria Incarnationis Domini et Smæ Trinitatis. — Sane in duobus punctis in conclusione 4a enuntiatis, virtualiter includuntur omnia credenda, sive quæ Deo essentialiter insunt, sive quæ Ipse ad nostram salutem disposuit; sed intendit auctor probare illa mysteria Trinitatis et Incarnationis secus ac omnes alias veritates, esse credendas necessitate medii. Rationem addit p. 105: « Duo illa mysteria, veritates sunt omnino eædem ac veritates quæ *ad Hebr. XI, 6* exprimuntur; solus modus eas significandi differt ».

In hunc sensum thesim admittere non possumus, nec stringens videtur argumentum præcipuum ex formali ratione objecti fidei deductum. Sic sonat (p. 100 s.): « Ratio formalis objecti fidei.... pertinet necessario et per se ad actum fidei... Sed in Christo, misso a Patre, subsistit ratio formalis objecti fidei: nam Christus est veritas revelans. Ergo Christus missus a Patre, pertinet necessario et per se ad actum fidei. Sed Christus missus a Patre mysterium est Incarnationis... Ergo... » Verum est rationem formalem objecti fidei (i. e. veritatem primam) materialiter esse Christum *missum a Patre;* addere possemus: *mortuum et sepultum*. Sed an inde concludi potest Deum revelantem qua Christum missum a Patre etc., de necessitate medii cognosci oportere? Hoc certe non sequitur ex præmissis, vel secus auctor latius quam thesis indicat, necessitatem medii extendere cogeretur.

Nec possumus adstipulari ultimæ conclusioni: In Veteri Testamento, necessitate medii ad salutem prædicta duo mysteria credere tenebantur majores explicite, minores implicite tantum; in Novo Testamento vero, necessitate medii ad salutem hæc mysteria credere tenentur omnes explicite. — Novimus hanc quæstionem valde disputatam esse difficillimam, et fatemur sententiæ rigidioris nunquam meliorem nobis occurrisse defensorem quam R. P. Quum tamen non debeamus absque argumento omnino certo restringere viam justificationis et salutis, plenam hanc certitudinem a fautoribus sententiæ rigidioris merito postulamus.

Jamvero quoad primam partem ultimæ theseos, admittimus in V. T. majores, quibus revelata erant illa duo mysteria, ad illa credenda obligatos fuisse. Verum, an tunc majores ad similem fidem obligabantur propter hujusmodi fidei necessitatem medii? Illud profecto non eruitur ex hoc quod « Majores in fide dicuntur illi quibus incumbit officium alios docendi. Atqui ille qui constituitur doctor debet explicite nosse ea quæ tenetur docere » (1) quia redit quæstio: utrum tenerentur nosse saltem explicite illa mysteria, et utrum fuerint vel in V. T. pro ullo homine de necessitate medii ad salutem.

Probatio tertiæ partis ultimæ conclusionis, etiam insufficiens videtur. Argumenta præcipua ex S. Scriptura desumpta generali defectu laborant: textus non debent necessario ita intelligi, ut exigant, necessitate medii, fidem in prædicta duo mysteria; possunt aliter explicari (2). Equidem concedimus non expectandum esse ut in S. Scriptura inveniamus v. gr.: « justitia autem Dei obtinetur *necessitate medii* per fidem Jesu Christi ». Atvero nemo non videt auctorem quædam addere S. Scripturæ quando dicit, explanando textum ex epist. ad Rom. III, 21: « acquiritur autem hæc justitia *unice* per fidem in Jesum Christum » (3) vel etiam: « Hi omnes justificantur sive Judæi, sive Gentiles, ita ut nullus sit hominum qui possit aut unquam potuerit aliter

(1) p. 124.

(2) Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert: *Annot. in tract. de Virt. theolog.*, n. 169.

(3) p. 126.

justificari quam per fidem (explicitam ?) in Jesum Christum » (1). Quamdiu verisimilis remaneat alia explicatio præter modo citatam paraphrasim R. P., nihil certo addendum opinamur textui S. Pauli, Hebr. XI, 6 : Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

Ex prædictis patet prælaudatum opus Fr. Raymundi attenta et seria lectione dignum esse. Ea quæ in illo parum recta perspeximus et quæ ex difficultate, rei disputatæ inhærenti, plerumque originem ducunt, patienter sustinuimus, uti rogat auctor in sua præfatione; eo libentius quod in perlegenda dissertatione, egregia nobis apparuit tum methodus auctoris in plene exponenda et in refutanda opinione adversariorum, tum, paucis exceptis, sapientia et veritas argumentorum, præsertim quando auctor ex natura rei arguit. Ut fidelem discipulum Doctoris Angelici se exhibet, ejusque disciplina, doctrina et argumentis se apprime imbutum prodit (2).

Non dubitamus quin R. P. sua dissertatione bene meruerit de fide, opusque conscripserit, cujus omnes qui easdem quæstiones pertractare velint, rationem certo sunt habituri.

*
* *

Le volume que vient de publier le R. P. Kuhn contient les conférences qui furent prêchées à Bruxelles dans l'église St Jacques-sur-Coudenberg, pendant le carême de 1905.

Voici les sujets traités : Premier devoir du catholique devant le doute. — La divinité du Christ. — L'autorité de l'Eglise sur la conscience. — Le développement du dogme. — Le dogme : Hors de l'Eglise point de salut. — La formation de la foi.

Depuis plusieurs années, un groupe de libres penseurs publie parmi nous des brochures et des articles de journaux

---

(1) p. 109.

(2) Miramur auctorem in disquisitionibus circa sententiam S. Thomæ, parum vel nihil attendere ad ordinem chronologicum variorum operum Doctoris Angelici. — Cavendum est ne scholasticam methodum nimis urgendo in disserendo circa sensum textus S. Scripturæ, confusio oriatur, cf. p. 40 ss.

contraires à la foi chrétienne. Le R. P. sachant que rien ne suffit à maintenir les croyances, si elles ne reposent point sur de fortes convictions « poursuit le débat devant tout venant » (1). Pour atteindre ce but il s'efforcera de parler toujours un langage clair et aussi peu subtil que possible.

C'est qu'en effet, prêchant devant une assemblée où les bons fidèles coudoient des hommes, dont la foi chancelle ou qui sont même de parfaits incroyants, il est de toute nécessité d'instruire pareil auditoire et de lui présenter un exposé net et simple de notre foi et des motifs de notre croyance; ce faisant, on renverse du coup mainte objection. Aussi l'on sent que le conférencier veut avant tout être compris; il avoue d'ailleurs expressément (2) « qu'il aime mieux être jugé vulgaire plutôt qu'obscur ».

Vulgaire, l'éloquent conférencier ne l'a certes été à aucun moment. Seulement le R. P. a-t-il toujours réussi à être aussi clair, et surtout aussi exact, qu'il a été peu vulgaire? Quels que soient les éloges que l'on puisse à bon droit adresser au R. P., il n'empêche que nous avons rencontré mainte expression qui, à notre avis, n'a pu être exactement comprise, et qui a pu même donner lieu à des malentendus, surtout chez des hommes non instruits dans notre foi.

D'aucuns estimeront peut-être que certains exposés manquent parfois de netteté et de précision. Il n'eut pas été inutile, croyons-nous, d'affirmer plus clairement (3) l'indispensable nécessité d'un acte de foi, fondé explicitement sur l'autorité de la parole divine; l'insuffisance des connaissances acquises uniquement par voie de raisonnement ou même par voie de tradition. Les *traditions antiques,* dont parle Socrate, impliquent-elles une révélation divine?

Nous doutons aussi que le R. P. ait raison d'enseigner (4) que des motifs personnels de croire suppléent totalement chez les simples l'assurance fournie par la raison. Ne serait-ce pas plus exact de dire que les motifs d'une foi raisonnable, à laquelle sont tenus tous les hommes, les savants comme les simples, sont et doivent être les mêmes pour un chacun, mais que les mêmes arguments sont saisis de différentes façons, plus complètement par les savants que par les

(1) p. 8. — (2) p. 62. — (3) p. 84. — (4) p. 107.

simples? Ainsi tel fait spécial p. ex. (1) « culte des traditions de famille et des vieux parents qui ont transmis l'enseignement et l'exemple religieux; le souvenir de la première communion et de la piété sereine du premier âge » n'est le plus souvent pour les simples, que l'aspect particulier sous lequel ils envisagent un fait plus général, (universalité et apostolicité de l'Eglise; sainteté de l'Eglise); dûment développé, il suffirait à convaincre les savants. Ces motifs particuliers et personnels sont ainsi pour les simples d'un appoint considérable: leur raison, bien loin d'être écartée, est au contraire mise en éveil, et sans pouvoir pleinement s'en rendre compte, ils se laissent guider par ce que le Concile du Vatican a si bien déclaré: « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et.... magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » (2).

Il serait injuste d'insister sur ces critiques de détail; nous ne voulons point prouver, une fois de plus, ce qu'affirme le R. P. lui-même, que cette forme de prédication, qu'est la controverse, est la plus laborieuse et la plus ingrate (3). Aussi préférons-nous reconnaître les réels mérites de ces éloquentes conférences et exprimer l'espoir qu'elles continuent à produire chez les lecteurs tout le bien réalisé chez ceux qui les ont entendues.

***

On lira avec beaucoup d'intérêt et d'utilité le volume que l'Abbé Gayraud vient de publier sous ce titre: *La Foi devant la Raison*. L'auteur a écrit ce livre, dans le dessein de faciliter au clergé l'œuvre de la défense religieuse contre les infil-

---

(1) l. c.

(2) Denzinger, *Enchiridion*, 1900, p. 389. — Nous pourrions encore ajouter que ces motifs personnels sont souvent la cause qui détermine tel individu à vouloir examiner les titres de la Foi catholique, ou encore qui enlèvent à la volonté avant d'adhérer formellement à la vérité révélée, une dernière hésitation. Non pas que nous considérions chez les simples une foi déraisonnable comme étant impossible; mais il est certes exagéré de dire, au sens où l'entend le R. P.: « En fait de religion la plupart se contentent d'être des simples » p. 107. — Cf. *Collat. Brug.*, VI, 589 ss.

(3) p. 27.

trations du criticisme philosophique et de l'évolutionisme athée.

A cet effet il entreprend de réfuter, non pas des objections élaborées en chambre d'étude et devant servir d'exercices de dialectique, mais des objections telles que les proposent de pauvres prêtres « qui après avoir abandonné les rangs du sacerdoce catholique, se glorifient de s'être évadés de l'étroite géôle du dogmatisme autoritaire de l'Eglise romaine ».

M. Gayraud donne d'abord quelques remarques générales et dissipe quelques malentendus (1); puis il expose point par point les étapes logiques par lesquelles M. l'abbé Z...., a passé de la foi à l'incrédulité. Il suit son adversaire pas à pas, oppose à chaque difficulté une réponse solide et claire qui met à nu les sophismes délayés et enchevêtrés de l'abbé Z....

Dans la seconde partie de son livre, l'auteur analyse le volume d'un autre « évadé », M. Marcel Hébert: l'Evolution de la Foi catholique (2). Il montre, se servant toujours de la même méthode, que la foi catholique ne s'explique pas par le jeu naturel de l'évolution psychique, pas plus qu'elle n'est tenue en échec par la raison philosophique.

M. l'abbé Gayraud a publié un livre qui incontestablement fera beaucoup de bien et démontre pleinement combien à tort de malheureux évadés se laissent engouer de ces grands mots à majuscules: Science, Progrès, Critique, Evolution.

A. Soetaert.

(1) Notons p. 44: « C'est la grâce de Dieu (ajoutons: et le fondement de l'acte de foi, lequel est l'autorité de la parole de Dieu) qui donne à l'assentiment volontaire de l'acte de foi cette fermeté supérieure à toute certitude humaine qui ne peut lui venir de nos raisons de croire ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, XI, p. 601 ss.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 14 Maii 1907, in Palatio Episcopali Brugis.

Recitato hymno *Veni Creator,* Ill^{mus} ac Rev^{mus} Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Boni pastoris officium est omni cura atque diligentia gregi sibi concredito invigilare: ut cognoscat oves suas easque vocet nominatim, et vicissim oves cognoscant pastorem suum ejusque vocem audiant; ut pastor ovem perditam statim inquirere et ad ovile reducere valeat; ut male habentibus mederi, sanas ac bene valentes nutrire atque fovere queat. Oportet quoque ut adjuncta externa temporum atque locorum sedulo attendat et inspiciat, quo valeat gregem ad pinguia pascua saluberrimosque fontes adducere, a venenatis vero ac periculosis arcere.

Quæ quidem omnia, idem fere ad verbum testante Principe pastorum Christo (1), pastori animarum aptissime congruunt, cujus munus est verbo, exemplo, ministerio sacro rationales oves divini Servatoris regere earumque saluti providere; male habentibus seu peccatoribus ac vitiosis spirituali medecina mederi, bonas animas summa solicitudine servare atque fovere, omnes pabulo divini verbi nutrire, omnes exemplo sanctæ vitæ præeundo, orando, sacra ministrando roborare atque sanctificare.

Sed et maximi refert ut pastor quoque animarum adjuncta temporis et loci diligenter inspiciat, quo discernere valeat quæ sibi potissimum præstanda sint, ut quæcumque noxia removeat, proficua ac salutaria quæque procuret. Et hoc nobis hodie propositum est, dictum in finem simul vobiscum adjuncta hodierna paulo attentius considerare, ut inquiramus quo generatim nos tendere præcipue oporteat.

(1) *Joan.*, c. X; *Luc.*, c. XV.

Cum autem, hac præsertim in re, alteri bonus esse non possit qui sibi nequam est, imovero, quo meliores ac sanctiores ipsimet erimus, eo efficacius gregi nostro providere valebimus, de nobismetipsis præprimis quærendum erit qua in re præ cæteris exemplo præire nos hic et nunc deceat, animas deinde nobis concreditas monituros.

* *
*

Jamvero, ut statim ab initio mentem nostram aperiamus, nihil magis urgere nobis videtur hodiernis in adjunctis, quam ut vitam supernaturalem tum in nobis ipsis tum in aliis magis magisque excitemus, hinc quidem obstacula naturalismi ac sensualismi removendo, inde vero ad fontem ipsum istius vitæ, nempe Christum eucharisticum, majori cum fervore continuo recurrendo.

*
* *

Sane neminem fugit hac nostra tempestate periculum esse ne homines, bonis vitæ præsentis plurimum intenti, de supernis atque æternis bonis minus soliciti sint; ne, rerum fluxarum et vitæ commodorum his in locis crescente copia, facile sibi nova et plura effingant quasi ad vitam necessaria, quibus alias sine ullo beatæ, ast simplicioris, securioris et sanctioris vitæ discrimine carerent, et olim caruerunt.

Inde intemperantiæ et cujusvis luxuriæ occasio frequentior, ad sensualismum propensio et inclinatio vehementior; atque ex opposito pœnitentiæ et mortificationis ad vitam christianam adeo necessarium exercitium a multis omissum, imo vix non oblivioni datum.

Ni invigilemus ipsi nobis, immunes nos servare ab hujusmodi periculo sensualismi ægre valebimus. Atqui sacerdotem urget quam maxime ut exemplo pœnitentiæ et mortificationis, nunc præsertim temporis, fidelibus præeat, cum secus alios ad colendas tam necessarias virtutes abstinentiæ, sobrietatis, continentiæ, pœnitentiæ et mortificationis incassum hortabitur ac provocabit. Urget quam maxime, ut aliorum defectui et remissioni in his virtutibus exercendis suppleamus, cum sacerdotis, præprimis curam animarum gerentis, qua mediatoris Deum inter et homines, officium sit Deum deprecari, eumque pœnitentia placare, ut iram suam a populo avertat:

inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent, non tantum verbis sed operibus salutaris pœnitentiæ: *Parce, Domine, parce populo tuo* (1). Urget tandem ut sibimetipsi sacerdos provideat, cum et ipse homo sit pœnitentia indigens pro peccatis præteritis, et mortificatione carnisque afflictione ut in posterum mundum se servet ab omni inquinamento peccati ac vitii, a quavis mundi perversitate et vanitate: etenim corporali jejunio, quemadmodum canit Ecclesia, omnique corporali pœnitentia Deus vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et præmia. Quæ quidem quanto sacerdoti præ cæteris necessaria sunt, in altiori gradu constituto tamquam lucerna in candelabro, ad majorem sanctitatem vocato atque pejori ruinæ exposito, majoribus periculis in mundo et vehementioribus haud raro tentationibus subjecto!

Addamus, experientia duce et prælucentibus Sanctorum omnium exemplis, nihil magis acuere zelum sanctitatis atque fervorem in prosequenda perfectione christiana et sacerdotali, quam aliquod habituale exercitium corporalis pœnitentiæ et mortificationis, sive continuum sive identidem reassumptum, ut jejunium aliquod, aliqua abstinentia, cilicium moderatum, chameunia, aliave carnis afflictio, qualia apud religiosos usui sunt Hæc si fiant pura mente et solo Deo teste, tum peculiarem Dei favorem et gratiæ specialis auxilium merentur, tum continua monitio nobis sunt servandi spiritus compunctionis, participandi Christi passioni, dicente Apostolo: *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* (2); continua monitio abalienandi animos nostros a vanitatibus hujus sæculi et attollendi oculos ad superna æternæ vitæ bona.

O quantopere promovebitur divina gloria, quanta benedictionum divinarum abundantia in terras descendet, si omnes sacerdotes, singuli pro viribus et adjunctis vitæ, hujusmodi qualecumque pœnitentiæ atque mortificationis exercitium pia mente, cum fervore animi ac perseverantia assument!

Quod autem hodierno tempore magis urgeat pœnitentiæ

---

(1) *Joël*, II, 17.
(2) 2 *ad Cor.*, IV, 10.

et mortificationis exercitium, non tantum ab eventu demonstratur, quod nempe mundus præsens videtur hujusmodi virtutum oblitus, et inde multis vitiis iisque turpissimis ex sensualismo oriundis immersus; sed idem patet quoque ex hoc, quod res eo devenit ut jam ipsas mentes infecerit naturalisticæ doctrinæ virus, qua virtutes illæ ludibrio habentur et tamquam cum ratione naturaque humana pugnantes traducuntur. Hujusmodi insana perversorum hominum commenta ne memoranda quidem duceremus, nisi cohærerent cum universo systemate moderni naturalismi ac rationalismi, ex diametro oppositi doctrinæ et vitæ supernaturali quam Salvator Christus attulit in mundum, et nos habere, et abundantius habere voluit; et nisi constet latius serpere multorumque, etiam christianorum, animos plus minus inficere hujusmodi virus doctrinæ rationalisticæ, ita quidem ut hinc illinc in quibusdam regionibus vel ipsorum sacerdotum quorumdam mentes attingere visum sit, et imprudentibus inter juniores periculum facessere, quod recens adhuc denuntiavit in allocutione consistoriali supremus Ecclesiæ Pontifex.

Hujusmodi opinionum temerarii assertores vel et errorum magistri dogmata præcipua et mysteria fidei, ut Trinitatis, Incarnationis Domini, alia hujusmodi vix in se attingunt, utpote quæ non satis nova nec adeo digna habent quæ studiis prosequenda sint, cum tamen ea fundamentum sunt totius religionis revelatæ, et, testante verbo Dei, *hæc est vita æterna ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (1). Nec mirum si in his dogmatibus principibus, quoties ea attingere contingit, putida ignorantia laborare inveniuntur. Cæterum dogmata Ecclesiæ generatim suo genio ac modo apprehendere et explicare solent, nec raro pervertunt. Ipsam quoque notionem fidei divinæ adulterant, et ad vagum quemdam sensum religiosum reducunt, ita ut cuidam scepticismo in re religionis via lata pateat. In re morali, doctrinam communiter receptam et ab Ecclesia proponi solitam juxta moderna placita examini subjiciendam asserunt, doctrinam antiquam, qualis in universa Ecclesia docebatur, ut minus rectam traducentes.

---

(1) *Joan.*, XVII, 3.

Plerumque vero delectantur studiis magis novis, in re biblica et historica; ubi, arte critica abutentes vel ad rationalistas nimis accedunt, vix inspirationem divinorum librorum salvantes, vel et a quibusdam erroneæ philosophiæ systematibus, falsisque principiis ut de veritate relativa, etc. non satis abhorrent.

Porro, ab illis juniores quidam imprudenter seducti, dogmata quidem fidei inconcussa non retinere nollent; in aliis vero veritatibus admittendis, ubi major libertas est, et in delectu opinionum, ad extrema usque inclinantur, ea à priori amplecti parati, quæ magis a traditione antiqua recedunt, a sensu fidelium aliena videntur; a priori aspernantes quæcumque pie creduntur; et in practicis ad laxiora semper propendentes; ita ut stultam præsumptionem cum scientia confundere videantur. Quam longe hæc absunt a veri nominis scientia et sapientia, quam longe a virtute christiana et sacerdotali! Præterea hic affectus et animi habitus periculo plenus est superbiæ: ne scilicet auctoritas Ecclesiæ apud tales labefactetur; ne proni sint hujusmodi ad monita et doctrinam Episcoporum et ipsius supremi Doctoris spernenda aut flocci facienda, varia exquirentes effugia et prætextus, non esse infallibilem Episcopum, imo nec Pontificem supremum, quoties non supremo judicio definit. Immemores sunt hujusmodi temerarii homines dixisse Christum Apostolis eorumque successoribus: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (1); dixisse Spiritum Sanctum per os Pauli: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (2); Episcopos et supremum Ecclesiæ Doctorem, etiam cum non utitur suprema sua definiendi auctoritate, non esse magistros qualescumque, sed divino munere constitutos esse doctores et judices fidei, qui divina docent auctoritate.

Deo sint laudes et gratiæ, in nostra regione et in hac diœcesi hujusmodi temerarios et pertinaces non inveniri confidimus. Attamen periculum ubique subsistit, cum scripta hodiedum quovis locorum tam late et tam facile spargantur, et initium hujusmodi temeritatis, ni animo vere, saltem verbotenus, aliquando forsan audire contingit. Ideo

---

(1) *Luc.*, X, 16.
(2) *Act. Apost.*, XX, 28.

principiis obstare, omni qua possumus et debemus diligentia monendo voluimus.

*
* *

Misso longiore tractatu de obstaculis et periculis vitæ supernaturalis, jam ad ipsam illam vitam divinam oculos convertamus. Hæc vita quam celsa et sublimis sit, quam optabilis nobis, quam retinenda et fovenda, coram vobis, Reverendi admodum ac dilectissimi Domini, exponere supervacaneum ducimus. Hoc tamen a vobis, cunctisque sacerdotibus petimus instanter, ut sæpius coram fidelibus naturam et summum pretium hujus vitæ explicare velitis: quomodo summa bonitate et dignatione gratuita Deus voluit ad nos mittere nobisque dare Spiritum sanctum, quomodo summa Trinitas eumdem nobiscum uniat, qua unione toti immutamur et vere deiformes efficimur, dono quodam supernaturali ineffabili, non quidem substantiali sed accidentali, physico ac reali, gratia nempe sanctificante, consortes effecti naturæ ac vitæ divinæ, ita ut non jam servi sed vere filii Dei adoptivi constituamur, et, additis donis in intellectu et voluntate similiter supernaturalibus, præprimis fidei, spei, charitatis, vitam divinam vivamus, opera supernaturalia et divina faciamus, quibus vitam tandem æternam in divina visione et possessione promereri valeamus.

Præsens vero nostrum intentum est considerare breviter quomodo quibusve viis hanc vitam supernaturalem tum in nobis ipsis, tum in animabus nobis commissis servare, alere atque fovere debeamus.

Jamvero, quemadmodum vita naturalis servatur ac nutritur bene vivendo, agendo scilicet in omnibus et per omnia secundum ordinem et modum virium naturalium, exercendo juxta leges naturæ omnes facultates et vires, utendo alimonia ac nutrimento aptis: ita plane, vita supernaturalis custoditur, evolvitur, roboratur, vivendo supernaturaliter juxta fidei præscripta, exercendo debito ordine ac modo omnes facultates ac virtutes supernaturales, utendo mediis ac viis a Deo auctore gratiæ subministratis, et præprimis alimonia spirituali, scilicet divina Eucharistia. Ergo vivendo et agendo supernaturaliter, vitam divinam servamus atque fovemus. Quæ quidem propositio adeo manifesta et evidens, ut idem

per idem enuntiare videatur, maximi tamen momenti est et omni attentione digna. Nonne omnia salva sunt, si praxis, si exercitium religionis in parochiis nostris servetur? Nonne omnia nobis ipsis recta sunt, si quod mente credimus opere exercemus? Igitur ad hoc allaboremus omni ope atque opera ut frequentia populi sit et maneat in ecclesiis nostris, et præprimis ut usus saluberrimus Eucharistiæ succrescat. Ideo in prædicationibus nostris incessanter, in exercitiis spiritualibus et missionibus quam frequenter habendis, in scholis et congregationibus continuo adhortemur fideles ad frequentem atque quotidianam Communionem, ad assistentiam augustissimo sacrificio. Nos ipsi anhelemus quotidie ad altare ascendendum et indies majori cum fervore et puritate mentis sacrosanctam victimam offeramus. Quod toties jam et ad nauseam usque diximus, iterum audite et intelligite: sit oblatio sacrificii centrum vitæ nostræ, nihil aliud prorsus a dilectis sacerdotibus nostris petimus, hoc unum sufficit, quia cætera omnia secum fert, ad propriam sanctificationem et ad ædificationem Ecclesiæ Dei.

Nonne mirum est divinæ Providentiæ effectum, ut alias animadvertimus, quod nostris temporibus, ubi vita supernaturalis magis periclitari videtur, sancta Mater Ecclesia doctrinam de quotidiana communione tam diserte, tam obvie, tam instanter proposuit?

Igitur nihil non moveant, pro admirabili zelo suo, sacerdotes nostri, ut ipsimet litando ac communicando corpori et sanguini Christi quotidie vitam in se divinam usque servent et promoveant, ut fideles deinde omni via adducant ad frequentem, imo quotidianam assistentiam missæ et communionem; confraternitates SS. Sacramenti et SS. Cordis Jesu, adorationis perpetuæ, consociationem quotidianæ visitationis Sanctissimi, sodalitates quoque missæ reparatricis et quotidianæ missæ magis magisque foveant, et has quidem in pluribus jam parochiis florentes, in omnibus erigi et florere vehementer optamus. Quod quidem votum zelo vestro, Reverendi admodum ac dilectissimi Domini, tamquam nobis præprimis charum, et certe promissis ingentis fructus spiritualis fœcundissimum, finiendo hanc concionem, cum omni fiducia commendamus, eo vel magis quod instante mense Junio, SS. Cordis cultui dicato, opportunitas quam

maxima favebit, ut fideles ad fontem totius vitæ supernaturalis, Christum Eucharisticum, frequentes et ferventes adducantur.

I.

« Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Jesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Christifideles saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, » singulares indulgentias perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est. Sunt autem sequentes:

1° « Indulgentia plenaria *toties quoties*, applicabilis animabus defunctorum, *die 30 Junii, in ecclesiis in quibus mensis SS. Cordis fuerit celebratus.* »

Est indulgentia plenaria *ad instar Portiunculæ,* id est lucranda *toties quoties* opera iterabilia iterantur.

2° « Privilegium altaris Gregoriani *ad instar* pro eorum missa diei 30 Junii *prædicatoribus mensis SS. Cordis necnon rectoribus ecclesiarum,* ubi pium exercitium (mensis Junii) fuerit solemniter celebratum. »

3° « *Pro personis, quæ promovent pium exercitium,* indulgentia *500 dierum* lucranda per quodlibet earum opus bonum, quo intendunt propagare illud aut efficere ut melius peragatur; *indulgentia plenaria* pro earum Communionibus mensis Junii; quæ omnes indulgentiæ applicari possunt Animabus Sanctis purgatorii » (1).

Qui super has Indulgentias observationes practicas et scitu perutiles legere voluerit, has inveniet in Periodico nostro *Collationes Brugenses,* tom. XII, pp. 359 sq.

Mandavit insuper SS. Dnus Pius PP. X, per decretum *Urbis et Orbis*, de die 22 Augusti 1906, « ut singulis annis, memorato die festo (Sacratissimi Cordis Jesu), in omnibus parochialibus ecclesiis necnon in illis, in quibus idem festum agitur, coram SS. Sacramento publicæ adorationi exposito, formula consecrationis ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniæ in honorem SS. Cordis erunt adjiciendæ » (2).

---

(1) Hæc verba sunt ex textu Italico qui reperitur apud *Analecta ecclesiastica* XIV (1906), p. 408.

(2) Formula prædicta necnon litaniæ SS. Cordis reperiuntur, ut notum est, in *Libro manuali,* 2ª edit., pag. 106 et sqq.

« Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piæ ceremoniæ corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Præsenti in perpetuum valituro. »

Quæ præcedunt mandata et vota pontificia sedulo satagent exequi RR. DD. Parochi ac ea e suggestu tempestive communicabunt cum populo fideli, ut conentur omnes, monitis obsequentes paternis, integrum mensem Junium, divini Servatoris Cordi dicatum, pro Ecclesiæ ac patriæ bono, summo celebrare fervore. Ad hoc haud parum conducet propagatio per omnes familias christianas folii flandrici: *Viert de maand van het H. Hert van Jesus*, quod *Collationes Brugenses* ad calcem mensis Maii spargendum commendant.

II.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus a SS. Dno Pio PP. X sibi specialiter tributis, attenta Confessariorum in Diœcesi Brugensi inopia, per Rescriptum de die 2 Martii 1907, ad triennium valiturum, benigne annuit ut Christifideles in præfata Diœcesi commorantes, qui infra duas hebdomadas uniuscujusque mensis sacramentalem confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias eo temporis intervallo occurrentes, absque confessione pro singulis indulgentiis præscripta, lucrari possint ac valeant, dummodo cetera opera injuncta rite exequantur.

Exstat et longe pretiosius privilegium, intuitu communionis quotidianæ promovendæ populo fideli concessum: « Beatissimus Pater Pius X, — verba sunt decreti S. C. Indulgentiarum diei 14 Februarii 1906 (1), — omnibus Christifidelibus, qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant,

(1) Relatum apud *Collat. Brugenses*, tom. XI, p. 272.

præfato tamen f. r. Clementis PP. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariæ illius confessionis obligatione, quæ cæteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria exstaret. »

Vi hujus decreti, qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie communicare solent, non tenentur jam *in ordine ad lucrandas indulgentias*, confiteri singulis hebdomadis, uti requirebat Indultum Clementis XIII, neque singulis quindenis, prout exigunt Indulta pluribus Diœcesibus, et signanter nostræ Brugensi, concessa. Quandiu rite accedunt ad communionem quotidianam, tamdiu possunt frui indulgentiis, absque obligatione confessionis alias præscriptæ; et censentur, in ordine ad hunc favorem, habere consuetudinem communicandi quotidie, illi quoque qui *semel aut iterum per hebdomadam,* etiam habitualiter abstinent (1).

III.

Binis Rescriptis S. Congregationis Concilii, de die 22 Aprilis 1907, ad triennium, Episcopo Brugensi prorogata est facultas missarum perpetuarum onera suæ Diœcesis, tum nondum reducta reducendi, tum alias jam reducta iterum reducendi, justis scilicet de causis, « ac signanter propter diminutionem legatorum redituum, aut inopiam eorum qui ad onera implenda tenentur,... quoties nemo sit qui ad eleemosynæ supplementum de jure et utiliter cogi queat,... sub lege ut de missarum sic reductarum adimplemento coram Ordinario quotannis docere singuli indultarii teneantur ».

Auctoritate igitur apostolica et dummodo *exposita rationum momenta adhuc perdurent,* ad 22 Aprilis 1910 prorogamus reductiones, a Nobis aut Decessoribus nostris concessas, quin opus sit, dum ad finem vergit concessionis tempus, ad Nos dirigere actum authenticum reductionis, ut huic prorogatio inscribatur. Sufficiet, ad tramites concessionis pontificiæ, quotannis, exoneratis missis reductis, de earum adimplemento Nos doceant Parochi.

---

(1) Cf. tom. XII ejusdem periodici, p. 235.

IV.

Ex potestate nostra *quasi-ordinaria* delegamus omnes confessarios in diœcesi Brugensi admissos, pro territorio jurisdictionis suæ, ad dispensationem, in matrimoniis tam *contractis* quam *contrahendis*, super *occulto impedimento affinitatis illicitæ*, aut *criminis ex adulterio et fide data tantum, neutro machinante,* in actu sacramentali confessionis, servatis servandis, concedendam, dummodo urgens adsit necessitas et omnino desit tempus ad Nos recurrendi : remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat (1).

V.

In mentem revocamus præscriptum Ceremonialis Episcoporum (lib. II, cap. XXVII, n. 23), juxta quod, « debent moneri aliæ ecclesiæ civitatis, ne (Sabbato Sancto) pulsent campanas, *nisi prius audito signo campanarum Ecclesiæ Cathedralis.* »

Hoc autem juxta decreta in civitatibus vel oppidis ubi plures habentur ecclesiæ, etiam servandum est quoad ecclesiam matricem seu digniorem.

VI.

Præscribimus ut, decurrente mense Junio proximo, in omnibus parochiis eleemosynæ colligantur, *per domos* fidelium, pro ædificanda basilica nationali SS. Cordis Jesu. Quam quidem collectam faciat clerus per se vel per pias personas *(comité de zélateurs ou de zélatrices)*. Pecuniam collectam initio mensis Julii transmittent parochi ad R. adm. D. Decanum, ita ut ipse possit ante finem ejusdem mensis eam mittere ad aulam episcopalem.

VII.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt quinque :

1m Rollarii, Dominica, 4 Augusti, hora VIII vespertina.

---

(1) [Vide infra, p. 407, *Animadversiones* circa hanc facultatem.]

2m Brugis, Dominica, 18 Augusti, hora VII vespertina.

3m Poperingis, Dominica, 25 Augusti, hora VII vespertina.

4m Rollarii, Dominica, 15 Septembris, hora VIII vespertina.

5m Brugis, pro Professoribus, Dominica, 15 Septembris, hora VII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant. Mens autem nostra est ut nullus exercitantium, absque causa a præside probata ejusque licentia, discedat ante completum ultimum sacri secessus exercitium.

Brugis, 20 Maii 1907.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii

—

I

Paucis explica quomodo in rituali Levitico (Lev. I-VII) sacrificia dividantur ratione rei oblatæ et ratione finis intenti.

II

Expone notionem *indefectibilitatis* Ecclesiæ.

III

Explica differentiam legem æternam inter et naturalem.

IV

Præmissa distinctione inter habitum entitativum et operativum, explica quodnam sit subjectum habitus operativi in genere.

V

Utrum et quonam sensu communis notio *virtutis* recte definiatur: habitus operativus bonus.

VI

Expone argumenta quibus probatur decreta disciplinaria Concilii Tridentini contraria consuetudine abrogari posse.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Explica ep. Jud. 17-21.*

R. I. **Prænota.** In hac pericopa Judas exhortatur fideles 1° ut memores sint doctrinæ Apostolorum, qui pseudodoctores, in vv. 5-16 impugnatos, venturos esse prædixerunt (vv. 17-19); 2° ut veræ fidei inhæreant, seseque in Dei dilectione conservent, vitam æternam expectantes (vv. 20-21).

II. **Explicatio.** 17. *Vos autem charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.* 18. *Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.*

17. *Vos autem* (Ὑμεῖς δὲ opponitur v. οὗτοι v. 16) *charissimi* (nolite mirari hujusmodi *impios* exortos esse, sed) *memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis D. N. J. C. qui dicebant vobis* etc., sc. qui pseudodoctores, suprà (vv. 5-16) impugnatos, venturos esse prædixerunt, dicentes vobis etc. (gr. τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν ἀποστόλων... ὅτι ἔλεγον ὑμῖν). Invocat auctor v. 18 dictum e traditione orali desumptum, non autem testimonium apostolicum scriptum. Id liquet 1/ ex v. ἔλεγον quod = solebant dicere. Citationes enim scriptæ semper in tempore præsenti, aoristi vel perfecti, *nunquam* in t. imperfecto allegantur; 2/ ex pron. ὑμῖν quod individuam « Apostolorum » erga lectores relationem innuit, quæ non tantùm superflua, verùm etiam coacta esset, si testimonium *scriptum* allegaretur; 3/ ex pleonasmo vv. τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων... ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, quæ in testimonium scriptum minime qua-

drare videtur; 4/ ex præpos. προ in v. προειρημένων, quod plus valet quam εἴρηται, τὸ εἰρημένον etc. (1). Unde immeritò ex hoc textu concludunt WEIZSAECKER, KUEHL, HOLTZMANN, etc. ep. Jud. tempore postapostolico fuisse scriptam, quasi v. « Apostoli » jam auctoritatem scriptam i. e. canonicam et definitive clausam exhiberet. Neque inde deducere fas est auctorem v. τῶν ἀποστόλων integrum Apostolorum collegium designare, quasi Apostolorum epocha jam foret revoluta et quasi seipsum extra Apostolorum cœtum poneret. Art. τῶν ἀπ. hanc interpretationem non postulat: tantum plures determinatos Apostolos intelligendos vult, de quibus nempe verificabatur ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, quosque lectores rite cognoscebant. Non spatium temporale sed distantia localis (plures e dictis Apostolis extra Palæstinam prædicaverint) est quæ prædictos determinatos Apostolos velut cœtum quemdam exhibet, a quo cœtu Judas non necessario excludendus apparet (2). Judas se non ab Apostolis quidem, verùm ab Apostolis-prophetis secernit. Ita auctor II Pet. qui se Apostolum proclamat (I, 1, 3, 14, 16-18; III, 1, 15) scribit III, 2 « τῶν ἀποστόλων ὑμῶν »; Judas æquivalenter determinat Apostolos de quibus agitur, verbis: ὅτι ἔλεγον ὑμῖν. Supponamus plures Apostolos prophetiam v. 18 lectoribus revera annunciasse — quod nemo sane a priori negabit, — debebat Judas scribere ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, sive ipse Apostolus esset sive non (3).

---

(1) Inde elucet testimonium scriptum *II Pet.* III, 3 hîc non allegari, uti meritò notat KUEHL (*Die Briefe Petri und Judæ*, Göttingen 1897, p. 326): in hoc enim casu non scripsisset *ab Apostolis* in plurali. Quare nullo jure v. 19 invocari potest ad probandum ep. Judæ a II Petri pendere. Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Epistolæ Catholicæ*, Brugis 1907, p. 124 s.; — BELSER, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B. 1905, p. 662 s.

(2) Uti etiam ZAHN, *Einl. in das N. T.*, Leipzig 1907, p. 75 autumat.

(3) Vide præterea *Eph.* III, 5; *Apoc.* XVIII, 20; XXI, 14; *I Cor.* XV, 9-11. Cf. MAIER, *Der Judasbrief*, Freiburg i. B. 1906, p. 24 ss.; 86 s.; 140 ss., 162, 179 s.; *Zeits. für kathol. Theol.*, 1906, p. 703 ss.; — Cf. *Act.* XX, 29 s.; *I Tim.* IV, 1 et *II Tim.* III, 1-5.

18. Prophetia enunciatur. *In novissimo tempore* = in tempore quo instat parousia Christi et judicium (vv. 14-15). Cf. *Jac.* V, 3; *I Pet.* I, 20 et præsertim *I Jo.* II, 18 (1).

Illusores ἐμπαῖκται: Deum, religionem pietatemque irridentes; cf. *II Pet.* III, 2. — *Secundum desideria sua ambulantes* i. e. viventes juxta proprias suas concupiscentias (*II Pet.* III, 2 est eadem vox gr. ἐπιθυμίαι) pravas. *In impietatibus* gr. τῶν ἀσεβειῶν (v. 4): genit. originis seu auctoris, sc. concupiscentiæ pravæ, quibus in sua agendi ratione indulgent, ex omnigena (plurale των ἀσ.) eorum impietate ortum ducunt.

19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* — *Hi sunt* illi (εἰ) de quibus audivistis quod *segregant* (ἀποδιοριζόντες) i. e. quod dissidia faciunt in Ecclesia, *qui segregant semetipsos* a ceteris fidelibus, atque adeo factiones et schismata in Ecclesia excitant. *Semetipsos* deest in plerisque codicibus : sensus eodem recidit, sc. qui dissidia faciunt. In v. 12 jam dictum est eos seorsim a communi mensa agapas celebrasse : externe igitur ad Ecclesiam adhuc pertinebant.

Animales ψυχικοί: toti immersi in rebus sensibilibus et desideriis carnalibus (nam ψυχή hîc sicut apud s. Paulum significat principium vitæ animalis et sensibilis; cf. *I Cor.* II, 14, 15, 56); et proinde tales qui *Spiritum* sanctum *non habent* (πνεῦμα μὴ ἔχοντες) in cordibus suis, impulsum et gratiam Spiritus Sancti non sequuntur. Intelligi debere *Spiritum sanctum,* non autem principium vitæ intellectualis (quo sensu πνεῦμα frequenter apud s. Paulum occurrit), patet tùm e v. 20[b], tùm ex eo quod Judas hoc intellectuale principium pseudo-doctoribus denegare non potuisset. Plures auctores (2) in hoc v. 19 divisionem hominum in varias classes ad modum Gnosticorum adumbratam esse contendunt, adeoque episto-

(1) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 190 s.
(2) Weiss, Kuehl, Holtzmann, Pfleiderer, Harnack.

lam tempore postapostolico scriptam decernunt. Verùm nomina ψυχή, πνεῦμα, σάρξ, sicut et nomina adjectiva ψυχικός etc. inde derivata, a terminologia N. T. (*Heb.* IV, 14) in specie a s. Pauli glossario (*I Cor.* II, 13; III, 3; XV, 44-46 *I Thes.* V, 23) minime aliena sunt: nomina Paulus et Judas cum Gnosticis s^i II^i habent communia, non autem conceptus ipsos: hominum in varias classes divisio ad mentem Gnosticorum neque apud Paulum neque apud Judam reperitur (1).

20. *Vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes.* — *Vos autem, charissimi,* ut a pseudo doctoribus non seducamini (v. 19), *superædificate* i. e. firmiter fundetis *vosmetipsos super sanctissimæ fidei vestræ* (sensu objectivo; fidei vestræ christianæ, vobis traditæ, ità ut sensus subjectivus non omnino excludatur, uti e sequente monitione liquet), cum adjutorio *Spiritus sancti* (*Rom.* VIII, 26) *orantes.* Cf. *Col.* II, 7; *I Cor.* III, 10 ss.; *Eph.* II, 20; *I Thes.* V, 11. *Fides* est fundamentum ædificii nostri spiritualis; charitas verò (v. 21 *in dilectione Dei*) ad culmen perducit domum illam mysticam: inter utramque virtutem media est *spes* (*exspectantes*, etc.). S. Aug. (*Serm.* XXVII, 1): « Domus Dei... credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » — *Fides* vocatur *sanctissima*, utpote quæ divinæ est originis.

21. *Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.* — Atque ità *vosmeptisos in Dei dilectione servate in vitam æternam* idem est, quoad sensum, ac id quod dicitur v. 1: « in... Christo Jesu conservatis », nam Christus Jesus, utpote Deus-homo Redemptor, vitam

(1) Rite animadvertit Bigg, (*A critical and exegetical Commentary on the Epistles of St. Peter and St. Jude,* Edinburgh 1902, p. 339): « Thus his words (of Jude v. 20) have been twisted into an argument for the latter date of the Epistle. This, however is quite gratuitous ». Cf. Maier, *o. c.*, p. 13 ss.

æternam meruit atque largitur. *Dilectio Dei:* directe significatur charitas qua Deus eos diligit, unde statim loquitur de *misericordia Domini* erga ipsos; sed inseparabiliter connotatur dilectio qua ipsi vicissim Deum amant, quia una ab altera sejungi nequit (agitur enim de peculiari dilectione qua Deus afficitur erga justos, erga eos qui ipsum vere diligunt); præterea, utraque necessario adest in eo qui *exspectat misericordiam Domini* etc. *Misericordia* intelligitur benignitas Christi qua, ad judicium reversus, genuinos christianos æternùm beaturus est. Τὸ ἔλεος ordinarie Deo tribuitur, *I Pet.* I, 3; quandoque Deo et Christo, *I Tim.* I, 2; *II Tim.* I, 2; *II Jo* 3; hîc Christo soli, unde divinitas Christi hîc innui videtur. Obiter nota in vv. 20-21 clare exprimi tres ss. Trinitatis personas.

III. **Paraphrasis.** 17 *Vos autem charissimi*, (nolite mirari hujusmodi impios exortos esse, sed) *memores estote verborum* quibus *Apostoli Domini nostri Jesu Christi* eorum adventum *prædixerunt,* 18 *dicentes vobis:* « in novissimo *tempore* ante Christi parousiam *venient* pravi religionis ac pietatis *irrisores*, viventes *secundum* proprias suas concupiscentias ex omnigena eorum *impietate* ortas ». 19 *Hi sunt* illi viri impii qui dissidia faciunt in Ecclesia, *animales* seu toti immersi in rebus sensibilibus et desideriis carnalibus, et proinde tales qui *Spiritum sanctum* non habent. 20 *Vos autem charissimi,* (ut ab illis pseudodoctoribus non seducamini) firmiter fundetis vos *super* traditam vobis *fidem sanctissimam*, cum adjutorio *Spiritus sancti orantes*. 21 Atque ita curate ut *in dilectione Dei* perseveretis, et *vosmetipsos* animate *spe vitæ æternæ* quà *Dominus noster Jesus Christus* in sua *misericordia* tempore suæ parousiæ vestram constantiam remunerabitur (1).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Ceulemans, *Commentarius in Epistolas Catholicas et in Apocalypsim*, Mechliniæ 1904, p. 176 s.

II

Q. *An et cur judicium, ex quo procedit actus voluntatis meritorius de condigno, debet esse entitative supernaturale?*

R. I. **Prænotandum.** 1. Judicium, de quo hîc est sermo, est *judicium ultimum practicum*, quo discernitur hoc esse hîc et nunc agendum vel omittendum: est *dictamen conscientiæ,* ad quod judicium consequitur actus voluntatis correspondens judicio. Illud judicium præsupponit saltem unum aliud judicium, plus minusve generale, ex quo deducitur dictamen conscientiæ; possunt autem plura esse judicia quæ præcedunt judicium ultimum practicum: inter illa judicia, alia possunt ad fidem pertinere, alia ad scientiam naturaliter acquisitam, alia ad prudentiam. Judicium autem ultimum practicum non est actus *fidei:* nam fides est *adhæsio intellectus ad veritatem* propter auctoritatem Dei revelantis et fides est in intellectu *speculativo,* uti exponitur a S. Thoma (1): unde etiamsi Deus revelaret alicui hoc esse ipsi faciendum, et hoc crederet ille homo, nondum sibi *practice* præciperet: hoc est mihi faciendum.

2. Judicium autem *entitative* supernaturale est actus qui *physice* elevatur ad ordinem supernaturalem, h. e. *elicitur a facultate elevata* vel per *habitum* supernaturalem, vel per motionem supernaturalem *transeuntem* immissam a Deo.

II. Hisce præmissis, quæstioni propositæ respondemus *affirmative.*

Ratio autem est quia judicium ultimum practicum est *dispositio positiva* ad ipsum actum meritorium.

Demonstratio in forma sic proponitur: Omnis positiva dispositio ad actum meritorium est, in præsenti Providentiæ ordine, entitative supernaturalis; atqui illud

(1) *De Veritate,* Q. XIV, a. 4. Cf. I, Q. XIV, a. 16; SCHIFFINI, *De Gratia,* Friburgi Br. 1901, n. 372 ss.

judicium, de quo hîc est sermo, est dispositio positiva ad actum meritorium; ergo.

Declaratur *Major*. 1. Doctrina est fide tenenda quod nullus actus vere salutaris, h. e. quo positive tendit homo ad finem suum ultimum verum, fieri potest solis naturæ viribus, et quod omnis actus vere salutaris fieri debet *influxu gratiæ*. Hoc constat Ecclesiæ definitionibus: « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari id est evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu » (1). « Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit, anathema sit » (2).

Abstractione facta a quæstione utrum in illis testimoniis agatur de dono actuali vel habituali, hoc constat quod affirmatur *absoluta impossibilitas eliciendi actus salutaris absque influxu gratiæ:* ergo *physica necessitate* requiritur gratia, ergo actus, ut sit *salutaris*, debet esse physice, h. e. intrinsece, h. e., entitative supernaturalis (3).

Porro positiva dispositio ad actum meritorium est actus vere salutaris: est enim cogitare, aut affici quocumque modo, *ut expedit ad salutem:* actus enim meritorius de condigno est actus quo acquiritur jus ad æternam beatitudinem: ideo omnis cogitatio et omnis affectio, quæ positive influunt in actum meritorium, sunt vere salutares.

2. Major etiam confirmatur ex communi theologorum

---

(1) Conc. Arausic. II, can. 7. — DENZINGER, *Enchiridion*, n. 150.

(2) Conc. Trident., Sess. VI, can. 2. Id., o. c., n 694.

(3) Hæc conclusio non est ab Ecclesia definita; sed videtur saltem certa. Cf. HURTER, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Œniponte, 1896, t. III, n. 35; *Collat. Brug.*, t. IV, p. 19.

sententia quæ tenet judicium credibilitatis, quod præcedit ipsum actum fidei, esse debere *supernaturale:* quia est positiva dispositio ad actum supernaturalem (1).

3. Tandem demonstratur major ex ratione theologica. Etenim dispositio positiva ad aliquem actum debet esse huic actui proportionata, seu in eodem ordine cum illo actu: secus posset homo agere supra vires suas. Atqui actus meritorius de condigno est entitative supernaturalis (2); ergo talis esse debet positiva dispositio ad illum actum.

Minor declaratur. Judicium, de quo hic est sermo, illud est quo homo sibi practice præcipit: hoc est mihi nunc faciendum, et ad quod consequitur ipse actus voluntatis meritorius (3): illo igitur judicio redditur homo actualiter idoneus ad recte agendum, quatenus ad illud intellectus judicium connaturaliter sequitur ipse actus voluntatis, illo judicio practice præceptus. Ergo illud judicium est positiva, imo et proxima, dispositio (4) ad actum meritorium.

Nota. 1. In homine justificato, de quo solo est sermo quando agitur de actu meritorio *de condigno*, illud judicium practicum elicitur virtute *prudentiæ* infusæ: hujus enim virtutis est regulare praxim omnium virtutum et principalis ejus actus est præcipere quid hic et nunc sit agendum (5).

2. Illud judicium *non ideo* debet esse entitative supernaturale ut *efficiat* supernaturalem actum voluntatis sequentem: hic enim actus efficitur supernaturalis alia virtute infusa, distincta a prudentia: ratio vero cur

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. III, p. 2 et 65.

(2) V. suprà, p. 99.

(3) Idem dicendum est de judicio practico quo homo statuit *sibi hoc esse faciendum tali momento adhuc futuro.*

(4) De positiva dispositione, cf. *Collat. Brug.*, t IV, p. 325.

(5) Cf. S. Thomas, II-IIæ, Q. XLVII, a. 8; Illmus ac Revmus Waffelaert, *De Prudentia*, n. 4 ss.; *Collat. Brug.*, T. VI, p. 409; Billot, *De Virtutibus infusis*, Romæ, 1901, p. 148.

illud judicium debeat esse entitative supernaturale est quia, quum sit positiva dispositio ad actum supernaturalem, debet esse in eodem ordine cum ipso.

3. Nec supernaturalis est, ut videtur, actus *memoriæ* quo quis meminit sibi hîc et nunc adimplendum esse propositum antea factum: v. gr. si quis mane sibi statuit se hora 11ª visitaturum esse Sanctissimum, et hora 11ª revera meminit sibi hoc esse faciendum: ille actus memoriæ est quidem actualis cognitio judicii antea facti, et quatenus est antea factum, sed hæc actualis cognitio non est positiva dispositio ad actum *virtutis*, formaliter quatenus est *virtutis* actus.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Titius viduus matrimonium init cum Titia vidua, cujus filia Bertha nubit Carolo, filio Titii. — Carolo mortuo et Titia defuncta, Titius nuptias inire ambit cum præfata Bertha.*

Expone quodnam obstet et undenam oriatur impedimentum: 1/ matrimonio Caroli cum Bertha; 2/ matrimonio Titii cum Bertha.

R. **Ad I:**

Nullum obstat impedimentum matrimonio ineundo inter Carolum et Bertham; inter illos nempe non occurrit affinitatis impedimentum, cui soli in casu posset esse locus.

Et sane hæc dumtaxat affinitas (1), juxta præsentem disciplinam, inducit impedimentum matrimonii, quæ intercedit inter unam personam quæ copulam habuit et consanguineos alterius, et vicissim, adeo ut matrimonium nullatenus dirimatur inter consanguineos unius

(1) Affinitas est propinquitas inter duas personas exoriens ex copula carnali, sive matrimoniali sive extramatrimoniali.

partis et consanguineos alterius partis, neque inter unam partem et alterius affines. Quo pacto Titius quidem contraxit affinitatis impedimentum cum Bertha, filia uxoris, uti dicetur sub II, non autem consanguinei Titii, nec adeo Carolus ejus filius.

Ad II:

Matrimonio celebrando inter Titium et Bertham *duplex* obstat impedimentum *affinitatis licitæ in primo gradu lineæ rectæ:* unum, ratione copulæ matrimonialis habitæ a Titio cum matre Berthæ, et alterum, ratione copulæ conjugalis habitæ inter Bertham et Carolum Titii filium.

Nota. 1°/ Sub II supponimus matrimonium inter Titium et Titiam, necnon inter Carolum et Bertham fuisse *consummatum;* secus non adesset affinitas, quam ex copula carnali oriri vidimus, sed sola publica honestas. Hæc nimirum exsurgit ex matrimonio rato non consummato; manet quidem post matrimonii consummationem, sed « quoties existit affinitas inter eos gradus, inter quos adest etiam publica honestas, sufficit petere dispensationem in affinitate, quum ex hac tunc noscatur illa adesse, quia in ea includitur » (1).

2°/ In memoriam revocatur monitum insertum apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 121 s., quatenus frustrà sollicetur dispensatio super affinitate *licita* in *linea recta*, signanter in primo gradu.

3°/ *Sub antiquo jure Decretalium*, ante Concilium Lateranense quartum, latius extendebatur impedimentum affinitatis, admissa in jure *triplicis generis* affinitate, et extensa etiam matrimonii prohibitione ad quamdam pseudo-affinitatem, quam vocabant Decretalistæ *de sobole ex secundis nuptiis:*

a/ Affinitas *primi generis* est illa in præsentibus adhuc vigens, quæ, ante dictum Concilium Lateranense, in pluribus saltem regionibus, urgebatur ad *septimum* usque gradum.

---

(1) Feye, *De Impedimentis matrimonii*, 1893, n. 395.

b/ Affinitas *secundi generis* est propinquitas existens inter unam partem copulam habentem et affines in primo genere alterius partis concumbentis (1); dirimebat matrimonium usque ad *tertium* gradum, illud autem merè prohibebat in *quarto* (2).

c/ Affinitas *tertii generis* est propinquitas existens inter unam partem copulam exercentem et alterius partis affines in secundo genere (3); non excedebat autem, in matrimonio dirimendo, *secundum* gradum (4). Affinitas 2i et 3i generis consequebatur, non secus ac affinitas 1i generis, tam copulam fornicariam quam copulam conjugalem.

d/ « Enfin une dernière sorte d'affinité avait été reconnue. Lorsqu'une femme, devenue veuve contractait une nouvelle union, non seulement elle restait l'alliée des parents de son premier mari et transmettait cette qualité à son second époux, mais encore les enfants nés du second mariage ne pouvaient pas contracter mariage avec les parents du premier mari jusqu'au *quatrième* degré de parenté » (5).

---

(1) « Lorsque l'une de deux personnes unies par l'alliance (in 1° genere) se mariait ou se remariait, son conjoint entrait dans le même rapport qu'elle-même, quant à ses premiers alliés. Il résultait de là que le mari, par exemple, avait pour alliés non seulement tous les parents de sa femme, mais encore les conjoints de ceux-ci. Jure canonico les maris de deux sœurs étaient alliés entr'eux, ainsi que les femmes de deux frères .. C'était là le *secundum genus affinitatis* ». Esmein, *Le mariage en droit Canonique*, 1891, t. I, p. 379.

(2) c. 3 et 12, C. XXXV, II, cf. Esmein, l. c.

(3) « Le *tertium genus* supposait une hypothèse encore plus compliquée. Un parent de ma femme s'étant marié, son conjoint était devenu mon allié secundi generis. Si maintenant, rendu libre par la mort du parent de ma femme, ce conjoint survivant contractait un second mariage et le consommait, par l'effet de l'unitas carnis, il transmettait à son second conjoint la qualité d'allié qu'il avait par rapport à moi; le second conjoint devenait mon allié tertio genere affinitatis ». Esmein, *o. c.*, p. 380 s.

(4) Dictum ad c. 21, C. XXXV, II; cf. Esmein, l. c.

(5) Ibidem, p. 381, ubi advertit in hoc casu non agi de vera affinitate, cum non oriatur ratione copulæ sed ratione generationis, et sic contradicit principio: affinitas non *parit* affinitatem ».

Concilium Lateranense IV sustulit 2m et 3m genus affinitatis e numero impedimentorum, ac etiam prohibitionem de sobole ex secundis nuptiis, impedimentum autem affinitatis ex primo genere reduxit ad *quartum* inclusive gradum (1).

Circa hoc jus antiquum cf. præ cæteris Esmein ll. cc. et Freisen (2).

V (3)

Q. *Caius, vivente uxore, adulteratur cum Paula, eique promittit matrimonium post mortem uxoris ineundum: quod ut citius contrahere valeant, communi consilio, veneno interimunt Caii uxorem.*

Determina quot et ex quonam capite præsto sint impedimenta matrimonii inter Caium et Paulam.

R. Datur *duplex* ac probabiliter etiam *triplex* impedimentum criminis:

Primum, ratione adulterii conjuncti cum promissione matrimonii. Supponitur autem a/ adulterium fuisse formale et in sua specie perfectum, per copulam de se aptam generationi; b/ promissionem ab una parte factam ab altera parte fuisse acceptatam, ac etiam mutuam (4); c/ tam adulterium esse commissum quam

(1) C. 8. X, IV, 14: « Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo, et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, et difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, cum cessante prohibitione cesset effectus: constitutiones super hoc editas sacri approbatione concilii revocantes, præsenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur. Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari ».

(2) *Geschichte des Canonischen Eherechts,* Paderborn, 1893, pp. 474-494.

(3) Cf. apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 234 ss., responsum ad IVm quæstionem, ex inadvertentia bis positam.

(4) *Mutua* promissio matrimonii requiritur, juxta expressam mentem Episcopi, ad constituendum, in diœcesi Brugensi, *casum reservatum,* qui

promissionem esse factam stante utriusque partis scientia circa unius ejusdemque Caii matrimonium.

Secundum, ratione adulterii conjuncti cum uxoricidio ex alterutrius machinatione: supponitur mors reipsa illata.

Tertium, ratione conjugicidii utroque machinante: qua utriusque partis machinatione inducitur, absque adulterio, criminis impedimentum. Supponitur rursus mortem ex utriusque machinatione esse effectu secutam.

Existentiæ hujus tertii impedimenti, de quo silent Auctores (1) vel quod, in data hypothesi, videntur excludere, favet quod, posito adulterio cum matrimonii promissione ac conjugicidio ab *una* parte patrato, duplex jam adest impedimentum, adeo ut, in sententia tertium hoc impedimentum excludente, impertinens esset dicenda illa circumstantia criminosa, quod ab *utraque* parte homicidium sit commissum.

Equidem crimen ex tertio capite exsurgens non est *adæquate* distinctum a secundo impedimento, cum non constituatur nisi ope elementi jam ingredientis secundum illud impedimentum, machinationis scilicet unius partis; atvero idem obtinet pro secundo impedimento respectu primi, siquidem utrumque partim constituitur adulterio.

Cæterùm, quidquid sit, etiamsi admittatur, ex utriusque præ alterutrius machinatione, non multiplicari, in casu, criminis impedimentum, saltem illa circumstantia foret inserenda in supplici libello pro obtinenda dispensatione.

---

describitur in *Libello*, n. 6: « adulterium, quoties est impedimentum criminis dirimens matrimonium ». Ipsum autem impedimentum, ut exsurgat, probabiliter requirit mutuam promissionem, uti ostendit WERNZ, *Jus Decretalium*, IV, n. 524, in nota (38). Cæterùm practice passim erit promissio mutua quando est ab una parte facta et ab altera acceptata.

(1) Cf. VAN DE BURGT, *Tractatus de Dispensationibus*, n 26; FRYE, *De Imped. matrim.*, n. 455; ROSSET, *De Sacramento matrimonii*, III, n. 2062; GASPARRI, *Tractat. canon de matrimonio*, I, n. 561; LEHMKUHL, *Theol. mor.*, II, n. 769.

Nota. In responso attendimus hypothesim qua solus Caius esset matrimonio junctus, hujus matrimonii conscia complice Paula. Quodsi simul Paula esset conjugata, et utriusque matrimonium esset mutuò notum, ex hoc capite novum accederet impedimentum, imo eo ipso duplicaretur numerus impedimentorum descriptorum, si, circa hoc alterum matrimonium, verificantur singulæ conditiones suprà enumeratæ, si nempe complices, positis adulterio et matrimonii promissione, communi consilio non tantùm uxori Caii sed etiam viro Paulæ mortem intulerint.

A. De Smet.

VI

Q. *Quomodo absolvenda est cæremonia communionis infirmorum tum in cubiculo ægroti tum in ecclesia.*

R. Cum Rituali Rom. IV, IV, 20 ss. et 24, duplicem distinguimus hypothesim.

I. *Si particula Sacramenti superfuerit (superesse autem* regulariter *debet),* sacerdos recitata oratione **Domine sancte,** depositum (1) humerale reassumit, *genuflectit* Sacramento, *surgit et accipiens vas cum Sacramento,* quod extremitate veli humeralis totaliter tegit (2), *facit cum SS. Sacramento signum crucis super* seu versus *infirmum, nihil dicens.*

2. *Reverenter Sacramentum deferens, ordine quo venerat, revertitur ad ecclesiam, dicendo Psalmum* **Laudate Dominum de cœlis** *etc. et alios psalmos et hymnos,* v. g. ex Laudibus officii Dominicæ, *prout tempus feret.*

Optime ad rem monebat Pastorale Brugense, *De Viatico,* X: « Inter eundum caveat ne vagos oculos huc

---

(1) Cf. *Collat. Brug*, t. X, p. 336.

(2) Hoc disertis verbis injungitur a Rituali, IV, IV, 9. Qua de re etiam vide decreta S. R. C. 23 Febr. 1839, *Meliten.*, n. 2786[1] ; 12 Jul. 1892, *Romana,* n. 3780[1] ; 21 Febr. 1896, *Platien.* n. 3888[3] , quæ citata reperies in Calendario liturgico hujusce anni 1907, p. 85.

illucque conjiciat aut fabuletur; sed caute, reverenter et graviter incedat, cœlestemque illum thesaurum quem manibus gestat, devota mente contempletur et linguam mentemque precando exerceat dicendo psalmos ».

Procedat oportet « *nudo capite* » ex præscripto Ritualis (n. 9) et plurium decretorum (1). Sed vi indulti pontificii a S. R. C. die 7 Martii 1903 obtenti, et decreti episcopalis diei 12 Junii subsequentis (2), conceditur sacerdotibus diœcesis Brugensis ut, tam in civitatibus quam ruri, SS. Sacramentum ad infirmos deferre possint capite contecto pileolo parvo — minime vero bireto — « quoties necessitas id postulaverit », ne cogantur « tum hiemali tempore ob frigus et aëris inclementiam, tum tempore æstivo ob nimium radiorum solis ardorem haud leve subire valetudinis detrimentum ». Qua benigna concessione jam universim tollitur ratio excusans a legis observantia, nec est cur Sanctissimum illud Sacramentum deferatur a sacerdote capite tecto *bireto*.

3. *Cum pervenerit ad ecclesiam,* ascendit gradus altaris anteriores, *ponit Sacramentum* super *altaris* mensa, supposito corporali, *adorat* h. e. genuflectit unico genu, et parumper se retrahens in cornu evangelii ne terga vertat Sacramento, descendit (3) et genuflexus in infimo gradu, recitat ℣. **Panem de cœlo... ℟. Omne delectamentum... ℣. Dominus... ℟. Et cum...** (4). Et assurgens recitat orationem consuetam SS. Sacramenti **Deus qui nobis,** etiam tempore paschali (5). Quod si

---

(1) S. R. C. nn. 1931 et 3276[2].

(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 423.

(3) Juxta rigorem principiorum et auctores, deberet deponi humerale. Verum, hoc omitti posse censemus, ratione brevitatis temporis depositionis.

(4) Vel, juxta alios, hos versiculos recitat stans ante infimum gradum.

(5) Tempore paschali post communionem in ecclesia dispensatam extra missam, recitanda est oratio **Spiritum nobis Domine,** quæ est Postcommunio Missæ vigiliæ et diei Paschatis. Hæc autem oratio nec injungitur nec permittitur post communionem infirmorum. Et reflectenti

plures v. g. in solemni administratione generali infirmorum, comitati fuerint SS. Sacramentum, sacerdos se vertens ad populum extra medium, ex parte cornu evangelii *annuntiat indulgentias a summis Pontificibus concessas SS. Sacramentum comitantibus* (1).

Ascendit altare, genuflectit, accipit pyxidem et se vertens per dexteram suam *cum Sacramento in pyxide, velo* suo et extremitate veli humeralis *cooperta*, benedicit populum *faciens signum crucis super populum, nihil dicens.*

Conversus ad altare (melius per dexteram suam) reponit pyxidem in tabernaculo, illudque facta genuflexione in plano, claudit et recedit ad sacristiam.

Tota hæc cæremonia in ecclesia omittitur si SS. Eucharistia sit deferenda ad infirmos in Hebdomada Sancta a feria V post missam usque ad missam Sabbati Sancti. Sicut enim « in publica ecclesia non debet recondi » SS. Sacramentum, ita cum illo non debet benedici populus (2).

Notatu dignum est præfatam cæremoniam in ecclesia substantialiter eamdem esse ac modum terminandi processionem Corporis Domini aut quamcumque processionem SS. Sacramenti : utrimque eadem delatio et depositio Venerabilis, eædem preces ante benedictio-

---

ratio patet. In hac enim Postcommunione petitur ut communicantes sint divina pietate *concordes:* quod sane supponit esse plures communicantes ut solet esse in ecclesia, sed non verificatur in communione infirmi.

(1) In administratione *Viatici*: a/ indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum iis qui cum lumine, 5 vero annorum et totidem quadragenarum iis qui sine lumine Sanctissimum comitati sunt; tandem 3 annorum et 3 quadragenarum iis qui legitime impediti alium quemdam sibi substituerunt. Ad præfatas indulgentias acquirendas oportet orare ad intentiones Summi Pontificis. — Iis qui comitantur SS. Sacramentum delatum *ad infirmos devotionis causa,* conceditur indulgentia 200 dierum. Qui vero Illud comitantur aliis in adjunctis lucrantur indulgentiam 100 dierum (*Raccolta,* p. 115). — Si fideles non associentur delationi SS. Sacramenti, non quidem præscribitur dicto momento indulgentias annuntiare, sed proficuum esset eos ad hunc devotionis actum allicere publicando identidem in concione indulgentias concessas.

(2) S. R. C. 15 Mai 1745, n. 2383.

nem, idem ritus benedicendi populum sub silentio. Quæ etiam servantur in aliis benedictionibus SS. Sacramenti juxta ritum romanum. Discrepantiæ sunt tantum quoad solemnitatem cantus, incensi, ministrorum.

II. *Quod si ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non potest,* puta noctu, aut tempore procelloso, *sumpta fuerit una tantum particula consecrata* (1), *tunc ea infirmo administrata, sacerdos, prædictis precibus recitatis* usque ad orationem **Domine sancte** inclusive, *infirmum manu benedicit* dicens (2) et quidem in singulari (3) (nisi sint plures infirmi): **Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te...** Tunc *una cum aliis, privato habitu, exstinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad ecclesiam vel domum quisque suam revertitur.*

Cur adhibenda est formula quædam a sacerdote qui *manu* benedicit, dum tamen benedictio *cum SS. Sacramento* semper danda est sub silentio? Quia in ultimo casu Christus realiter præsens Ipse per se benedicit, dum in altero sacerdos nomine Dei benedicens, a Deo efflagitat efficaciam benedictionis quam ipse ut minister Dei impertitur.

Si una tantum particula allata fuerit, parva pyxis vel purificanda est, absque aqua et vino, ope indicis colligendo fragmenta in aquam in qua abluuntur digiti, vel secus pyxis super corporali in tabernaculo ecclesiæ servanda est usque ad missam sequentem (4).

C. Callewaert.

---

(1) Qua de re cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 293 ss.; 527. Quod infirmus habitet extra ambitum domorum circa ecclesiam collectarum, non est per se ratio sufficiens ut una tantum deferatur particula.

(2) Rit. Rom., IV, II, 9. De modo cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 97.

(3) Ad normam decr. S. R. C. 16 Nov. 1906, ad III, suprà p. 144 et 146.

(4) Cf. Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, p. 221.

Animadversiones

circa facultatem confessariis concessam dispensandi super impedimentis affinitatis illicitæ et criminis.

Præter facultatem qua *parochi*, in diœcesi Brugensi, inde ab anno 1896, habitualiter gaudent dispensandi cum suis subditis super affinitate illicita, in ordine ad matrimonium contrahendum, quando deest tempus recurrendi ad S. Sedem (1), nuperrime, tenore decreti prosynodalis suprà p. 387 inserti, amplissimam omnibus *confessariis* benigne concedendam censuit Episcopus Brugensis potestatem dispensandi super impedimentis affinitatis illicitæ et criminis: quam facultatem brevi commentario illustrare juvat.

I. Est facultas ab Episcopo delegata vi potestatis *quàsi-ordinariæ,* qua nempe potestate gaudet Episcopus, in casu urgenti, ex tacito consensu S. Sedis, quemadmodùm infrà dicetur, et quam cum aliis communicare valet, non modò pro casu particulari, sed etiam habitualiter.

Indolem hujus potestatis quasi-ordinariæ ejusque extensionem latius descripsimus apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 474 s. et 536 ss., ubi signanter notavimus vi illius potestatis non posse dispensari nisi *pro foro conscientiæ tantùm:* unde sequitur dispensationes concessas ab illo qui delegatur vi potestatis quasi-ordinariæ non prodesse pro foro externo; imo, uti expressè inseritur in concessionis tenore, restringitur præsentis facultatis exercitium *ad actum sacramentalis confessionis.*

II. Est facultas dispensandi 1°/ super impedimento *affinitatis illicitæ,* in quocumque gradu et in quacumque linea; 2°/ super impedimento *criminis* orto ex adulterio

(1) Refertur textus, simul cum explicatione subnexa apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 381 et ss.

cum promissione matrimonii post mortem conjugis ineundi, seposita omni machinatione mortis.

Non refert a/ ad usum facultatis quod *multiplex* adsit impedimentum affinitatis, puta ex eo quod quis cum duabus sororibus sponsæ peccaverit, vel cum persona sponsæ suæ multipliciter consanguinea; aut multiplex impedimentum criminis, ex eo quod utraque pars matrimonio sit juncta, quodque adeo crimen duplici matrimonio sit injuriosum.

Censetur tamen concessio ab Episcopo facta non extendi ad casum quo *concurrit* utrumque impedimentum (1): in tenore namque ad invicem junguntur impedimenta per vocem « aut », ac cæteroquin omninò peculiaris est potestas cumulative dispensandi, quæ non est præsumenda (2).

Non refert b/ quod agatur de matrimoniis *contrahendis* vel de matrimoniis *contractis* convalidandis. Quod autem spectat matrimonia contracta convalidanda, attende restrictiones positas apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 537 s., quatenus oporteat ut matrimonium fuerit adhibitis solemnitatibus celebratum, et bona fide initum, saltem ex parte illius pseudo-conjugis, in cujus gratiam dispensatur.

III. Exercitium facultatis alligatur triplici conditioni; postulatur nempe:

1°/ ut impedimentum, sive affinitatis sive criminis, sit facto *occultum,* attenta notione data apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 415 ss.

2°/ ut casus sit *urgens,* et adeo quidem urgens ut desit tempus ad *Episcopum* recurrendi, sive personaliter sive per litteras eum adeundo (3).

---

(1) Non est dubium quin ipse Episcopus posset cumulative dispensare, atque etiam eamdem potestatem *posset* aliis delegare. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 544.

(2) Cf. *Collat. Brug*, t. V, p 483 s., et p. 609 s.

(3) Si Episcopus adiri nequit nec personaliter nec per litteras, etiamsi ad eum recurri posset ope *telegrammatis,* equidem censetur casus urgens, et locus est facultatis exercitio, quia hæc via telegraphica plane extraordinaria est et nonnisi in extremis adhibenda.

Porro casus urgens facilè obtinet vel in ordine ad matrimonium *contrahendum*, quando, brevi ante nuptias celebrandas, in confessione accusatur peccatum alterutrum impedimentum inducens; vel in ordine ad matrimonium *contractum* convalidandum, quando reperitur una pars nullitatis matrimonii conscia, altera autem versatur in bona fide nec de nullitate certiorari potest.

3°/ ut, ubi agitur de affinitate illicita in 1° gradu lineæ rectæ, copula habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat: sic obviatur periculo ne matrimonium ineatur inter patrem naturalem ejusque propriam filiam.

IV. Descripta facultas conceditur omnibus *confessariis* in diœcesi admissis, sive jurisdictionem fori interni acceperint ordinariam, sive delegatam cum approbatione. Eam autem exercere possunt cum omnibus pœnitentibus *diœcesanis* ad confessionem accedentibus *infra limites territorii jurisdictionis respectivi.*

Parochi igitur possunt dispensare cum parochianis *ubicumque;* non-parochi, vel parochi respectu non-parochianorum, dispensare valent per universam diœcesim, si sint decani, reliqui vero in parochia sua, in decanatu et in omnibus communitatibus alterius decanatus suæ communitati conterminis; excipe si quis ampliori jurisdictione ex speciali concessione fuerit instructus.

Dicitur: « cum *diœcesanis* », seu cum pœnitentibus qui domicilium acquisierunt vel quasi-domicilium intra fines diœceseos, vel ibidem vagi existunt, ad exclusionem peregrinorum ex alia diœcesi advenientium : ipsius namque Episcopi potestas quasi-ordinaria non extenditur ultra proprios subditos, ac proinde non valet eam ultra delegatione communicare. Sufficit autem ut illa pars cum qua directe dispensatur (1) sit Episcopi subdita. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 476 s.

(1) Attendas directe esse dispensandum, vi facultatis præsentis, super affinitate illicita, cum parte *noxia*, uti exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 681.

V. Uti ex dictis liquet, non parùm immutata est, in nostra diœcesi, œconomia hucusque vigens circa dispensationes in casu urgenti impertiendas, et admodum ampliatum est facultatum exercitium. Restricta nimirum hucusque erat potestas dispensandi ad solos *parochos,* qui ipsi non poterant dispensare nisi cum propriis *parochianis* (1), super *sola affinitate* illicita, in matrimonio *contrahendo* dumtaxat.

Et profectò non immeritò latius extensa est potestas dispensandi; in hoc namque unicum remedium est efficax ad vitandam frequentiam casus perplexi, quam frequentiam vel ex eo adaugeri cernimus quod nostris diebus operarii non pauci pridie tantùm, aut etiam ipsa die nuptiarum, confessuri accedant: vix nempe unquam opportunum est ut a confessario non parocho ad parochum remittatur pœnitens impedimento obnoxius, sive propter ipsius pœnitentis reluctantiam, sive ob periculum lædendi sigillum (2); ab ipsius cæteroquin parochi potestate excludebatur impedimentum criminis.

Hæc autem necessitas casus perplexi frequentiæ efficaciter providendi est præcise ratio legitimans usum potestatis quasi-ordinariæ Episcopi: nonnisi enim ad hanc potestatem recurrendo potest Episcopus facultatem dispensandi dicta amplitudine elargiri, cum, vi potestatis delegatæ in Quinquennalibus S. Pœnitentiariæ, non valeat Ordinarius habitualiter subdelegare nisi solos parochos, idque infra limites suprà descriptos (3).

Illud cæteroquin jus Episcopi, vi potestatis quasi-ordinariæ, concedendi facultatem dispensandi, necessitate cogente, ultra limites potestatis delegatæ, illud,

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 612; t. X, p. 694.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 612; t. VI, p. 553 s.; t. VIII, p. 189.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 381 ss.; t. V, p. 662 et t. VII, p. 106 s. Confessarios non parochos potest Episcopus subdelegare, vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ, pro omnibus facultatibus quibus ipse gaudet, sed in casu particulari tantùm, vel, si habitualiter, exceptionaliter dumtaxat, et pro determinato tempore.

inquam, jus agnoscunt Auctores non pauci (1); similis etiam disciplina inducta est in diœcesim Engolismensem (2) et Ratisbonensem (3).

VI. Præsens concessio non irritat memoratam facultatem hucusque parochis competentem, ejusque usui, etiam sub nova disciplina, non deest locus. Id signanter obtinet quando tempus quidem subest recurrendi ad Episcopum, omnia tamen parata sunt ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri potest: ad hunc namque casum vidimus extendi facultatem anni 1896, minimè vero novissimam concessionem.

Quinimo, etiam ubi utraque facultas suffragatur parochis, deficiente scilicet tempore etiam Episcopum adeundi, uti debent, in quantum possunt, potestate olim impertita: hæc est enim facultas quam ipsis concessit Episcopus ex potestate delegata a S. Sede, et Episcopus non potest adhibere potestatem quasi-ordinariam, nec eam cum aliis communicare, pro eo casu pro quo ipsi præsto est facultas delegata: « quotiescumque scilicet, uti diximus apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 544, verbis utendo Feye, Episcopus expresse delegatam facultatem habet, quasi-ordinaria, quæ ex præsumpto vel tacito consensu Pontificio repeti solet, cessare videtur in eo foro et casu pro quo delegata fuit concessa ».

Ubicumque ergo agitur de dispensatione danda super affinitate illicita, cum propriis subditis, in ordine ad

(1) PLANCHARD, *Dispenses matrimoniales*, Angoulême, 1882, n 552; ROSSET, *De Sacramento matrimonii*, 1895, t. IV, n. 2404; WERNZ, *Jus Decretalium*, Romæ, IV, n. 619, not. 87; LEITNER, *Lehrbuch des katholischen Ehercechts*, Paderborn, 1902, p. 507; ROUSSEAU, *Renseignements pratiques sur la législation canonique du mariage*, Paris, Lethielleux, 1905, p. 92 s.; MARC, *Institutiones morales*, n. 2026 et 2048, in hoc sequens S ALPHONSUM, *Theol. moralis*, l. VI, n. 613 et 1125.

(2) Cf. ROUSSEAU, l. c.

(3) Cf. LEITNER, l. c.

matrimonium contrahendum, parochi uti debent potestate olim ipsis delegata; vi autem novæ concessionis dispensare possunt super impedimento criminis, vel etiam super affinitate illicita, cum non-parochianis, vel etiam, cum propriis subditis, in ordine ad matrimonium *contractum* convalidandum (1).

VII. Quod attinet *modum exequendi* dispensationem, hæc notasse sufficiat:

1° Curabit confessarius ut omnes clausulæ præscriptæ observentur, signanter circa removendam occasionem peccandi et pœnitentiam injungendam. Excepta autem sacramentali confessione, post absolutionem a censuris ad effectum et juridicam, ubi opus est (2), pœnitentem rite dispositum sacramentaliter absolvet a peccatis; quodsi absolutio sacramentalis sit differenda, potest tamen confessarius, præmissa absolutione a censuris, ad dispensationem procedere.

2°/ *Formula* pro *absolutione a censuris* potest adhiberi illa quæ præscribitur absolutioni sacramentali præmittenda, quæ formula continet absolutionem a censuris ad effectum simul ac absolutionem absolutam a censuris ad quas præsto est specialis facultas (3).

Formula dispensationis sit a/ super *affinitate illicita:* « Auctoritate ab Episcopo mihi specialiter delegata (4) dispenso tecum super impedimento affinitatis illicitæ... (indicetur gradus et provenientia), ut, eo non obstante,

---

(1) Practice vix refert utrum parochi dispensent vi facultatis subdelegatæ anni 1896, utrum vero vi novæ facultatis ex potestate quasi-ordinaria delegatæ, cum utrimque eædem cautelæ inserantur servandæ: hoc unum interest, salva mutatione formulæ, quod in *executione* dispensationis ex potestate a S. Sede delegata concessæ rigorosè observandus sit stylus Curiæ, non autem, licet id fieri præstet, in exequenda dispensatione vi potestatis quasi-ordinariæ impertita.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 36.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 38; facultas absolvendi a censuris continetur in facultate dispensandi.

(4) Ubi parochus, attentis suprà notatis, dispensat tanquam subdelegatus Episcopi, vi quinquennalium delegantis, dicat: « auctoritate apostolica mihi subdelegata... ».

matrimonium publice, servata Concilii Tridentini forma, contrahere (1), et in eo postmodum remanere licitè valeas. In nomine Patris et Filii et Spiritus S^i^. Amen ».

« Insuper eadem auctoritate prolem (susceptam et) suscipiendam legitimam nuncio (2). In nomine Patris... ».

b/ super impedimento *criminis:* « Auctoritate ab Episcopo mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis, ex adulterio et fide data provenientis, ut, eo non obstante, matrimonium cum muliere (aut viro) complice, publice et in forma Tridentina contrahere et in eo postmodùm remanere licite valeas. In nomine Patris... ».

« Insuper eadem auctoritate prolem susceptam (non tamen in adulterio conceptam) et suscipiendam legitimam nuncio. In nomine... ».

3°/ *Pœnitentia* est imponenda juridica ad normam dictorum apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 40 s. Porro, uti monet *Liber Manualis,* ed. 2^a^, p. 193, « ex præscripto S. Pœnitentiariæ, dum, in casibus urgentioribus, dispensatur super impedimento occulto affinitatis illicitæ, parti reæ injungenda est pœnitentia *salutaris;* si autem super occulto impedimento criminis dispensari contigerit, imponenda est *gravis* pœnitentia salutaris, et *confessio sacramentalis* semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum ».

In determinatione autem hujusmodi pœnitentiæ possunt confessarii sequi praxim in diœcesi Brugensi vigentem, licet valde benignam. Nimirum, ubi injungenda inseritur pœnitentia *salutaris*, Officialis passim præscribit recitationem quotidianam, per octiduum, quinquies *Pater* et *Ave;* pro pœnitentia *gravi* injungitur ut oratores, per tres hebdomadas, recitent quotidie ter *Pater*

---

(1) Si agitur de matrimonio contracto convalidando, dicatur: « ut, eo non obstante matrimonium denuò secrete contrahere .. ».

(2) Potestas legitimandi prolem non adulterinam censetur contenta non quidem in mandato particulari, sed in generali, qualis est præsens, facultate dispensandi. Cf *Collat. Brug.*, t. V, p. 421 et t. VIII. p. 639 s.

et *Ave* et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; ubi additur clausula confessionis sacramentalis semel singulis mensibus instituendæ per tempus dispensantis arbitrio statuendum, præscribitur ut per duos menses confessio semel in mense peragatur.

4°/ Id peculiariter est observandum in dispensatione super impedimento *criminis*, quod non sufficiat cum una parte dispensationem executioni mandasse: aufertur quidem impedimentum ab utraque parte statim ac pro una parte fuerit relaxatum, sed praxis S. Sedis vult ut alteri etiam parti saltem congrua pœnitentia imponatur (1).

Confessarius proinde, postquam suum pœnitentem rite dispensaverit, hunc monere debet ut complicem ad proprium confessarium dirigat, eo fine ut huic confessario totum negotium exponat ab eoque opportunam pœnitentiam accipiat.

5°/ Ubi dispensatio est data pro matrimonio *contracto*, non omittat confessarius monere pœnitentem de necessitate *renovandi secretè consensum*, certiorata comparte in quantum fieri potest: quatenus autem hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, uti natum est contingere in casu affinitatis illicitæ, renovetur consensus meliori quo fieri potest modo, juxta regulas a probatis auctoribus traditas, quæ regulæ enumerantur apud THEOL. MECHL., *De Sponsal. et matrim.*, n. 94.

A. DE SMET.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 130 s.

Fabriques d'église.

Séance légale du mois de juillet. — Jurisprudence en matière de budget.

I. Les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire et obligatoire, le 1er dimanche de juillet, 7 du mois. On portera principalement à l'ordre du jour la discussion et le vote du budget préparé par le bureau dans sa réunion mensuelle de juin. Les *Collationes brugenses* ont précédemment exposé les règles à suivre pour la confection de cet acte qui est à la base de toute la comptabilité fabricienne (1).

II. Divers arrêtés royaux ont maintenu au budget, contrairement aux décisions de la députation permanente, les allocations inscrites aux articles : 11 *(entretien des cuivres)* (2), 39 *(frais d'une mission)* (3), 61 *(messe de reconnaissance pour le président défunt du conseil de fabrique)* (4) des dépenses budgétaires. Un arrêté royal en date du 20 août 1906 (5) a rejeté le recours du conseil de fabrique de... contre l'arrêté par lequel la députation permanente avait supprimé la somme de 98 f. 55 c. inscrite à l'article 44 *(intérêts des fonds avancés par le trésorier)* des dépenses du budget et du compte.

Il est utile de rappeler aux conseils de fabrique que pour pouvoir effectuer de grosses réparations aux édifices du culte ou des travaux de décoration et

---

(1) *Collat. Brug.* Index alphabetico-analyticus tom. I-X. Index specialis III, Droit civil-ecclésiastique, vo *Comptabilité*, budget; coll. t. XI, p. 393 s.

(2) A. R. 5 oct. 1906, *Moniteur*, p. 6695.

(3) A. R. 30 sept. 1906, *Moniteur*, p. 6556; *Collat. Brug.*, t. III, p. 286.

(4) A. R 18 juillet 1906, *Moniteur*, p. 4850; *Collat. Brug.*, t. I, p. 374; circ. ministér. du 15 mai 1885 ap. *Collectio epist. pastor.*, t. XIV, p. 235.

(5) *Moniteur*, p. 5666.

d'embellissement aux églises, il ne suffit pas de porter au budget les sommes destinées à couvrir ces dépenses, les travaux de ce genre exigeant une autorisation spéciale. Les crédits de cette nature ne seront maintenus au budget que si l'autorisation a été préalablement accordée (1).

A. De Meester.

(1) A. R. 28 déc. 1906, *Moniteur*, 1907, p. 98; et du 12 janv. 1907, *Moniteur*, p. 285.

E Sacra Congregatione Rituum

I

De cantu « Gradualis, Offertorii, Communionis et Deo gratias » in missa solemni.

NEAPOLITANA.

R^mus Abbas Sanctæ Mariæ Majoris, Neapolis, Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

I. Quum organum quod in ecclesia permittitur, juxta præscriptum in Motu Proprio Pii Papæ X, ita cantum comitari debeat ut illum sustineat, non opprimat, et fideles recte valeant verba intelligere; in Missa solemni, *Graduale*, *Offertorium* et *Communio*, quæ partes miram sæpe continent analogiam ad festum quod agitur, possuntne, dum pulsantur organa, submissa voce seu tono unico sub organo recitari? Et quatenus affirmative, estne laudabilius ut illæ, organo cessante vel comitante, notis gregorianis cantentur?

II. Item *Deo gratias* in fine Missæ potestne sub organo vel debet notis gregorianis, ut *Ite, missa est*, cantari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, reque sedulo perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem, quando organa pulsantur, si prædicta nempe *Graduale*, *Offertorium* et *Communio* non cantentur, recitanda sunt voce alta et intelligibili, juxta mentem Cæremonialis Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, n. 6, et decretorum n. 2994 *Montis Politiani* 10 Januarii 1852 ad II, et n. 3108 *S. Marci* 7 Septembris 1861 ad XIV et XV.

Quoad secundam partem *affirmative*, adhibitis libris authenticis cantus gregoriani.

Ad II. Provisum in I.

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Animadversiones.

I. Hoc decretum eo attentione dignum est quod quæstionem sæpe agitatam, pro certis saltem partibus Missæ, *modo generali* solvat. Etenim, quin mentionem faciat de quibusdam attendendis conditionibus aut de consuetudine vigente, licitum esse declarat dum organa pulsantur, Graduale, Offertorium, Communionem et responsionem ad *Ite*, *Missa est* voce alta et intelligibili, in Missis solemnibus recitare, ad mentem Cæremonialis Episcoporum lib. I, c. 28, nº 6 et lib. II, c. 1, n. 8 (1).

II. Per analogiam et propter consuetudinem universalem, hæc facultas extendi potest ad repetitionem Introitus (2). Item dicendum videtur de *Alleluia* cum versu, et de Tractu.

III. A fortiori licitum est has missæ solemnis partes modo quasi-psalmodico et recto tono, organo comitante recitare aut cantare (3). Quæ recitatio principiis psalmodiæ regitur et vario modo fieri potest: sive præcinentibus cantoribus, subsequente choro; sive alternantibus puerorum et virorum vocibus; sive pro toto vel pro parte tantum cantus.

IV. Laudabilius evidenter est ut illæ partes notis gregorianis cantentur. Hujus responsi occasione inculcat S. C. obligationem adhibendi libros authenticos cantus gregoriani. Quæ obligatio extenditur etiam ad responsionem ad *Ite*, *Missa est*.

A. De Meester.

---

(1) Duclos. *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse*, n. 75 et 82 ss., p. 92 et 104 ss. Rome-Tournai, 1905.

(2) *Ephemerides liturgicæ*, 1907, t. XXI, p. 132.

(3) *Collat. Brug*, t. X. p. 255.

II

De licentia Episcopi requisita necne ut missa possit celebrari in oratoriis secundariis religiosorum.

SECOVIEN.

R^mus^ D^nus^ Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum:

In diœcesi Secoviensi, vasta sunt quinque monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonicorum Regularium Lateranensium; insuper permulta cœnobia aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Dominici, S. Joannis de Deo etc. Interdum in illis monasteriis casus accidit, ut novum oratorium e. g. pro recitando Officio tempore hiemali in ædibus monasterii erigatur simul cum altari sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Præterea talia oratoria cum altari interdum etiam in domibus extraneis, quæ a monasterio sive longe, sive parum distant et peculium monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive œconomiæ sive sanitatis colendæ causa versantur. Hinc quæritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas communitatis religiosæ? — Et si affirmative ad secundam;

II. Valet hoc etiam de oratoriis, quæ extra monasterium ipsum sita sunt, sed ad ejus peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicæ sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est:

Ad I. Si agatur de Regularibus proprie dictis, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, de licentia superioris generalis aut provincialis, juxta decretum n. 4007 *Super oratoriis semipublicis* 23 Januarii 1899 (1); si vero sermo sit de

(1) Apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 181. Cf. etiam Constitutio Gregorii XIII *Decet Romanum*, diei 3 Maii 1575, qua expresse statuitur pro Societate Jesu — quod extenditur ad omnes qui proprie dicti Regulares sunt — nullius præter Provincialis requiri licentiam.

aliis communitatibus, servetur decretum n. 3484 *Nivernen.* 8 Martii 1879 ad II (1).

Ad II. *Negative*, nisi adsit indultum.

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *S. R. C., Præf.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III

De expositione simulacri B. M. Perdolentis et processione SS. Crucis in Hebdomada Sancta.

CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERI PERUSIÆ.

Hodiernus Præpositus Congregationis Oratorii S Philippi Neri Perusiæ humillime exposuit Sacræ Rituum Congregationi, quæ sequuntur:

I. In ecclesia dictæ Congregationis est sacellum B. M. Virgini Perdolenti dicatum, extructum in parte separata ecclesiæ, scilicet eodem loco quo Romæ in ecclesia S. Mariæ in Vallicella ædificatum est sacellum S. Caroli Borromæi. In hoc sacello religiosissime colitur in sua ædicula simulacrum B. M. V. Perdolentis. Quæritur: An feria V in Cœna Domini post Vesperas, et feria VI in Parasceve, perdurante in alio remoto sacello, nempe prope januam majorem ecclesiæ, expositione SS^mi^ Sacramenti vulgo *Sepolcro,* dicta imago Virginis Perdolentis possit remanere in sua ædicula, discooperta cum candelis vel lampadibus accensis, et an possit etiam ante ipsam collocari simulacrum SS^mi^ Redemptoris demortui, juxta antiquam consuetudinem, ad populi devotionem satisfaciendam.

II. In eadem ecclesia, feria VI in Parasceve, quotannis post expletas functiones liturgicas fit Processio cum reliquia SS^mæ^ Crucis Dominicæ sub umbella vel baldachino violacei coloris, cum thuriferariis etc. Sed quotannis renovatur dissensio inter cæremoniarios circa qualitatem paramentorum.

---

(1) Hoc decreto statuitur non sufficere licentiam Provincialis aut Episcopi sed « si porro, ex piarum Communitatum conditione, necessaria sit erectio alterius oratorii [præter capellam seu principale oratorium], pro ejus erectione facultas erit *a Sancta Sede obtinenda* ».

Hinc ad evitandas varietates quæritur: 1° quæ paramenta sint licita vel magis idonea in hac Processione; et 2° qualis color sit licitus vel magis idoneus etiam pro umbella vel baldachino in eadem Processione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Quoad utramque partem, *negative* feria V in Cœna Domini; *affirmative* feria VI post Missam Præsanctificatorum (1).

Ad II. Adhibeantur quoad 1um: pluviale et dalmaticæ seu tunicellæ coloris nigri (2); et quoad 2um: velum humerale et umbella vel baldachinum coloris violacei (3).

Atque ita rescripsit. Die 16 Januarii 1907.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV

Varia dubia circa cæremonias in missa et aliis sacris functionibus occurrentes.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONÆ.

Redactor Kalendarii Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, de Superioris generalis consensu, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime imploravit; nempe:

I. Utrum Celebrans, in die Purificationis ac Dominica

---

(1) Hujus responsi ratio patet: feria V in Cœna Domini colitur memoria institutionis SS. Eucharistiæ, a qua devotionem avocare non decet, ne quidem in B. Mariam Virginem, a fortiori in alios Sanctos. Feria autem VI post Missam Præsanctificatorum « fulget crucis mysterium » quocum intime cohæret cultus B. Mariæ Virginis Perdolentis. Sic docet nos Ecclesia *rationabile* præstare obsequium et devotionem nostram moderare juxta principia sanæ theologiæ. Quod utinam omnes intelligant!

(2) Qui est color officii diei et processionis præscriptæ a Rubricis.

(3) Color humeralis et baldachini debet congruere, non officio sed objecto quod defertur processionaliter: ita in processione officii est color albus, ob SS. Sacramentum. Color conveniens reliquiæ SS. Crucis generatim est rubeus, quia solet potius celebrari triumphus crucis. In hac autem die mortis Christi merito præscribitur violaceus, qui aliàs etiam requiritur pro missis votivis Passionis.

Palmarum, completa candelarum aut ramorum distributione, debeat pro incunda Processione incensum ponere in cornu Epistolæ, ubi jam reperitur, cum ibi orationem ultimam recitarit; an potius debeat se prius ad medium altaris pro thuris benedictione conferre?

II. Utrum in die Purificationis ac Dominica Palmarum, postquam dictum fuerit *Procedamus in pace*, Celebrans e suppedaneo in planum descendens debeat ad altare conversus debitam ei reverentiam facere; an potius, utpote inchoata a præfatis verbis Processione, debeat conversionem ad altare et omnem ei reverentiam omittere?

III. Utrum Celebrans recedens ab altari ad abacum ut alia sumat paramenta, et ab abaco ad altare revertens, uti contingit singulis diebus Dominicis post aspersionem aquæ lustralis atque post Processionem in festo Purificationis ac Dominica Palmarum, genuflexionem in plano præstare debeat, si Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo reperiatur inclusum; an potius in infimo altaris gradu?

IV. Quum ob specialia locorum adjuncta nonnulli ad excipiendam aquæ lustralis aspersionem sat proxime altari reperiantur, num Celebrans, qui a pedibus altaris non recedit, sed tantum se vertit consistens aliquantum a latere Evangelii, debeat in medio ad altare reversus genuflexionem agere, si in tabernaculo Sanctissimum Sacramentum reperiatur inclusum, uti præscribit Rubrica subdiacono, qui accepta patena ad medium e cornu Epistolæ se confert in plano permansurus?

V. Quum Missalis Rubrica unice dicat esse cantanda *Improperia* ad functionem in feria VI in Parasceve, neque innuat eadem *Improperia* et reliqua esse a sacerdote recitanda; num exinde legitime concludatur, sacerdotem ad *Improperia* et reliqua legenda non teneri?

VI. Ubi in ultimo Triduo Majoris Hebdomadæ removeri solet aqua lustralis a vasis ecclesiæ, num Sabbato Sancto, in quibus ecclesiis fons baptismalis non benedicitur, eadem aqua lustralis in sacrario ante functionem benedici debeat, ut possit in ecclesiæ vasis poni post Litaniarum ℣. *Peccatores*, dum festive ad celebrandam missam paratur altare?

VII. Utrum in Sabbato Sancto cereus paschalis ita poni debeat, ut crux populum respiciat, an latus Epistolæ, in quo Celebrans reperitur?

VIII. Dum in eodem Sabbato Sancto ad legile canitur paschale præconium, quo loco et quorsus vertere facies debeant Celebrans scil. diaconus præconium cantaturus, et adstantes a dextris ejusdem clericus cum cruce ac thuriferarius, et a sinistris duo acolythi, qui respective arundinem et grana thuris tenent?

IX. Cum Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXII, n. 11 præscribat, ut in extinguendis ad Matutinum Tenebrarum cereis, alternatim incipiatur a cornu Evangelii; quænam norma tenenda est in accendendis et extinguendis altaris cereis pro alia quavis occasione?

X. Quoties exposito Sanctissimo Sacramento canitur hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus, expresse per Rubricas et decreta non directis, ac datur in fine cum eodem Sanctissimo Benedictio: utrum versiculi, qui citantur in decreto Sacræ Rituum Congregationis 11 Septembris 1847 *Veronen.*, n. 2956 ad III (1), dici cum oratione *Deus, cujus misericordiæ* debeant ante hymnum *Tantum ergo;* an potius duo hymni sint conjungendi et absolvendi cum solo versiculo *Panem de cœlo* et duabus orationibus Sanctissimi Sacramenti et actionis gratiarum sub una conclusione?

XI. Quoties Processio pro gratiarum actione locum habuerit, num post hymnum Ambrosianum dici debeant omnes versiculi cum tribus orationibus in Rituali Romano designatis; an tantum recitari possint versus aliqui et unica oratio, prouti in decreto 11 Septembris 1847 *Veronen.*, n. 2956 ad III indicatur?

XII. Num sacerdos missam celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito, si Missale ad aliud altaris cornu transfert, debeat genuflexionem agere dum transit ante medium altaris, illucque dum revertitur *Munda cor meum* dicturus?

XIII. Utrum Celebrans, reportato ad altare post Processionem Sanctissimo Sacramento, aut feria V et VI Majoris Hebdomadæ allato calice Sanctissimam eamdem Eucharistiam continente, debeat supremum altaris gradum ante

---

(1) Laudato decreto *Veronen.*, n. 2956[3] declaratur: « Extra casum processionis sufficere versus *Benedicamus Patrem...*, *Benedictus es...*, *Domine exaudi...*, cum unica oratione *Deus cujus misericordiæ* ».

suppedaneum conscendere, ut ostensorium et calicem diacono, vel alteri sacerdoti, si absque ministris celebraverit, stando porrigat; an potius debeat in plano ante ultimum altaris gradum consistere, ac tradito Sanctissimo Sacramento vel calice, genuflexionem simplicem in plano præmittens, utrumque genu flectere, in infimo gradu altaris, sicque genuflexus illic manere usque dum tempus thuris imponendi adfuerit?

XIV. Num diaconus aut alius sacerdos, qui post Processionem accipit de manu Celebrantis ostensorium, aut feria V ac VI Majoris Hebdomadæ calicem cum Sanctissimo Sacramento, genuflexionem utroque genu peragere debeat in plano ante gradus altaris, et inclinatione capitis Sanctissimum adorare, antequam ostensorium vel calicem a Celebrante recipiat?

XV. Num aliis ac præsertim sacerdotibus sacristis valeat permitti, ut hostiam super patena collocent pro missa ab aliis celebranda, non obstante Rubrica Missalis Romani *Ritus servandus in celebratione missæ,* tit. I, n. I, quæ collocationem hostiæ totamque instructionem calicis sacerdoti missam celebraturo reservat?

XVI. Num retineri possit antiquissimus usus, ut in Processionibus intra claustra peragendis candelabra a duobus in habitu chorali Religiosis deferantur, qui acolythorum vices cum crucifero expleant?

XVII. Quoties functiones in Sabbato Sancto sine sacris ministris peragantur, utrum sacerdos debeat incensum ponere ac benedicere pro subsequenti Processione in qua canitur *Lumen Christi*, ac pro paschali præconio, antequam diaconalia coloris albi paramenta sumat; an vero postquam eadem diaconalia sumpserit indumenta?

XVIII. Quonam vocis tono dici debeant feria VI in Parasceve verba sive orationes *Incensum istud....*, *Perceptio corporis tui....*, *Panem cœlestem....*, *Corpus Domini nostri Jesu Christi....*, et *Quod ore....* ?

XIX. Num servari antiquissimus possit usus, ut clericus thuriferarius exhibeat genuflexus thuribulum Celebranti, saltem quando Celebrans est Prælatus, ac præsertim generalis Superior?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti

Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit: *In voto Commissionis juxta sequentes resolutiones:*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem (1). negative ad secundam.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam (2).

Ad IV. Si a latere Evangelii et a pedibus altaris non elongetur, genuflexionem ac reverentiam omittit, ad mentem decreti 9 Junii 1899 *Plurium diœcesium*, n. 4027 ad II et III (3).

Ad V. Negative juxta praxim ubique receptam, et normam communiter exigentem ut sacerdos legat quidquid in choro concinitur (4).

Ad VI. Affirmative ubi unus adest sacerdos, secus privatim ab alio sacerdote in sacrario post expletas Prophetias (5).

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, durante præconio paschali, juxta Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXVII, n. 10 (6), sed post præconium crux eadem semper populum respiciat (7).

Ad VIII. Præconium paschale eodem loco ac Evangelium in missa cani debet, et diaconus cum reliquis ministris lineam rectam efforment, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera altari obversa tenentes; facie crucifixi

---

(1) Est mera applicatio regulæ vi cujus non licet relinquere altare quin discedens ei debitam exhibeat reverentiam, nempe, pro adjunctis, vel capitis inclinationem vel genuflexionem.

(2) Juxta regulam supra p. 113, II, 1° traditam: ratione accessus vel discessus, genuflexio fit in plano tantum in primo accessu et in ultimo recessu.

(3) Vide apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 263.

(4) Inde non sequitur *omnia* esse recitanda a celebrante, quum rubrica Missalis aperte dicat: « cantantur Improperia et alia quæ sequuntur, *vel omnia, vel pars eorum,* prout multitudo adorantium vel paucitas requirit ».

(5) Ut, quantum fieri potest, idem servetur ordo qui servandus est in ecclesiis ubi fontis benedictio peragitur.

(6) Ubi legitur: « diaconus infigit quinque grana incensi in cereo in modum *crucis quæ respiciat faciem episcopi* ».

(7) Ad instructionem et ædificationem populi.

Celebrantem respiciente, prout in Cæremoniali Episcoporum lib. II, cap. XXVII, n. 10 (1) ordinatur.

Ad IX. Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo, qui cruci proximius reperitur in cornu Epistolæ, postea servato ordine reliqui duo in eodem cornu existentes; ac deinde accenduntur reliqui cerei in cornu Evangelii extantes, incipiendo item ab eo, qui cruci propior est usque ad ultimum in eodem cornu oppositum. In extinguendis autem iisdem cereis ordo invertitur, atque incipitur in cornu Evangelii a cereo, qui a cruce remotior est ad illum qui propior; dein vero a parte Epistolæ, eadem regula eodemque servato ordine.

Ad X. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XII. Negative ad primam partem, sed tantum caput inclinet (2); affirmative ad secundam (3).

Ad XIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, juxta Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXIII, n. 13, cap. XXV, n. 32, cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24; et supremus altaris gradus, in primo et quarto ex citatis Cæremonialis locis, primus in ascensione et ultimus in descensione intelligatur (4).

---

(1) Ita statuitur: « subdiaconus cum *cruce versa ad Episcopum* ».

(2) Exceptio regulæ generalis vi cujus celebrans debet genuflectere quoties transit ante SS. Sacramentum expositum aut tabernaculo inclusum (*Missalis Ritus celebr.* IV, 6) vel ante lignum S. Crucis (decret. 23 Maii 1835, n. 2722) aliamve reliquiam Passionis aut SS. Cruoris. Cohæret hoc responsum cum decreto S. R. C. 14 Jan. 1898 (ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 241) quo jam eximitur a genuflexione facienda celebrans missale deferens et transiens ante sacramentum *tabernaculo* inclusum. Ratio hujus duplicis exceptionis forsan est quia censetur impeditus celebrans quominus in suppedaneo juxta antipendium altaris præstet genuflexionem quam facilius sane exhibere potest subdiaconus in supremo gradu aut minister in plano.

(3) Mera applicatio **regulæ generalis** traditæ suprà p. 114, 4°, b/.

(4) Parum certa videtur hæc interpretatio qua verba Cæremonialis lib. II, XXIII, 13 et XXXIII, 24: « *supremus* gradus », idem sonare debent ac *infimus* gradus, præsertim quum in ultimo loco « supremus » gradus (XXXIII, 24) distinguatur ab « *infimo* gradu » (XXXIII, 26); et in utroque textu agatur non de descensione ab altari, sed de ascensione ad *supremum* altaris gradum.

Ad XIV. Affimative ad utrumque, juxta Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXV, n. 32, cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24.

Ad XV. Affirmative, dummodo qui id peragit prima saltem tonsura sit initiatus juxta decretum 23 Novembris 1906 (1), vel alias privilegium Apostolicum obtinuerit vasa sacra tangendi; sed consulendum Celebranti, ut ipse calicis instructionem et alia secundum Rubricas exequatur.

Ad XVI. Negative, et acolythi superpelliceum gerant, utpote officium suum exercituri erga crucem, quæ in Processionibus delata locum altaris obtinet.

Ad XVII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. VI, cap. II, § 1, n. 11, 13 (2).

Ad XVIII. Tono ad missam solemnem ordinariam consueto, juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. V, cap. II, § IV, n. 7-25 (3).

Ad XIX. Affirmative si agatur de Prælatis tantum Provincialibus et Generalibus, qui celebrent in ecclesiis sibi respective subjectis et ab Ordinarii locorum jurisdictione exemptis; nisi tamen missa vel officium vel functio coram Sanctissimo exposito celebretur (4).

Atque ita rescripsit, et ab Eremitis Camaldulensibus Montis Coronæ servari mandavit (5). Die 1 Februarii 1907.

L. ✠ S. D. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laod., *Secretarius.*

---

(1) Varia dubia, ad I, ap. *Collat. Brug.*, suprà p. 224.

(2) Ratio est quia impositio pertinet ad ritum processionis quæ est pars benedictionis cerei paschalis. Hæc autem ab antiquissimis temporibus diaconi est propria.

(3) Hoc est: *Incensum istud*... voce submissa ita ut a diacono saltem audiatur; cetera vero dicantur voce secreta sicut in omni alia missa solemni aut privata.

(4) Ratio est quia situs ille genuflexus exhibetur in reverentiam et subjectionem celebrantis, ideoque servatur tantum coram Episcopo vel Ordinario; in præsentia autem Sanctissimi Sacramenti expositi, genuflexionis honor reservatur soli Sacramento, ideoque thuriferarius in impositione incensi, stans offert thuribulum etiam Episcopo.

(5) Ex quibus patet præsens decretum non habere vim præceptivam universalem. Ad modum tamen normæ directivæ invocari et ubique servari potest.

E. S. Congr. S. R. et U. Inquisitionis

DECRETUM.

Feria IV, 5 Dec. 1906. — **Circa dispensationem super irregularitate ex defectu natalium ob hæresim parentum.**

In Congregatione Generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, proposito dubio circa valorem dispensationis super irregularitate ex defectu natalium ob hæresim parentum, E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, re ad examen accuratissime revocata, decreverunt ac declararunt:

Dispensationem super irregularitate ex defectu natalium ob hæresim parentum, semel concessam ad suscipiendam tonsuram et Ordines Minores valere etiam ad suscipiendos Ordines Majores.

Sequenti vero Feria V, die 6 ejusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Pii PP. X a R. P. D. Adsessore S. Officii habita, SS^mus^ resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

Adnotationes. Hanc irregularitatem incurrunt filii hæreticorum qui in hæresi persistunt vel mortui sunt, usque ad secundam generationem in linea paterna, sed in materna usque ad primam tantum, ita ut nepos ex filio sit irregularis, non vero ex filia avi hæretici (1).

Hujus irregularitatis dispensatio est, secluso indulto, soli Romano Pontifici reservata. At, decreto supra transcripto, in hoc modificatur jus antiquius quod dispensatio, dum olim concedebatur separatim primùm pro sacra tonsura ordinibusque minoribus et deinde pro majoribus, jam ex nunc concedatur semel pro omnibus ordinibus simul.

A. DE MEESTER.

(1) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, nº 1509.

E S. Congregatione Concilii

De S. Communione danda infirmis non jejunis.

Proposito in S. Congregatione dubio : *An nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco juxta Decretum diei 7 Decembris 1906* (1) *S. Eucharistiam non jejuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehendantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici judicio naturale jejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt.*

Eadem S. Congregatio die 6 Martii 1907 respondendum censuit: *Comprehendi, facto verbo cum SS^mo^ ad cautelam.*

Die vero 25 Martii currentis anni SS^mus^ D^nus^ Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, resolutionem ejusdem S. C. ratam habere et confirmare benigne dignatus est et publicari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

VINCENTIUS Card. Ep. Prænestin. *Præf.*
C. DE LAI *Secret.*

Adnotatio. Ex hoc responso colligendum:

1° ex una parte confirmari interpretationem apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 136 s., propositam, quatenus vox « decumbere », quæ infirmis applicatur in quorum gratiam privilegium est concessum, non sit ita pressè sumenda ut solos comprehendat ægrotos in lecto decumbentes.

2°/ ex altera parte, attenta verborum responsi moderatione, et attenta formula subnexa: « facto verbo cum SS^mo^ ad cautelam », non esse nimia latitudine utendum in extendendo privilegio decreti diei 7 Decembris 1906; et signanter illud non esse indiscriminatim applicandum illis qui quidem chronica stomachi debilitate laborant

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 135.

nec adeo jejunium servare queunt, sed curis domesticis vacare non desistunt, imo et excurrere valent ac ad ecclesiam tendere.

Cæteroquin hanc esse S. Sedis mentem, hujusmodi nempe personas non posse frui gratia hucusque concessa infirmos a lege jejunii eximente, id testatur N. R. th., t. XXXIX, p. 162: quo loco additur quod « le St Siége donnerait une interprétation en leur faveur ».

A. De Smet.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

Litteræ S. C. Indulg. de Triduanis supplicationibus quotannis celebrandis in honorem augustissimi Eucharistiæ Sacramenti.

R^me Domine,

Decretum de quotidiana SS^me Eucharistiæ sumptione a S. Congr. Concilii, anno 1905 sub die 20 Decembris evulgatum (1), quanto piorum fidelium plausu et quam ingenti animi gaudio sit exceptum, apprime testantur epistolæ quamplurimæ, quæ ad hanc Apostolicam Sedem undique sunt delatæ, ex quibus eruitur in pluribus locis hanc piam et saluberrimam praxim quotidianæ Communionis suscipiendæ uberes fructus edere cœpisse, et in posterum uberiores quoque in christiano populo fore edituram. Et merito: siquidem refrigescente hominum pietate, procul dubio remedium nullum aliud efficacius excogitari potest, quo elanguentia christianorum corda ad Deum redamandum vividius excitentur, quam frequens et quotidianus ad sacram Synaxim accessus, in qua Ille sumitur, qui fons est ardentissimæ charitatis.

(1) Cf. Collat. Brug., t. XI, p. 213.

Quapropter Summus Pontifex, qui valde gavisus est de hujusmodi salutari fructu huc usque percepto, vehementer exoptans, ut ipse jugiter perseveret, imo majora in dies incrementa suscipiat, mihi munus demandavit Amplitudinem tuam et totius Orbis Catholici sacrorum Antistites hortandi, ut cœptis insistentes omnem impendant operam, quo Christifideles frequentius, imo quotidie, sacram Eucharistiam sumant; hoc enim divino Convivio supernaturalis eorumdem vita indesinenter alitur et efflorescit.

Ipse vero Beatissimus Pater ratus ad hunc optatum finem assequendum admodum conferre, si christiani populi assiduis precibus una simul effusis dulcissimam Deo vim inferant; in votis habet, ut quotannis, si fieri poterit, in singulis Cathedralibus Ecclesiis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi, vel si locorum et personarum adjuncta aliter expostulaverint, alio anni tempore a R^mis^ Episcopis statuendo triduanæ Supplicationes celebrentur juxta methodum heic subjectam:

I. Supplicationes semper peragantur feria VI, sabbato et die dominica vel immediate post solemnia Corporis Christi, vel alio tempore, uti supra relatum est. Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiæ Sacramenti præstantia, et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum.

Hoc expleto, publicæ venerationi exponatur SS^ma^ Eucharistia, eaque coram sequens recitabitur oratio:

« O dulcissime Jesu, qui in hunc mundum venisti, ut » omnes animas vita ditares gratiæ tuæ, ad quam in illis » servandam simulque fovendam in augustissimo Eucha- » ristiæ Sacramento salutare pharmacum earum infirmitati- » bus sanandis, et cibum divinum debilitati sustinendæ » temetipsum quotidie præbes, Te supplices deprecamur, » ut super eas sanctum tuum spiritum benignus effundas, » quo repletæ, lethali labe si quæ sint inquinatæ, ad Te » revertentes, vitam gratiæ peccatis deperditam recuperent; » quæ vero, Te misericorditer largiente, jam Tibi adhærent, » quotidie, prout cuique dabitur, ad tuam cælestem Dapem » devote accedant, qua roboratæ, venialium culparum a se » quotidie admissarum antidotum sibi comparare, vitamque » gratiæ tuæ alere valeant, sicque magis magisque emun-

» datæ, sempiternam in cœlis beatitudinem consequantur. » Amen ».

Dein vero, post cantum hymni « Tantum ergo » populo Benedictio SSmi Sacramenti elargiatur.

II. Die vero Dominica, quæ postrema erit earumdem supplicationum, mane, more sueto, missa parochialis celebrabitur, in qua habita a Parocho Homilia de Evangelio Dominicæ infra octavam solemnitatis Corporis Christi, quod optime consonat mysterio Eucharistiæ explanando, Christifideles conjunctim de altari sancta libabunt; sin autem alia eligatur Dominica extra præfatam octavam, loco Homiliæ in Evangelium diei, concio fiat ad populum, qua ferventius ad Eucharistiam in ipsa Missa suscipiendam disponatur.

A meridie eædem sacræ functiones iterentur, quæ anteactis diebus sunt peractæ. In concione tamen Oratores ad ferventiorem erga sanctissimum Sacramentum pietatem hortentur fideles, speciatim vero ad frequentiorem cælestis Convivii participationem, juxta probatam Catechismi romani doctrinam, uti innuit S. Congregationis Concilii memoratum Decretum, sub num. VI. Tandem antequam hymnus « Tantum ergo » decantetur, hymnus Ambrosianus præmittatur.

Quo vero omnibus magis innotescat quam ardens sit desiderium Summi Pontificis frequentioris communionis promovendæ, maximopere Ipse commendat, ut in curialibus etiam templis, prout quisque Episcopus pro sua prudentia et sagacitate dijudicabit, saltem locum habeat ea pia exercitatio, quæ in Cathedralibus Ecclesiis celebranda superius est proposita die Dominica infra eamdem solemnitatis Corporis Domini octavam, vel alia in anno Dominica.

Hisce autem piis exercitationibus, ut alacrius intersint fideles, SSmus Dominus Noster Indulgentias defunctis quoque applicabiles clementer elargitus est uti infra: nempe 1° *septem annorum totidemque quadragenarum* quolibet Triduanarum precum die; 2° *plenariam* semel in Triduo lucrandam, die cujuslibet arbitrio eligenda infra ipsum Triduum, si eidem qualibet die devote adfuerint, simulque sacramentali confessione expiati, s. Synaxim susceperint et ad mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint; 3° *Plenariam* die Dominica ab omnibus acquirendam, qui confessi ad sacras Epulas simul congregati accesserint in Cathedralibus Ecclesiis, vel etiam in Curialibus et uti supra preces effuderint.

Interim Amplitudini Tuæ omnia felicia a Domino adprecor.

Romæ, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 10 Aprilis anno MDCCCCVII.

Amplitudinis Tuæ, uti Frater

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotatio. — Hoc decreto innotescit denuò *quam ardens sit desiderium Summi Pontificis frequentioris communionis promovendæ*. Hortatur np. totius orbis catholici sacrorum Antistites, ut cœptis insistentes *omnem impendant operam,* quo Christifideles frequentius, imo quotidie, sacram Eucharistiam sumant. Ratus autem ad hunc optatum finem assequendum admodum conferre, si christiani populi *assiduis* precibus *una simul effusis dulcissimam Deo vim inferant,* in votis habet, ut *quotannis* celebrentur triduanæ Supplicationes juxta methodum in decreto descriptam (1).

Quoad exercitia peragenda, obiter notetur Summum Pontificem *in votis habere, maximopere commendare* ut die Dominica, in concione Oratores hortentur fideles *speciatim ad frequentiorem cœlestis Convivii participationem*, juxta probatam Catechismi romani doctrinam, *uti innuit S. Congregationis Concilii Decretum, sub n. VI.* Ita confirmatur egregie methodus indicata suprà hoc t. XII, p. 300 sqq. (2).

Quoad indulgentias concessas, ut alacrius intersint fideles hujusmodi piis exercitationibus, hæc liceat advertere: altera indulgentia plenaria est adnexa ipsis triduanis Supplicationibus, altera verò exercitio Communionis generalis.

Quoad primam, *conditiones* sunt: ut quis Triduo

---

(1) Cf. quæ scripsimus hoc t. XII, p. 299.

(2) Simul approbatur « la prétention (!) de certains prêtres... de vouloir obtenir la réalisation *des vœux du Pape... par l'action publique sur la collectivité des fidèles, par une prédication intensive...* ». Cf. nota ad p. 303.

qualibet die interfuerit, et dein die eligenda impleat semel conditiones consuetas. Triduum autem celebrari potest etiam in ecclesiis parochialibus, ut patet ex Decreti textu (*saltem* locum habeat....); quodsi celebretur, hæc indulgentia offertur lucranda.

Ut quis lucretur secundam, requiritur quod *conjunctim cum aliis* accedat ad Sacram Synaxim, *die dominica*, quæ est postrema vel sola dies Supplicationum.

Posset utique quis utramque indulgentiam plenariam acquirere, at deberet communicare et prima vel secunda die, et die dominica simul cum aliis.

H. Mahieu.

Indulgentiæ noviter concessæ

Invocationes ad S. Familiam.

1. Jesu, Mariæ et Joseph nomina *conjunctim* invocantibus conceditur « *toties quoties* indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum, necnon plenaria *semel in mense* lucranda, pro rite confessis ac Communione refectis, qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint ». Pius X, 8 Junii 1906. — E Secret. S. C. Indulg. 16 Junii 1906 (1).

2. Indulgentia 50 dierum, defunctis applicabilis, conceditur *toties quoties* corde saltem contrito et devote recitantibus sequentem invocationem :

Nos, Jesu, Maria et Joseph bone,
Benedicite nunc, et in mortis agone.

S. C. Indulg. 9 Junii 1906 (2).

*
* *

(1) *Anal. eccl.*, t. XIV (1906), p. 349.
(2) *Anal. eccl.*, *l. c.*

Invocatio ad S. Joseph.

O Joseph, Virgo Pater Jesu, purissime Sponse Virginis Mariæ, quotidie deprecare pro nobis ipsum Jesum Filium Dei, ut, armis suæ gratiæ muniti, legitime certantes in vita, ab eodem coronemur in morte.

Indulgentia 100 dierum, *bis in die* lucranda. Pius X, 11 Septembris 1906. — S. C. Indulg. 26 Novembris 1906 (1).

*
* *

Invocationes ad B. M. V.

1. *Notre-Dame des Bonnes Etudes, priez pour nous.*

SS. D. N. Pius Pp. X die 16 Maii 1906 concessit indulgentiam 300 dierum *semel in die* lucrandam. E Secr. S. C. Indulg. 22 Maii 1906 (2).

2. *Maria in droefheid, Moeder van alle christenen, bid voor ons* (3).

In audientia die 4 Junii 1906, concessit Pius Pp. X indulgentiam 300 dierum, *toties quoties* lucrandam, etiam animabus in Purgatorio detentis profuturam, omnibus Christifidelibus qui corde saltem contrito præfatam precem devote recitaverint ad obtinendam conversionem ecclesiarum christianarum dissidentium. — E Secr. S. C. Indulg. 27 Junii 1906 (4).

3. *Domina nostra SS. Sacramenti, ora pro nobis.*

In Monialium monasteriis, in quibus nonnisi raro augustissimum Sacramentum publice exponitur, possunt lucrari indulgentias (5) adnexas præfatæ invocationi, eam recitando coram Tabernaculo in quo est asservatum SS. Sacramentum. Pius X die 8 Junii 1906. — S. C. Indulg. 16 Junii 1906 (6).

---

(1) *Anal. eccl.*, t XV (1907), p. 31.

(2) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 220.

(3) Ex italico versum (Maria *addolorata* etc.). Gallice: *Marie dans les douleurs, Mère de tous les chrétiens, priez pour nous.*

(4) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 304.

(5) Collat. Brug., t. XI, p. 199.

(6) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 349.

4. O Maagd Maria, *Onze Lieve Vrouw van het allerheiligste Sacrament*, Gij zijt de roem van het christenvolk, de vreugde van heel de katholieke Kerk en het heil der wereld, bid voor ons en verwek bij alle de geloovigen de godsvrucht tot het allerheiligste Sacrament, opdat zij weerdig worden dagelijks ter H. Tafel te naderen (1).

Indulgentia 300 dierum, *toties quoties*, defunctis applicabilis. Pius X, 9 Decembris 1906. — S. C. Indulg. 23 Januarii 1907.

Facile posset, juxta vota Summi Pontificis (Decr. S. C. Indulg. 10 Aprilis 1907), spargi hujus precationis usus, præsertim in scholis, quatenus rogetur Domina Nostra SS. Sacramenti, ut ipsa *dulcissimam vim Deo inferat*, in ordine ad promovendam frequentiorem Communionem (2).

*
* *

Orationes ad SS. Cor Jesu.

1. Oremus. Domine Jesu, clementissime Salvator mundi, Te per Sacratissimum Cor Tuum supplices exoramus, ut omnes oves errantes nunc ad Te Pastorem et Episcopum animarum suarum convertantur, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia 300 dierum, *toties quoties*. Pius X, 26 Octobris 1905. — E Secret. S. C. Indulg. 22 Novembris 1905 (3).

2. O allerheiligste Hert van Jesus, zend in overvloed uwe genaden over de heilige Kerk, den Paus en al de geestelij-

---

(1) Ex Italico versum (*Anal. eccl.*, t. XV (1907), p. 81). Gallice : O Vierge Marie, *Notre-Dame du très Saint Sacrement*, qui êtes la gloire du peuple chrétien, la joie de l'Eglise universelle et le salut du monde, priez pour nous et réveillez dans tous les fidèles la dévotion envers la très sainte Eucharistie, afin qu'ils se rendent dignes de communier tous les jours. Cf. *Le très saint Sacrement*, Février 1907.

(2) Hæc oratio typis impressa in imagine obtineri potest apud R. D. Lescouhier, Moorslede (Uitgave van *Canisiusblad*).

(3) *Anal. eccl.*, t. XIII, p. 492.

ken; geef aan de rechtveerdigen de volherding, aan de zondaars de bekeering, verlicht de ongeloovigen, zegen onze bloedverwanten, vrienden en weldoeners, help de stervenden, verlos de zielen uit het vagevuur en breid het zachte rijk uwer liefde tot alle herten uit. Het zij zoo (1).

Pius Pp. X, 15 Junii 1906, concessit omnibus fidelibus corde saltem contrito ac devote suprarelatam precem recitantibus 300 dierum indulgentiam, *semel in die* lucrandam, et plenariam semel in mense, sub conditionibus consuetis, iis qui per integrum mensem quotidie eamdem recitaverint. Quæ indulgentiæ applicari possunt defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 16 Junii 1906 (2).

3. *Goddelijk Hert van Jesus, breng de zondaars tot inkeer, maak de stervenden zalig, verlos de heilige zielen uit het vagevuur* (3).

Indulgentia 300 dierum, *toties quoties*. Pius X, 13 Julii 1906. — S. C. Indulg. 6 Nov. 1906 (4).

4. *Cœur Sacré de Jésus, protégez la Belgique* (5).

Ex audientia SS^mi^ 13 Febr. 1907: indulgentia 300 dierum; et indulgentia, semel in mense, sub conditionibus ordinariis, pro recitatione quotidiana (6).

5. *Heilig Hert van Jesus, ons toekomé uw rijk! — Cœur Sacré de Jésus, que votre règne arrive!*

Indulgentia 300 dierum, extenditur « ad omnes christifideles suprarelatam precationem pie recitantes ».

---

(1) Ex italico versum. Gallice: O Cœur Sacré de Jésus, répandez avec abondance vos bénédictions sur la Sainte Eglise, sur le Souverain Pontife et sur tout le clergé; donnez aux justes la persévérance, convertissez les pécheurs, éclairez les infidèles, bénissez nos parents, nos amis et bienfaiteurs, assistez les mourants, délivrez les âmes du purgatoire et étendez sur tous les cœurs le doux empire de votre amour. Ainsi soit-il.

(2) *Anal. eccl.*, t. XIV, p 451.

(3) Ex Italico versum. Gallice: Divin Cœur de Jésus, convertissez les pécheurs, sauvez les mourants, délivrez les saintes âmes du purgatoire.

(4) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 452.

(5) *Heilig Hert van Jesus, bescherm België.*

(6) *Basilique nationale du Sacré-Cœur à Koekelberg* (Revue), Mars 1907.

Ex audientia SS^mi^ die 29 Junii 1906. — E Secr. S. C. Indulg. 6 Julii 1906 (1).

6. *Heilig Hert van Jesus, ik heb betrouwen op U.* — *Cœur Sacré de Jésus, j'ai confiance en Vous.*

In audientia 5 Junii 1906 Pius Pp. X benigne concessit ut recitantes prædictam invocationem lucrari possent *toties quoties* indulgentiam 300 dierum (2). Insuper declaravit in audientia 27 Junii 1906 indulgentiam plenariam manere lucrandam « semel in unoquoque mense, die eorum arbitrio eligenda, dummodo quotidianam ejusdem invocationis recitationem peregerint, simulque confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint ». Quas indulgentias Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles nunc voluit. — S. C. Indulg. 27 Junii 1906 (3).

Nota loco verborum « corde præsertim », nunc poni « intimo cordis affectu », quibus verbis clarius intelligitur non excludi necessitatem invocationis *oralis* (4).

7. *Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis.*

Post missam *conventualem*, etiam sine cantu, omittuntur preces præscriptæ a Leone Pp. XIII (5), adeoque addi ipsis nequit trina invocatio: *Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis.* Ne *Sanctimoniales* frustrentur favore indulgentiarum huic invocationi adnexarum (6) benigne concessit Pius Pp. X, die 8 Junii 1906, ut eas lucrarentur « eam recitantes post antiphonam *Angelus Domini*, quæ ter in die exorari solet ». — E Secr. S. C. Indulg. 16 Junii 1906 (7).

Nota hujusmodi favorem concedi solis sanctimonialibus et tenorem rescripti videri indicare quod sufficiat

---

(1) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 304.
(2) Collat. Brug., t. XI, p. 53.
(3) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 407.
(4) Cf. Collat. Brug., *l. c.*
(5) Collat. Brug., t. XI, p. 520.
(6) Collat. Brug., t. IX, p. 677.
(7) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 349.

semel recitare invocationem, ita ut trina compleatur post antiphonam *Angelus Domini* tertio recitatam (1).

***

Pro conversione Neerlandiæ.

Indulgentiæ concessæ a Pio IX, per rescr. S. C. Rit. 11 Junii 1852, christifidelibus *in Neerlandia degentibus*, qui peculiares quasdam preces pro conversione illius regionis recitaverint, extenduntur ad omnes fideles ubique degentes. S. C. Indulg. 14 Martii 1906.

Porro sunt indulgentiæ sequentes: *ducentorum dierum,* toties quoties orarint pro exposito fine, et *plenaria* semel in mense, « dummodo per integrum mensem tali modo orarint, die qua vere pœnitentes ad S. Synaxim accedent, et aliquas etiam preces fuderint juxta mentem Sanctitatis Suæ » (2).

Non præscribitur formula precationis determinata; existunt tamen nonnullæ formulæ, v. g. « O God, die de waarheid en liefde zijt » enz., ordinatæ speciatim ut recitentur a catholicis Hollandiæ.

Exstat præterea jaculatoria, cui Leo XIII (15 Julii 1902) adnexuit indulgentiam 100 dierum, semel in die lucrandam a fidelibus Neerlandiæ et Belgii: *Zoet Hart van Jesus, ontferm U over ons en onze dwalende broeders* ».

Hisce ultimis annis ille apostolatus orationis, pluribus unionibus confirmatus (3) et ab Episcopis Hollandiæ instanter commendatus, uberes jam cœpit fructus producere. Extensio supra memorata indulgentiarum utinam plures inducat ad orandum pro conversione fratrum errantium.

***

(1) *Revue théol. fr.*, t. XI, p. 657.

(2) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 76.

(3) Sic confraternitas in honorem SS. Martyrum Gorcomiensium; it. sub patrocinio S. Willibrordi; et inde ab anno 1898 « Gebedenbond voor de bekeering der Protestanten van Nederland », quam unionem commendavit Leo XIII. Cf. *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* t. VI (1906), p. 282 sqq.

Renovatio promissionum Baptismatis.

Plenaria indulgentia, defunctis quoque applicabilis, conceditur lucranda ab omnibus qui, die festo Augustissimæ Trinitatis piæ cæremoniæ, in qua solemniter renovantur promissiones emissæ in susceptione Baptismatis, devote adstiterint simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint. S. C. Indulg. 1 Junii 1906 (1).

Nota. In memoriam liceat revocare duas regulas generales: np. indulgentias, quæ non expresse declarantur applicabiles, non posse applicari animabus purgatorii, nisi ab eo qui emiserit actum heroicum charitatis; deinde indulgentias partiales acquiri posse, quoties recitatur precatio, cui sunt adnexæ, nisi restrictio expresse apponatur.

H. Mahieu.

(1) *Anal. eccl.*, t. XIV, p. 349.

Consultationes

I

Casus de binatione. Q. An obligatur sacerdos, qui in oratorio domestico die dominica privatam liberamque missam celebrat, altare relinquere ad *Epistolam*, omissis aliis Missæ partibus, ut in ecclesia parochiali loco viceparochi primam missam celebrare possit, quia parochus subito et inopinate impeditur quominus missam solemnem pro populo celebret, hancque ideo viceparochus cantare debebit; vel an consultius est illi sacerdoti pergere in missæ inceptæ celebratione, dum licet viceparocho in illo urgentissimo casu missam iterare?

R. Certe licet, his in adjunctis, missam ante consecrationem abrumpere, ut populus vel magna ejus pars die dominica missæ assistat. Ratio est, quia ordo sacrificii et reverentia ei debita potior non videtur quam fidelium necessitas (1). Et citatur decretum S. C. R. 3 Julii 1869, in quo quæstio expressis terminis hoc sensu solvitur (2). Sed, an datur obligatio missam abrumpendi, ne necessitas fiat binandi.

Juxta principia, abruptio ordinis sacrificii vitanda non videtur ratio sufficiens ut licita sit binatio. Non enim est causa *necessitatis* et revera adest alius sacerdos qui alteram Missam celebrare valet. In responso citato, ad secundam partem dubii primi, quæ ita sonabat: « an in tali vel simili casu congruentius expediat Apostolico indulto uti bis celebrandi in die », responsum est: non expedire.

---

(1) Cf. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Missæ sacrificio*, l. III, c. XIV, nº 16; De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, edit. 9, t. II, nº 176, p. 234.

(2) In antiqua Guardelliana, nº 5440: « Ad primam dubii partem, in casu exposito, licere Missam relinquere, dummodo adstantes moneantur. » Illud responsum non fuit reassumptum in nova Guardelliana, forsan quia solutio ex principiis generalibus satis patebat.

Ergo saltem consultius esset, magis expediret missam inceptam relinquere. An tamen prorsus damnandus esset sacerdos qui sacrificium compleret, non auderem affirmare.

A. De Meester.

II

Quær. In missa solemni ad altare SS^{mi} Sacramenti, debetne celebrans genuflectere non tantum ante sed etiam post crucis incensationem, quamvis de hac altera genuflexione taceat Missale Romanum, *Ritus serv.* tit. IV, n. 6?

Resp. Censemus utramque genuflexionem esse faciendam, ut communiter docent auctores. Ad altare in quo non asservatur SS. Sacramentum, rubrica Missalis (tit. IV, n. 4) diserte præscribit profundam capitis inclinationem tum ante tum post crucis incensationem et quoties transit ante medium altaris. Dein pergit (n. 7): « Si in altari fuerit tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris ». Quibus verbis rubrica non intendit excludere genuflexionem post crucem incensatam, sed vult significare ratione thurificationis crucis et transitus ante Sacramentum, simplici capitis inclinationi substituendam esse genuflexionem. Et revera nulla ratio apparet cur omittatur post incensationem crucis genuflexio quæ facta est ante ejusdem incensationem, quum universim valeat regula ut eadem exhibeatur reverentia *ante et post* alicujus thurificationem, puta pro incensatione crucis, si non adsit SS. Sacramentum, inclinatio capitis profunda (*Rit. celebr.* IV, 4); pro SS. Sacramenti expositi incensatione quæ fit flexis genibus, inclinatio capitis profunda (decr. S. R. C. 26 Mart. 1859, *Parnovien.* n. 3086^{3}); pro incensatione reliquiæ S. Crucis vel passionis, genuflexio (S. R. C. 20 Mart. 1869, *Montis Regalis*, n. 3201^{7}); pro

incensatione celebrantis, inclinatio capitis minor. A pari, genuflexio in casu præscripta *ante* crucis thurificationem repetenda est *post* incensationem, ut patet ex rubricis quæ regunt incensationem crucis in missa Præsanctificatorum in Parasceve. « Incensat oblata et altare (1) more solito, *genuflectens ante et post* et quandocumque transit ante Sacramentum » ait Missale. « Incensat oblata, et inde crucem, addit Cæremoniale episcoporum, l. II, XXV, 33, et altare more solito, *genuflectens ante et post,* etc. (2) ». Et magis explicite dicit Memoriale rituum Benedicti XIII, tit. V. c. II, § IV, n. 8 : « Incensatis oblatis iterum genuflectit et incensabit crucem... et *repetita genuflexione cruci,* prosequetur more solito... »

III

Q. Potestne **manutergium** poni super altare in cornu epistolæ ibique infra missam remanere ?

R. Negative. Sed « a parte epistolæ parentur... ampullæ vitreæ vini et aquæ cum pelvicula et *manutergio mundo,* in fenestella seu in parva mensa ad hæc præparata. Super altare nihil omnino ponatur quod ad missæ sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat ». Hoc enim postulat reverentia debita altari quod Christum repræsentat (3).

C. Callewaert.

IV

Q. Liceat quædam dubia proponere circa indulgentiam plenariam toties quoties lucrandam die 30 Junii, de qua apud Collat. Brug., hoc t. XII, p. 359.

---

(1) Quamvis hic non diserte exprimatur crucis incensatio, hæc « facienda est eo prorsus modo quo fit in aliis missis » Decr. 5 Jul. 1698, n. 2003[3] .

(2) Hæc verba exprimunt genuflexionem ante et post incensationem *crucis.* Nam certe facienda non est genuflexio post integram *altaris* thurificationem, quæ absolvitur in cornu epistolæ.

(3) Cf *Collat. Brug* t. IX, p. 333, nota.

1° An *confessio* exigitur *specialis,* id est, instituta in ordine ad hanc indulgentiam lucrandam?

R. *Negative.* Hujusmodi confessio solet exigi, np. tamquam opus injunctum, pro indulgentia jubilæi vel ad instar jubilæi concessa (1). Hic verò sufficit confessio singulis hebdomadis vel, ut in diœcesi nostra, singulis quindenis instituta, pro illis qui solent confiteri singulis hebdomadibus vel quindenis (2).

Imo juxta decretum S. C. Indulg. 14 Febr. 1906 (3), qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie vel quasi quotidie communicare consuescunt, absque actuali confessione indulgentiam memoratam lucrari valent (4).

Attamen haud valere videtur privilegium diœcesi Brugensi concessum, vi cujus confessio peracta *infra hebdomadam ante aliquam festivitatem* suffragari possit ad indulgentiam, eidem festivitati adnexam, lucrandam (5). In casu enim indulgentia non est adnexa alicui festivitati, sed diei ultimæ mensis Junii.

2° An *oratoria* collegiorum possunt haberi tamquam privilegiata?

R. *Negative.* In textu enim sermo est de *ecclesiis* (6). Nec sustineri potest extensio privilegii ex hoc quod indulgentiæ, utpote favoris concessi, interpretatio late sit facienda: favores quidem convenit ampliari, non tamen ultra sensum verborum.

Attamen nomine *ecclesiæ* non designantur in præsenti solæ ecclesiæ parochiales, verum etiam oratoria publica, quæ usu loquendi vulgari ecclesiæ vocantur.

At quæri potest: nonne saltem applicari potest in-

---

(1) Cf. Collat. Brug , t. V, p. 136; t. IX, p. 540.

(2) Cf. Collat. Brug . t. IX, p. 540; t. V, p. 527; t. VI, p 312.

(3) Cf. t. XI. p. 272.

(4) Cf. *suprà,* hoc t. XII, p. 234.

(5) Cf. Collat. Brug., t. I, p. 436, coll. p. 635 ss.; *Calendarium liturgicum,* p. 3.

(6) *Suprà* hoc t. XII, p. 359.

dultum pluribus diœcesibus concessum (1), vi cujus sive sanctimoniales in suis conventibus, sive alumni in seminariis seu collegiis necnon pueri et puellæ educationis causa in cujusque generis institutis degentes possint visitare suum sacellum? Resp. in casu *negative*, quia ecclesia visitanda est *determinata*, indultum vero memoratum non valet nisi quando præscribitur visitatio alicujus ecclesiæ in genere, id est *non determinatæ*.

At applicari potest indultum quo confessarius injungere possit aliud pium opus favore Christifidelium habitualiter infirmorum et e domo egredi impotentium (exceptis iis qui in communitate morantur), imo favore infirmorum aut senio confectorum qui in communitate et sub regula vivunt (2).

3° Quales censentur *prædicatores mensis SS. Cordis*, qui frui possunt privilegio altaris Gregoriani *ad instar* pro eorum missa diei 30 Junii?

R. Tales sunt qui prædicant pium exercitium mensis SS. Cordi Jesu dicati, qui np. prædicando « intendunt propagare illud aut efficere ut melius peragatur » (sub 3° in libello supplici). Applicando principium *favores convenit ampliari*, videtur sufficere prædicatio semel facta, etiam extra ecclesias privilegiatas, puta coram sanctimonialibus in suis conventibus aut coram pueris vel puellis in cujusque generis institutis.

Adverte parochos non posse acquirere hoc privilegium in missa pro grege, cum indulgentia cedat animæ cui applicatur missa; patet autem non ideo missam pro grege in aliam diem posse transferri.

H. Mahieu.

(1) Ita in diœcesi Brugensi; Cf. *Calendarium liturgicum*, p. 8.

(2) Pius IX, 18 Sept. 1862 Leo XIII, 16 Jan. 1886. Cf. *Calendarium liturgicum*, p. 9

Notæ Bibliographicæ

Gaston Dru. *Le point de vue du Vatican.* Paris, Roger et Chernoviz, 1907, 30 p. F. 0,50.

Brochure substantielle, parue peu après la sublime encyclique adressée le 6 janvier dernier à l'épiscopat, au clergé et au peuple français, et qui expose d'après les documents officiels, les faits et certaines informations prises à Rome, quelles sont les conditions extrêmes d'un régime de séparation conciliable avec le principe de la constitution de l'Église. Ce sont : le respect de la hiérarchie catholique, l'inviolabilité des biens ecclésiastiques (futurs), et le libre exercice du culte. C'est à ce point de vue, que s'est placé le Vatican, pour examiner et repousser les lois et les circulaires, par lesquelles le pouvoir civil cherche depuis deux ans à régler la séparation de l'Église et de l'État en France.

***

J. Verest, S. J. *Vers la suppression de la liberté d'enseignement.* Bruxelles, A. Dewit, 1907, in-8, VIII-56 p.

Cette brochure adressée aux représentants de la Nation est tout à la fois une étude solidement documentée sur la liberté d'enseignement garantie par la constitution belge, et une énergique protestation contre les atteintes portées aux droits de l'enseignement moyen libre.

L'art. 17 de la constitution décrète en termes formels la liberté illimitée de l'enseignement et défend qu'une loi ou un arrêté quelconque restreigne directement ou indirectement l'indépendance des établissements non payés par l'État.

Jusqu'ici la loi est en harmonie avec notre charte fondamentale. Spécialement la loi de 1890, qui établit le certificat des six années d'humanités — mesure prise à la demande unanime de l'enseignement moyen et supérieur, tant privé qu'officiel — proclame l'absolue indépendance des collèges libres. En déterminant comme condition unique pour pouvoir délivrer le certificat légal, les branches obligatoires du cours d'humanités, le législateur a uniquement voulu consacrer l'usage existant, laissant aux établissements libres la faculté de déterminer ce programme général d'après leurs principes et leurs méthodes. Il a interdit au surplus au jury d'homologation d'imposer des modifications de programme et d'horaire et de s'immiscer en rien dans l'administration des collèges libres.

Or, ces droits sont de divers côtés gravement menacés. D'abord le jury d'homologation tend à exagérer les attributions que la loi lui accorde. Il est nécessaire de résister à ses empiètements, en provoquant l'action de l'autorité administrative supérieure. Ensuite, les projets Coremans, Schollaert, Helleputte sur l'enseignement du flamand dans les collèges

libres, en consacrant, bien que d'une façon indirecte, le principe de la contrainte sont inconstitutionnels. D'ailleurs les Instructions des Évêques rendent une loi de ce genre superflue, sans objet et réellement injustifiable. La seule solution fondée en raison et en droit est de faire inscrire le flamand parmi les éléments essentiels des humanités pour les provinces flamandes et d'exiger que dans leurs certificats les chefs d'établissement affirment au sujet de cette branche ce qu'ils affirment au sujet du latin, du grec etc.

Enfin l'enseignement moyen libre est sacrifié et méconnu à la commission spéciale chargée d'étudier les réformes à introduire dans les humanités. On a systématiquement et d'une façon absolue écarté de la composition de cette assemblée les supérieurs et professeurs des collèges libres, alors qu'en droit et eu égard à leur population scolaire ces établissements devaient y être largement représentés; comme on a autant que possible exclu les chefs d'établissements, préfets et professeurs de l'enseignement moyen et les partisans des humanités gréco-latines. C'est dire que la commission ne délibérera pas dans les conditions d'impartialité voulue. Au reste, l'ingérence constante et tendantieuse de Monsieur Van Overbergh, directeur général de l'enseignement supérieur, à la commission enlève d'avance toute autorité aux décisions qu'elle prendra.

Puisse ce courageux appel du R. P. Verest être entendu et répété *opportune, importune.* Il est capable, par la force et la logique de son argumentation d'enrayer ce mouvement néfaste qui tend vers la suppression de l'enseignement libre.

*
* *

A. Lhoumeau. *Études de chant grégorien.* 2e édit. Angers, Siraudeau, s. d. (1907), in-12, 140 p. F. 2.

« Est il rien de plus ennuyeux pour celui qui ne voudrait désobliger » personne que d'être contraint de retirer à un ami la chaise qu'on lui a » procurée, au risque de le faire s'asseoir par terre » (Préf. p 1). Tel est le cas de Monsieur l'abbé Lhoumeau.

Dans un livre intitulé *Rhythme, exécution et accompagnement du chant grégorien,* il développait en 1892 une théorie du rhythme, qui lui paraissait ingénieuse et vraisemblable. Elle plut à d'autres, notamment au R. P. Dom Mocquereau, qui la reprit, l'exagéra, l'appliqua à outrance dans les éditions avec signes rhythmiques. Aujourd'hui M. Lhoumeau fait loyalement la revision des règles qu'il avait formulées et ne se fait aucune difficulté de désavouer après vingt ans d'études un certain nombre de ses opinions, tandis qu'il en maintient d'autres qui lui semblent certaines ou probables.

Dans une suite d'études finement écrites et solidement pensées, il prouve que c'est une erreur scientifique et pratique de vouloir reconstituer et préciser le rhythme grégorien au-delà de certaines limites; il établit conséquemment, exemples à l'appui, que les indications ajoutées par Dom Mocquereau sont superflues, équivoques, fautives et contradic-

toires; il insiste sur la distinction à faire entre le rhythme et la mesure, le levé du rhythme et le levé de la mesure et ramène à sa juste valeur le principe que le rhythme se réduit en dernière analyse à une proportion binaire ou ternaire; il démontre que de nombreuses subdivisions introduites dans les éditions rhythmées sont contraires aux manuscrits, en opposition avec la tonalité et violent la valeur et la fonction des neumes. Ajoutons encore que les lecteurs trouveront dans ces pages des remarques éminemment pratiques pour l'exécution du chant grégorien et que M. Lhoumeau est un partisan convaincu du rhythme oratoire, du maintien de la notation grégorienne et d'une restauration archéologique, traditionnelle, artistique et pratique des mélodies officielles de l'Église (1).

L'étude si pénétrante de M. Lhoumeau ébranle définitivement le système rhythmique de la nouvelle école de Solesmes, pratiquement trop en vogue dans nos diocèses, à cause de l'emploi des éditions rhythmées de la maison Desclée et Cie.

Aussi nous engageons vivement tous nos grégorianistes à la lire, à l'étudier, à la propager.

*
* *

P. Graziani. *Sixte-Quint et la réorganisation moderne du Saint-Siège* (Collection « Science et religion » n° 430). Paris, Bloud & Cie, 1907, in-12, 64 p. F. 0,60.

Si cette brochure — relativement chère pour être une brochure de propagande — présente quelque mérite, il lui vient d'avoir été faite d'après l'ouvrage de première main de M. von Hübner, *Sixte-Quint*, 3 vol. Paris. 1870. Il est regrettable que l'auteur n'ait pu consulter l'œuvre de Hergenroether-Kirsch, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, t. III, 1er part., p. 244 ss. (Fribourg en-B, 1907), il aurait pu mettre au point ses informations bibliographiques et ajouter quelques détails sur Sixte-Quint, promoteur des sciences ecclésiastiques, canoniste etc. Il est possible aussi que la lecture de ces quelques pages lui aurait fait porté un jugement plus favorable sur Grégoire XIII, qu'il qualifie de pontife faible et peu actif.

A. De Meester.

(1) La revue *Gregorianische Rundschau*, 1907, t. VI, p. 64 annonce la publication imminente d'une brochure « *Der Kampf gegen die Vaticana* » destinée à répondre aux attaques dirigées par M. H. Bewerunge contre l'édition Vaticane. Elle sortira des presses de la maison « Styria » de Graz (Styrie).

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris

—

I

Solve difficultatem contra inspirationem S. Scripturæ motam in folio (1) ante aliquot dies quocumque divulgato:

« La Bible (*Gen.* XVII, 23; *Exod.* XVI, 2, 7, 20, 21; *Lev.* XXVI, 39, 44; *II Esd.* V, 5; *Mt* XVIII, 25) admettait et réglementait l'esclavage... Et ce serait Dieu, infiniment juste, bon et miséricordieux qui, par son inspiration, aurait approuvé et sanctionné ce fléau social... La Conscience humaine proteste et crie: non, mille fois non! il n'y a pas d'inspiration divine dans les Écritures ».

II

Expone præcipuas sententias quæ opponuntur rectæ notioni *indefectibilitatis* Ecclesiæ.

III

« Sicut potentiæ naturales concreantur animæ ex connaturali vinculo, ita hæ virtutes (morales supernaturales) infunduntur cum gratia, quasi ex debito ipsi gratiæ connaturali ». SUAREZ, *De Gratia*, lib. VI, C. 9, n. 7.

1° Explica analogiam quæ his verbis Suarezii exprimitur.

---

(1) Cui titulus: *Dieu n'a pas inspiré la Bible. — L'esclavage.*

IV

2° Quænam huic analogiæ inest vis ad probandam existentiam virtutum moralium supernaturalium.

V

Explica regulas juris: *Ignorantia facti non juris excusat* et *Præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur.*

VI

Quid intelligitur nomine *missæ catechumenorum?* Paucis describe ejus indolem ac partes constitutivas, harum logicam ostendendo ordinationem.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Explica epistolam ad angelum (episcopum) Ecclesiæ Pergami, (Apoc. II, 12-17).*

R. I. **Prænota.** Ecclesia Pergami 1° laudatur quod media inter idololatras et persecutores constituta Christo fide constanter adhæsit, et etiam insignem martyrem habuit Antipam (vv. 12-13); 2° increpatur autem quod indulgenter toleravit hæreticos Nicolaitas (vv. 14-15); 3° pœna infidelibus (v. 16), fidelibus verò præmium (v. 17) prædicitur.

II. **Explicatio.** 12. *Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam.*

Nomine *angelorum* septem Ecclesiarum de quibus I, 20, II et III, sensu metaphorico intelligimus illarum Ecclesiarum episcopos (1). *Pergamus* vel Pergamum erat civitas quædam primaria provinciæ Romanæ Asiæ; quæ forsan usque ad a. 129 (2) velut Asiæ metropolis habita est, ità ut Plinius (3) scribat: « Longeque clarissimum Asiæ Pergamum. Pergamena vocatur ejus tractus jurisdictio. Ad eam conveniunt Thyatireni aliæque inhonoræ civitates » (4). Civitas Pergami celebris erat cultibus idololatricis sc. Jovis, Dionysi seu Bacchi,

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 349 ss.; — ZAHN, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig 1907, p. 613 ss.

(2) Cf. RAMSAY apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, t. III, p. 750 s.

(3) *Hist. nat.*, V, 33.

(4) Attamen in opinione vulgi Ephesus jam inde a tempore S. Pauli de facto ut Asiæ metropolis habebatur, propterea quod et incolarum numero et commercio erat totius Asiæ civitas florentissima. Cf. RAMSAY, *o. c.*, p. 751.

Athenæ, Asclepii seu Æsculapii, necnon cultu Augusti seu Imperatoris. Jam a. 29 a. C. templum in honorem Augusti et Romæ ædificatum fuerat.

Hæc dicit qui habet romphæam (seu gladium I, 16) *utraque parte acutam.* Hac circumlocutione Christus designatur (cf. I, 10 ss.), respectu habito ad pœnam Nicolaitis (v. 16) infligendam.

13. *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ.* Pergamus *sedes Satanæ* vocata fuerit propter cultum idololatricum. At verò, non ità constat quemnam cultum in specie auctor intenderit (1). Alii autumant speciatim intendi cultum Asclepii seu Æsculapii qui, sub symbolo serpentis, Pergami magno populorum concursu ita colebatur, ut hæc civitas huic cultui dicata videretur. Unde pronum erat ut christiani illam civitatem velut sedem Satanæ, antiqui serpentis infernalis, sibi fingerent. Alii potius cultum Jovis cogitant, cui ingens altare in acropoli Pergami dicatum fuerat, in quod altare dictio ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ rite quadrare videtur. Verùm, probabilius in dictis verbis allusio reperitur ad *Augusti cultum*, qui in Asia primùm Pergami instauratus fuerat cujusque centrum pro integra Asiæ provincia Pergamus indies permanebat. Cultus enim imperatoris, tempore quo Apocalypsis exarata est, erat christianis maxime abominandus et execrabilis, ejusque ritibus fungi renuentes velut christiani dignoscebantur, et tanquam Romani imperii hostes traducebantur. Ad rem notat CALMES (2): « Comme l'image du serpent passait pour représenter le diable parmi les chrétiens, on pourrait penser au culte d'Esculape. Mais d'après l'esprit du livre, il est plus probable que l'on a en vue le culte impérial (XIII, 1-8) ».

Et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas

---

(1) Cf. v. g. BOUSSET, *Die Offenbarung Johannis*, Göttingen, 1896, p. 245 s.

(2) *Epitres Catholiques, Apocalypse*, Paris 1905, p. 125.

testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat (1). Fuerit *Antipas* insignis aliquis martyr qui Pergami passus fuerit, forsan tempore omnium martyrum primus in Asia. Secundum traditionem (2) Antipas sub Domitiano in tauro candente martyrium consummavit: hæc tamen traditio ab *Apoc.* II, 13 pendere videtur (3). Nihilominus probabile est Antipam a Romanorum potestate, jubente sc. proconsule Asiæ, morti traditum fuisse (4).

14. *Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari.* Episcopus Pergami igitur nimis indulgenter sustinebat tenentes doctrinam Balaam. De Balaam cf. *Num.* XXIII-XXIV; *Deut.* XXIII, 5; *II Pet.* II, 15-16; *Jud.* 11. Balaam, qui a rege Moabitarum Balac pecuniam accepit pro maledictione contra Israelitas injuste proferenda, « correptionem accepit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal (sc. asina ejus), hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam » (*II Pet.* II, 16). Idem Balaam (5) docebat Balac scandalum mittere coram filiis Israel; σκάνδαλον pro σκανδάληθρον proprie intelligitur quodvis offendiculum in via positum, in quo si quis offendit, titubet vel cadat necesse est (*Rom.* IX, 33; *I Pet.* II,

---

(1) Codex B sic jungit: Et non negasti fidem meam in diebus quibus Antipas etc.

(2) Cf. Tertul., *Adv. Gnost. Scorp.* XII; — Andreas Caes. acta Antipæ legerat (Ed. Sylburg, p. 11); *Acta Sanctorum,* Aprilis II, 3, 965.

(3) Ramsay, *o. c.,* p. 751.

(4) Uti adversus Zahn (*o. c.,* p. 619) ostendit Ramsay, *l. c.*

(5) Cf. Ceulemans, *Epistolæ catholicæ et Apocalypsis,* Mechliniæ 1904, p. 108 et Hagen, *Lexicon biblicum,* t. I (Parisiis, 1905) p. 547. Cùm Balac rex Moabitarum idololatra Balaam ad se vocet ut populo cultori veri Dei maledicat, et cùm ab ejus maledictione expectet efficaciam, dicendum videtur Balaam notum fuisse non ut prophetam Dei sed potius ut ariolum. Huic concordat quod *Jos.* XIII, 22 *kosem* vocetur: *kosem* autem in V. T. dicitur de falsis prophetis, de divinatoribus, de auguribus Philistæorum, de muliere necromantiam faciente (cf. *Deut.* XVIII, 10, 14; *IV Reg.* XVII, 17; *Mich.* III, 6, 7, 11; *Sam.* VI, 2; XXVIII, 8).

8); metaphorice designat aliquem vel aliquid, quo homo ad errandum vel peccandum inducitur. Unde mittere σκάνδαλον coram filiis Israel significat facere id quo Israelitæ inducuntur ad peccandum. Alludit nempe auctor ad diabolicum consilium quod Balaam Moabitis dedit, ut speciosis suis mulieribus Israelitas in fornicationem et idololatriam perducerent (*Num.* XXIV, 14; XXXI, 16). *Edere et fornicari:* hæc verba pendent a *scandalum;* gr. φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. Idolothyta seu carnes e gentilium sacrificiis residuas prohibuerat Concilium apostolicum (*Act.* XV, 20). Esus idolothytorum seu carnium idolis immolatarum, qui a gentilibus post peractum sacrificium fieri solebat cum amicis sive in fano, sive in privatis ædibus, non erat directa participatio idololatriæ, sed occasionis peccati periculosa frequentatio (cf. *I Cor.* VI, 13-20; VIII, 9-10; X, 28). Cùm hìc et infra (1) non fiat mentio duplicis alterius præcepti in Concilio lati, sc. de abstinentia « a suffocato et sanguine » haud improbabiliter conjicere licet has ultimas prohibitiones a Concilio statutas, exeunte s° I° jam fuisse abolitas, verisimiliter quia carum observatio ethnico-christianis (2) evaserat moraliter impossibilis.

15. *Ita* (οὕτως) *habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum* gr. τῶν (N.) Νικολαϊτῶν ὁμοίως (*similiter* v. 16 huc spectat). Οὕτως et ὁμοίως ità explicari debent: quemadmodum Balac (habebat Balaam), *similiter* habes et tu

---

(1) In ecclesia Thyatiræ (*Apoc.* II, 18 ss.) pariter reperiebantur asseclæ doctrinæ Nicolaitarum hìc impugnatæ (cf. v. 16). Jam verò e verbis ad Christi fideles Thyatiræ directis « *non mittam super vos aliud pondus. Tamen id quod habetis, tenete* » (cf. *Act.* XV, 28-29), sequitur eos præter præscriptiones quas observant, præsertim (nam per se intelligitur alia juris naturalis et divini præcepta non fuisse sublata) abstinentià a fornicatione et idolothytis, aliis ejusdem speciei præceptis non teneri Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 401; Zahn, *o. c.*, (3ª ed.), p. 445. Ex illa porrò allusione ad *Act.* XV, 28-29 apparet fornicationem de qua hìc agitur, sensu proprio intelligendam esse.

(2) De decreto apostolico cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 566 ss.; 620 ss; 682 ss. Dictum decretum directe solos Ethnico-christianos spectabat.

tenentes doctrinam Nicolaitarum. Inde omnino suadetur identicos esse tenentes doctrinam Balaam (v. 14) et tenentes doctrinam Nicolaitarum. Dicti pseudodoctores ergo docebant licere fornicari et epulis sacrificalibus ethnicorum interesse. Fuerint doctores itinerantes qui prius Ephesum advenerunt, ibique repulsam passi (*Apoc.* II, 6), Pergamum et Thyatiram (1) profecti sunt, ubi eorum conatus prospere cesserunt, maxime Thyatiræ. Semina doctrinæ Nicolaitarum jam reperiuntur in *II Pet.* II, 1-16 (scripta ad ecclesias Asiæ Minoris) et ep. *Jud.* 11-12. Quod patet tùm ex eo quod hic error in utroque loco velut doctrina Balaam exhibeatur, tùm ex utriusque loci paralleli examine interno (2). Nicolaitas sectam fuisse quæ s° I exeunte docebat licere fornicari et idolothyta edere, eamque patrem habuisse Nicolaum (3) proselytam Antiochenum et unum ex septem primis diaconis (*Act.* VI, 5) historice certum videtur (4).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 400 s.; ZAHN, *o. c.*, p. 616 secta cujus uxor episcopi Thyatiræ caput existebat eadem erat ac illa quæ vv. 6 et 15 Nicolaitarum vocatur.

(2) Cf. ZAHN, *o. c.*, p. 63 ss.; 69 ss.; 77 ss.; 100 ss.; 111 s.; VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Epistolæ catholicæ*, Brugis 1907.

(3) Auctores quidam contenderunt Apocalypsin librum esse allegoricum, atque Nicolaum (Νικό-λαος: victor populi) nomen esse symbolicum cum hebraico nomine Balaam (*Baal-am:* destructor vel dominus populi) identicum. At verò, non viget perfecta identitas inter utrumque nomen (cf. H. COWAN apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, t. III, p. 547). Præterea testimonium S. IRENÆI (*Adv. Hær.* I, 26) et S. HIPPOLYTI (*Refut.* VII, 36), qui explicite affirmant eos magistrum habuisse diaconum Nicolaum, eo vel magis fide dignum videtur, quod a priori improbabile apparet tale dedecus viro, in N. T. potius honorato, a traditione gratuitò imputatum fuisse. Cf. ZAHN, *Einl. in das N. T.*, t. II, p. 617.

(4) Fontes de Nicolaitis consuli possunt sequentes: S. IREN., *Adv. hær.*, I, 26, 3; III, 11, 1 (ubi Nicolaitæ Gnosticorum, in specie Cerinthianorum, præcursores asseruntur); CLEM. AL., *Strom.*, II, 118; III, 25-29; S. HIPPOL., *Refut. Hær.*, VII, 36 et *Mam.* (ed. ACHELIS, p. 251); dein TERT., *Adv. Marc.*, I, 29; *de Pudic.*, 19; *de Præscr. hær.*, 33; CONSTIT. APOST., VI, 8; *S. Ignat.* (in recensione longiore) *Trall.*, XI, *Phil.*, VI; PHILAST., *De Hær.* 88. Cf. ZAHN et COWAN, *ll. cc.*; KUNZE, *De historiæ Gnosticismi fontibus novæ quæstiones criticæ*, Lipsiæ 1894; WOHLENBERG, *Neue kirchl. Zeitschrift*, 1895, p. 923 ss.

Quia cum his hæreticis episcopus Pergami negligentius agebat, eorumque sectatores non satis efficaciter compescebat, ideo subjungitur v. 16.

16. *Similiter* (V. v. 15) *pœnitentiam age*, i. e. timorem depelle, animum sume et audacter contra Nicolaitas decerta, eos publice ex Ecclesia ejiciens. — *Si quo minus* (εἰ δὲ μή) *veniam tibi cito* sc. puniturus; pœnas autem maxime hæreticis minatur: *et pugnabo cum illis* (sc. hæreticis) *in gladio oris mei* (gr. ἐν τῇ ῥομφαίᾳ, cf. v. 12).

17. *Qui habet aurem audiat quid Spiritus* sanctus loquens in Joanne (I, 9 ss.) *dicat Ecclesiis* sc. « septem quæ sunt in Asia » (cf. I, 11; II, 7): *Vincenti* in pugna spirituali *dabo manna absconditum* gr. τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου: gen. partitivus, gall. *de la manne cachée,* fl. *van het verborgen manna.* — *Manna absconditum* intelligitur probabilius cibus vitæ æternæ in hac vita absconditus chistianis, quique ipsis tunc tantùm revelabitur quando in cœlesti beatitudine eo fruentur. *Et dabo illi calculum candidum* i. e. tesseram hospitalem qua ad cœleste convivium admittatur. — *Et in calculo nomen novum scriptum* sc. probabiliter nomen victoris quo cœlesti regno cooptatur, *quod* proinde *nemo scit nisi qui accipit* (*I Jo.* III, 2). Inter varias quæ hujus vers. proponuntur interpretationes, hanc eligimus, propter analogiam cum reliquis epistolis, ubi in fine promissio vitæ æternæ sub diversis metaphoris repetitur (1).

A. Camerlynck.

---

(1) Ità cf. *Apoc.* II, 7, 11, 25 ss.; III, 5, 12, 21. Aretas, *h. l.*, autumat symbolum *calculi candidi* mutuatum esse a ludis olympiacis, in quibus calculum candidum vincentibus tradebatur. Ramsay apud Hastings, *o. c.*, t. III, p. 751, suspicatur « nomen novum » alludere ad morem quo christiani in baptismo nomine novo condecorari cœperunt. — Inter alias hujus loci interpretationes minus probabiles, sequens a Calmes (*o. c.*, p. 126 s.) proposita mentione digna apparet. « A ceux qui auront persisté dans la foi, il (l'auteur) promet une nourriture surnaturelle, qu'il appelle la *manne cachée*. Cette expression est basée sur la tradition juive, d'après

II

Q. *Indica rationes ob quas alii actus sunt aliis* magis *meritorii.*

R. Illæ rationes reduci posse videntur ad sequentes, quarum unaquæque intelligitur meritum augere *cæteris paribus* (1).

1. *Dignitas supernaturalis* personæ agentis. Licet illa ratio non admittatur ab omnibus theologicis, recte tamen assignari videtur. Etenim valor honorificus operis obsequiosi mensuratur dignitati *personæ* honorantis:

---

laquelle le prophète Jérémie, lors de la ruine de Jérusalem, aurait déposé en un lieu secret l'arche sainte que le Messie devait retrouver (*II Mac.* II, 1). Or, l'arche contenait, croyait-on, entre autres choses, une certaine quantité de manne. Mais là ne s'arrête pas la portée du symbole. A moins d'y voir une image vide de sens, il faut y reconnaître la figure de l'eucharistie (comp. *Jo.* VI, 49 ss.).

En même temps que « la manne cachée », chaque fidèle recevra *un caillou blanc*. Le caillou blanc rapproché de la manne rappelle un passage du Talmud, où il est dit qu'au temps de l'exode la chute de la manne était accompagnée de perles et de pierres précieuses. Mais ce rapprochement laisse inexpliqué le trait le plus caractéristique, le *nom nouveau* écrit sur le caillou. L'expression se trouve dans *Is.* LXII, 2 et LXV, 15. Mais ici elle a une signification tout à fait originale. Certains auteurs ont pensé qu'il s'agissait d'une sorte d'amulette devant servir de billet d'entrée pour le ciel et sur laquelle était écrit le nom de Jésus Christ. En réalité, il s'agit de tout autre chose. Il y a, dans la communauté de Pergame, des hérétiques obstinés, des membres corrompus qu'il s'agit de retrancher. La prudence ordonne de procéder sans éclat à cette épuration. Les circonstances offrent un moyen fort simple. L'Eglise de Pergame constitue une sorte de société secrète, dont les affiliés se reconnaissent entre eux au moyen d'un mot de passe gravé sur un caillou et qui sert de billet d'entrée pour les réunions. Il suffira d'abolir ce jeton en distribuant de nouveaux caillous avec un nom nouveau à ceux qui seront jugés dignes, pour que les intrus soient exclus de la communauté, sans qu'on ait prononcé contre eux une excommunication proprement dite ».

(1) De doctrina exponenda cf. S. Thomas, in II, D. XXIX, Q. I, a. 4; in 1 Cor., cap. III, lect. 2; *Quodlibetum* VI, a. 11; I, Q. XCV, a. 4; I-II^{æ}, Q. XXIV, a. 3; II-II^{æ}, Q. LXXXVIII, a. 6; Suarez, *De Gratia*, L. XII, c. 20 ss.; Terrien, *La grâce et la gloire*, Paris, 1897, t. II, p. 63 ss.; Pignataro, *De Gratia* (autogr.) p. 512 ss.; Schiffini, *De Gratia*, Friburgi Br. 1901, n. 385 ss.

ideo bona opera, elicita in humana Christi natura, infiniti sunt valoris in ratione meriti et satisfactionis, quia eliciuntur a *persona divina*, quæ infinitæ est dignitatis (1): ergo quo major est gradus gratiæ sanctificantis, quo insignitur anima alicujus, eo magis honorifica Deo, et consequenter eo magis meritoria, erunt opera ejus bona.

Hoc confirmatur hac consideratione quod gratia sanctificans est id unde provenit *condignitas* operis meritorii ad præmium (2). Quo perfectius habetur principium, eo etiam, cæteris paribus, perfectius obtinetur effectus formalis ab illo dependens.

2. *Libertatis gradus* in eliciendo actu. Etenim conditio meritorii actus est libertas, quatenus hæc importat dominium agentis in suum proprium actum (3): quo igitur perfectius liber est actus, eo magis *de suo dat* agens et consequenter magis meretur. — Inde *passiones* quæ *præcedunt* seu *præveniunt* judicium rationis et ipsam electionem voluntatis, sicut minuunt libertatem, ita etiam minuunt meritum (4). Aliter est judicandum de passionibus quæ consequuntur judicium rationis et electionem voluntatis, ut statim dicemus.

3. *Species bonitatis moralis* quæ inest actui. Inter virtutes et bonos actus datur differentia secundum nobilitatem vel excellentiam quam *ex essentia sua* habent: nempe quo magis accedit virtus ad attingendum ultimum finem eo est nobilior ex specie sua: ideo virtutes theologicæ sunt præstantiores virtutibus moralibus; inter theologicas, major est charitas; inter morales virtutes, major est religio. Inde actus, cæteris paribus, erit eo magis meritorius quo procedit ab excellentiori virtute. — Hîc notandum in eodem actu inesse posse

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 28, 562, t. XI, p. 22 s.
(2) Cf. suprà, p. 321.
(3) Cf. suprà, p. 97.
(4) Cf. S. Thomas, *De Veritate*, Q. XXVI, a. 7; I-II^æ, Q. XXIV, a. 3.

varias species bonitatis moralis, secundum quod actus elicitus ab una virtute imperatur ab alia, vel ab aliis (1). « Unde actus inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cujus actus fit per imperium ; sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur charitate. Et ideo opera aliarum virtutum moralium (puta jejunare, quod est actus abstinentiæ, et continere, quod est actus castitatis) sunt meliora et magis meritoria si fiant ex voto ; quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia » (2). Ex his sequitur a/ opera virtutum, ex sese non magna, evadere posse valde meritoria si fiant ex imperio charitatis, præsertim ex actu ferventi charitatis (3); b/ valde utilem esse ad meritum augendum illam praxim qua sæpe in die offeruntur Deo per charitatem operationes bonæ.

4. *Quantitas* virtutis in actu. Sicut aliæ virtutes sunt, ex specie bonitatis moralis, superiores aliis, ita unius ejusdemque virtutis sunt actus præstantiores aliis actibus : hoc autem provenit, ut videtur, ex duplici capite : primo, ex *objecto* quod attingitur actu virtutis ; secundo, ex promptitudine seu fervore voluntatis elicientis actum : v. gr. cæteris paribus, elargitio magnæ quantitatis pecuniæ ad sublevandam proximi miseriam est perfectior actus misericordiæ quam parva eleemosyna ; etiam, cæteris paribus, prompta et hilaris elargitio est perfectior quam elargitio absque illa circumstantia (4).

---

(1) Imperari hîc significat procedere *ex influxu actus* alius virtutis.

(2) S. Thomas, II-II^ae, Q. LXXXVIII, a. 6.

(3) Qua de re lege S. Franciscum Sallsium, *Traité de l'amour de Dieu*, L. XII, c. 5 et 6 ; cf. etiam *Collat. Brug.*, suprà, p. 168 ss.

(4) Quum materia proxima *fortitudinis* sit timor et audacia ex periculis ; *patientiæ*, tristitia moderanda ; *longanimitatis*, diuturnitas in sustinendo adversa vel periculā mortis (cf. Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *De Virtutibus Cardinalibus*, p. 41 ss., p. 102 ss.) : quo majores sunt timores et audaciæ, tristitia, diuturnitas in tolerandis malis, eo etiam magis meritorii sunt actus illarum virtutum ; pariter quo majori fiunt promptitudine et fervore.

Ratio autem horum est quia opus, quo magis est *virtuosum* eo etiam fit magis Deo obsequiosum, Eique magis placens, consequenter majori præmio dignum. — Inde animadverte *passiones*, quæ *consequuntur* judicium rationis et electionem voluntatis, posse augere meritum: passiones enim possunt esse adjutorium ad melius agendum: inde quando homo ex judicio rationis eligit affici aliqua passione ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo, tunc ille actus evadit magis bonus moraliter, magisque meritorius (1).

Adnotatio. 1/ Suprà, in nota, diximus actus fortitudinis, patientiæ, longanimitatis esse, cæteris paribus, eo magis meritorios quo versantur circa majorem timorem vel audaciam, circa majorem tristitiam, circa majorem diuturnitatem in sustinendo vel aggrediendo: non autem dici recte potest illos actus esse eo magis meritorios quo versantur circa majora mala: mala sunt materia *remota* illorum virtutum (2): et eadem mala objective considerata non sunt pro omnibus individuis occasio ejusdem tristitiæ, timoris, etc.: nam, pro diversitate complexionis, alii multo magis dolent, timent, quam alii de eodem malo.

---

(1) Cf. S. Thomas, I-II^{æ}, Q. XXIV, a. 3, ad. — Nec refert quod passio de se tendat ad præpediendam, ex parte saltem, discretionem mentis. Nam, ut præclare dicit *S. Thomas:* « In opere virtutis necessaria est et electio et executio. Ad electionem autem requiritur discretio; ad executionem vero ejus, quod jam determinatum est, requiritur promptitudo. Non autem requiritur ut homo, actualiter in executione operis existens, multum circa opus meditetur: hoc enim.... potius officeret quam prodesset: sicut patet in citharædo, qui multum impediretur, si ad tactum singularum chordarum cogitationem apponeret; et similiter scriptor, si in formatione singularum litterarum cogitaret. Et inde est quod passio electionem præveniens impedit actum virtutis, in quantum impedit judicium rationis, quod necessarium est in eligendo: postquam vero puro judicio rationis jam electio est perfecta, passio sequens plus prodest quam noceat; quia si in aliquo turbet judicium rationis, facit tamen ad promptitudinem executionis » *De Veritate,* Q. XXVI, a. 7, ad 3.

(2) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, o. c., l. c.

2/ Hæc ratio augmenti meriti, quæ provenit ex ipso objecto virtutis, nempe ex materia proxima circa quam versatur actus, non est confundenda cum *difficultate* quam experitur agens in opere bono: hæc difficultas non est *per se* ratio augmenti meriti: hæc enim difficultas provenire potest ex defectu ipsius operantis, quatenus laboriosum et difficile ipsi est id quod non prompta voluntate facit, et talis labor minuit meritum (1). Sed *per accidens* difficultas potest esse occasio majoris meriti, quando scilicet homo tendit majori attentione et majori voluntatis conatu in id quod est difficile. Inde non recte dicitur opera eo esse magis meritoria quo sunt agenti magis laboriosa et difficilia: difficultas enim *ratione sui* non auget meritum, sed tantum ratione majoris bonitatis moralis, cujus est *occasio*.

3/ Non augetur meritum actus *ex mera ejusdem externa executione*. Etenim tota *bonitas moralis* operis exterioris derivatur in illud ex bonitate interioris actus voluntatis. Non igitur hæc bonitas augetur nisi augeatur bonitas ipsa interioris actus voluntatis. Atqui eatenus augetur meritum operis præstiti, quatenus ponitur augeri ejus bonitas moralis; ergo ex mera executione externa operis interni non augetur meritum: inde posito semel actu interno, ejus meritum remanet, etiamsi postea impediatur ejus executio (2). Attamen executio externa potest esse *occasio* meriti augendi, quatenus est occasio augmenti bonitatis moralis actus interni: nempe actus externus potest esse occasio qua multiplicantur actus interni, etiam qua redduntur intensiores (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. S. Thomas, I-II^æ, Q. CXIV, a. 4, ad 2.

(2) Tamen executio operis potest aliud offerre bonum, distinctum a merito: v. gr. orationi inest vis *impetratoria*, operi omni pœnali vis *satisfactoria*: si quis serio proponit et statuit se oraturum, se satisfacturum, meretur; tamen sine executione operis non impetrat, nec satisfacit.

(3) Cf. Schiffini, o. c., n. 388.

III

Q. *Quid intelligis per locum Tridentinæ legi clandestinitatis* subjectum, non subjectum, *ab ea* exemptum?

R. 1°/ Locus *subjectus* est locus in quo *pro omnibus baptizatis*, catholicis et acatholicis, viget lex clandestinitatis, seu caput *Tametsi*, ad valorem exigens, in matrimonii celebratione, præsentiam parochi et 2 saltem testium (1).

2°/ Locus *non subjectus* est locus in quo *non* viget caput *Tametsi* (2).

3°/ Locus *exemptus* est locus in quo viget lex Tridentina *pro solis catholicis*, ita ut hæretici a dicta lege immunes existant:

sive a/ *simpliciter*, quatenus immunitas afficit tum matrimonia hæreticorum inter se, tum matrimonia mixta (3);

sive b/ *secundum quid*, quatenus immunitas unicè afficit sola matrimonia hæreticorum inter se (4), vel sola matrimonia mixta (5).

---

(1) Hujusmodi locus est Belgium hodiernum, Gallia, et variæ aliæ regiones quarum enumerationem exhibet THEOL. MECHL., *De Sponsalibus et matrimonio*, in appendice ad n. 87.

(2) Hujusmodi locus est Anglia, Scotia, Dania, et alia regna ibidem descripta.

(3) Ita, magna ex parte, Hollandia, integrum Imperium Germanicum, et generatim omnia loca ad quæ extensa est Declaratio Benedictina.

(4) Recens exemplum habetur in Insula Melitensi, ubi, vi decreti S. C. Neg. extraord. præpositæ, 12 Jan. 1899, et C. S. O. 3 Junii 1892, a lege Tridentina exempta decernuntur matrimonia hæreticorum inter se, non autem matrimonia mixta. Tenorem refert *N. R. th.*, t. XXV, p. 160 ss.

(5) Hæc altera hypothesis profectò est *possibilis*, et FEYE, *De Imped. matrim.*, n. 327, immeritò fatetur « se non concipere hæreticorum inter se matrimonia clandestina esse invalida ubi valent matrimonia mixta clandestina ». Quod autem spectat *factum:* juxta alios, uti LEINZ, *Der Ehevorschrift des Concils von Trient*, Freiburg im Breisgau, 1888, p. 27 ss., LEITNER, *Lehrbuch des katholischen Eherechts*, Paderborn, 1902, p. 311, dicta hypothesis reipsa obtinet in nonnullis regionibus, signanter in diœcesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi, in quarum gratiam concessit Pius VIII, die 25 Martii 1830, Breve *Litteris*

Jamvero ad hoc ut locus dicto modo sit *subjectus* requiritur *primò* ut caput *Tametsi* per publicationem, in singulis paræciis jussu Ordinarii factam, sit promulgatum, vel per legitimam consuetudinem, aut per formale decretum S. Sedis sit inductum, quin per inobservantiam catholicorum in desuetudinem abierit; *secundò*, ut non fuerint hæretici ab illa lege exempti, sive quia ad eos non fuerit extensa lex Tridentina, sive quia in ea fuerit cum illis a S. Sede dispensatum (1).

Si deficit primum requisitum, locus erit *non subjectus;* si deficit alterum requisitum, locus erit *exemptus:* quotiescumque scilicet caput *Tametsi* uno alterove modo est ibidem inductum quidem, sed ita ut hæretici illi non existant obnoxii; quodsi a lege sunt exempti vi dispensationis Pontificiæ, erunt, pro varia hujus amplitudine, exempti vel simpliciter vel secundum quid (2).

IV

Q. *Da notionem matrimonii* clandestini, *matrimonii* conscientiæ, matrimonii *morganatici.*

R. I. **Matrimonium clandestinum.**

Denominatio hæc, decursu temporis, multiplicem nacta est significationem. Nimirum significat

1°/ juxta nativum sensum, matrimonium initum *clam*

---

altero, valida decernens matrimonia mixta, eaque, vi tenoris, sola. Juxta alios vero, inter quos WERNZ, *Jus Decretalium*, IV, n. 163, nota 122, non absque fundamento, censetur immunitas in favorem matrimoniorum mixtorum extendenda ad matrimonia acatholicorum inter se: nimirum, uti arguit WERNZ, l. c., « videtur potius matrimoniis mixtis illa immunitas ita concedi, ut *catholici simpliciter maneant ligati*, et nonnisi per communicationem immunitatis ex parte acatholica fiant habiles; qua suppositione facta, quæ nunc videtur esse Romæ magis probata, sane etiam matrimonia inter acatholicos clandestine contracta in allegatis locis sunt valida. At authentica quædam declaratio hac de re nondum publicata est ».

(1) Infra, distincta disquisitione, latius inquiretur circa modum quo lex Tridentina in aliquem locum introducatur, et circa rationem qua ab illa eximantur hæretici.

(2) Si eximuntur hæretici a decreto clandestinitatis ex eo quod ad eos non fuerit extensum, exempti censentur *simpliciter*, vi principii in jure admissi, quatenus exemptio unius partis communicatur alteri.

et occultè, seu *absque testibus,* ita ut exinde legitima probatio non appareat (1).

2°/ matrimonium contractum *sine consuetis solemnitatibus* (2), quatenus signanter non fuerint nuptiæ celebratæ in facie Ecclesiæ, et cum benedictione sacerdotis (3).

3°/ conjugium celebratum *absque præviis denuntiationibus* seu bannis, quæ matrimonio præmittenda præcepit Concilium Lateranense IV (4).

4°/ connubium initum extra formam Tridentinam pro valore matrimonii statutam Sess. XXIV, cap. 1° *De Reformatione matrimonii*, absque præsentia parochi et duorum ad minus testium.

Hic sensus sub 4° indicatus est sensus stricte dictus, qui semper, nisi contrarium indicetur, intelligitur ubi sermo est de matrimonio clandestino.

II. **Matrimonium conscientiæ.**

Est matrimonium quod quidem initur in forma Tridentina, adeoque non clandestinè, sed quod tali modo contrahitur ut, in quantum fieri potest, secretum maneat connubium et ignotum in populo : omissis scilicet publicationibus antenuptialibus et consensu præstito coram parocho ejusve delegato ac duobus testibus

---

(1) Cf. Esmein, *Le mariage en droit canonique,* Paris, 1891, I, p. 182, ubi, in nota 1, refertur textus ex *Summa* Godfredi : « Clandestina matrimonia dicuntur duobus modis : uno modo cum occultè et sine præsentia testium contrahuntur, ita ut exinde legitima probatio non appareat ».

(2) Ibidem : « alio modo dicuntur clandestina, cum sine solemnitatibus contrahuntur ». Cf. etiam l. c., p. 179, in nota 2, ex *Summa* Hostiensis : « Sponsalia clandestina (dicuntur)... primo quia omittuntur solemnitates quædam quæ ibi requiruntur de honestate, scilicet quod benedictio detur in facie Ecclesiæ... ».

(3) « Au moyen âge, la coutume était généralement que les époux vinssent devant la porte de l'église ; là ils étaient interrogés par le prêtre, qui leur demandait s'ils consentaient à se prendre pour mari et pour femme, puis recevaient la bénédiction ». Esmein, *o. c.*, p. 179, quo loco, in nota 3, adducit textum Panormitani : « Nota quod sponsus et sponsa ante consummationem matrimonii benedicuntur ante valvas, id est, fores ecclesiæ. Alicubi tamen benedicuntur ante altare, pallio super posito ».

(4) c. 3, X, IV, 3.

familiaribus, ea lege ut ab illis omnibus et singulis secreti servandi obligatio fuerit prævie obtenta, descripto etiam matrimonii actu in registro secreto in Cancellaria episcopali caute custodiendo.

Hujusmodi sane matrimonium, licet non clandestinum, non est sine gravissima ratione permittendum, cum magna mala exinde sequi sint nata, quemadmodum monet Benedictus XIV, in Constitutione 27 Nov. 1741, *Satis Vobis* (1), par. 1-5.

Contingit tamen ea ab Ecclesia indulgeri, attentis peculiaribus omninò adjunctis, in gratiam v. gr. superioris cujusdam officialis exercitus, qui, ex dispositione legis civilis, ob defectum competentis dotis a matrimonio prohibetur; vel in favorem nupturientium, qui, propter alterutrius matrimonium civile, prohibentur civiliter copulari; vel in gratiam alicujus magnatis qui, post obitum nobilis conjugis, alterum matrimonium inire cupit, ut conscientiæ suæ consulat, ad quod conjugium occultandum urgentissima adsunt rationis momenta (2).

Intelligitur autem ea non permitti ab Ecclesia nisi salvo ejusdem jure talia matrimonia etiam, invitis conjugibus, publicandi, ubi bonum prolis aut scandalum vitandum id exigit.

Ulterius etiam nonnullæ cautelæ præscribuntur sedulò observandæ, quas enumerat ac describit Bened. XIV, in laudata Constitutione, par. 7 ss., inter quas signanter attende :

a/ a parocho transmittendum esse ad Episcopum scriptum documentum, notatis loco et tempore, testi-

---

(1) Tenorem *Constitutionis* reperies apud GASPARRI, *De matrimonio christiano*, II, p. 532 ss.

(2) Locus est etiam matrimonio conscientiæ, juxta Bened. XIV, l. c., quando « vir et femina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverant »; sed, cum publice habeantur uti conjuges, non vivunt in *stricte dicto* matrimonio conscientiæ, nec eorum conditio iisdem incommodis obnoxia est iisdemque severis cautelis ac in hypothesi in textu allata.

busque qui celebrationi interfuerunt, in eum finem ut, ad perennem gestæ rei memoriam, transcribatur in libro ad hoc, prorsus distincto ab altero in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur (1).

b/ denuntiandam esse prolis nativitatem ejusque notitiam dandam esse Episcopo (2).

Nota. Statutum speciale circa matrimonia conscientiæ habet ipse codex civilis Hispanicus (3).

---

(1) « Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis appositè compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantùm casu resignari, et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum aliquod ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulò tamen animadvertentes quod, re absoluta, denuò claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandæ, vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum, a persona a Vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium ». l. c., par. 10.

(2) « Volumus ac expresse mandamus, sic pergit Bened. XIV, in alloquendo Episcopos, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles Vobis denuntietur, dictaque denunciatio fiat vel immediatè per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certò et clare Vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum, baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta est a Vobis potestas adnotandi matrimonia occultè celebrata. Liber in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus prout librum matrimoniorum caute custodiri suprà mandavimus ». l. c , par. 11.

(3) « Le mariage secret de conscience, célébré devant l'Eglise, n'est soumis à aucune formalité d'ordre civil, mais ne produit plus aucun effet civil tant qu'il n'a pas été rendu public par son inscription sur le registre civil Toutefois ce mariage peut produire des effets civils dès le jour de la célébration, si les conjoints, d'un commun accord sollicitent de l'évêque qui l'a autorisé un extrait de l'acte consigné sur le registre secret de l'évêché et le remettent directement, et avec la réserve convenable, à la direction générale du registre civil, en en demandant l'inscription. La direction générale tient, à cet effet, un registre spécial et secret, avec les

III. Matrimonium morganaticum.

Dicitur matrimonium initum inter virum ex prænobili quadam et signanter regia stirpe oriundum (1) ac mulierem humilioris conditionis (2), ea lege ut, dum matrimonium pleni juris est coram Ecclesia, in foro civili mulier a participanda mariti dignitate excludatur, et filii ab omnibus patris titulis, muneribus, et paternorum avitorumque successione, saltem partim, extranei censeantur (3).

Nomen matrimonii *morganatici* probabilius derivatur a *morgengabe* seu, uti antiquitus dicebatur, *morgangeba,* quod erat, munus a viro uxori deditum post primam nuptiarum noctem in pretium pudicitiæ (4): in matrimonio nempe morganatico uxor et proles non assumuntur in participationem bonorum et dignitatum mariti seu patris nisi quoad exiguam tantùm partem, ad instar solius doni matutini (5). Vocatur etiam matrimonium *ad sinistram manum* (6), *vel ad legem salicam* (7).

---

précautions nécessaires pour que le contenu n'en soit pas connu avant que les parties n'aient demandé que l'acte soit rendu public par une transcription sur le registre municipal de leur domicile ». Ita, juxta art. 79, apud LEHR, *Le mariage, le Divorce... dans les principaux pays,* Paris, 1899, n. 361.

(1) Cf. LEITNER, o. c., p. 75, ubi, pro Germania et Austria, enumerantur familiæ quibus applicatur hæc specialis juris civilis dispositio.

(2) Iit etiam ut matrimonium morganatice celebretur inter virum et mulierem paris nobilitatis, quando nempe vir, ex prioribus nuptiis viduus, mulierem denuo ducens, prohibetur, uti in quibusdam regionibus obtinet, ne filios ex altero connubio nascendos æquo gradu habeat ac filios ex priori conjugio susceptos. Cf. *Kirchenlexion,* V° *Ehe zur linken Hand.*

(3) Cf. BENED. XIV, *De Syn. diæc.*, l. XIII, c. 23, n. 12.

(4) Cf. LEFEBRE, *Leçons d'introduction générale à l'Histoire du droit matrimonial français*, Paris, 1900, p. 427 s.

(5) *Kirchenlexicon*, l. c., FERRARIS, *Prompta Bibliotheca,* V° *matrim. ad morganaticam;* SCHERER, o. c., par. 109, nota 29; HEINER, *Grundriss des Kath. Eherechts,* Münster, 1905, p. 22; WERNZ, o. c., n. 29; LEITNER, o. c., p. 75 s. Cf. FREISEN, *Geschichte des Kath. Eherechts.* p. 53 ss.

(6) « Ehe zur linken Haud heisst sie, weil die Frau dem Manne nur an die linke Haud angetraut wird, zum Zeichen dass sie nicht als ebenbürtig in seine Familie tritt, daher auch nicht seines standes teilhaftig wird ». HEINER, l. c.

(7) « Das salische Gesetz bestimmte nun dass die cognati nur nach

Descriptum matrimonium morganaticum cave ne confundas, uti non rarò contingit, cum matrimonio conscientiæ, licet nonnunquam in unum conveniant. Nimirum ex una parte distinctio apparet ex eo quod matrimonium morganaticum potest celebrari publice et palàm cum consueta solemnitate et coram frequenti concursu populi (1), quodque facile continget matrimonium conscientiæ non esse morganaticum, puta si vir non est nobilis. Ex alia parte non semel in unum conveniunt: natum est enim fieri ut matrimonium morganaticum celebretur in modum matrimonii conscientiæ, cum rationes suprà invocatæ ad occultandas nuptias frequentius obtineant in familia nobilium et principum; matrimonium autem conscientiæ inter virum spectatæ nobilitatis et mulierem humilioris conditionis necessariò erit morganaticum, cum uxor ignota et proles ignotæ non possint frui nobili dignitate et muneribus mariti et patris.

V

Q. *Determina qualis debeat esse præsentia parochi matrimonio assistentis.*

R. Requiritur et sufficit ut parochus matrimonio assistat *tanquam testis:* ad quod opus est *primò*, ut non merè physice sit præsens sed etiam moraliter, quatenus intelligat, nisi affectasset non intelligere, et testari valeat de consensu conjugali præstito, et *secundò,* ut

---

absterben der agnati zur Erbschaft gelangen sollten. Heiraten nach dem salischen Gesetze hiess also unter der Bestimming heiraten, dass die kinder alle, auch die söhne, nur als cognati zu betrachten seien, die erst beim Fehlen der agnati zur Erbschaft gelangen sollten ». LEITNER, o. c , p. 76.

(1) Notissimum exemplum habemus in matrimonio archiducis Francicisci Ferdinandi, hæredis Imperii Austriaci, qui, die 1ª Julii 1900, duxit Sophiam comitissam de Choteck: morganaticè quidem contractæ sunt nuptiæ prævie ab illo facta renuntiatione, pro uxore, dignitati imperatricis, et, pro prolibus nascendis, juribus regni, ast celebratæ sunt nuptiæ solemniter et cum omni pompa regali.

tanquam talis a contrahentibus, saltem implicitè, adhibeatur.

Explicatio.

A/ Quod sufficiat parochum partes agere *meri testis* auctorizabilis, liquet ex ipso decreto Concilii Tridentini, parochi præsentiam exigentis, et signanter eruitur ex confectione decreti et collatione variarum propositionum quæ Patribus Concilii successive oblatæ sunt, uti ostendimus suprà, hoc tomo, p. 101 s. Nullum igitur actum ponere debet parochus ejusque præsentia merè passiva est sufficiens, quemadmodùm contingit in matrimoniis mixtis.

B/ Ad hanc assistentiam parochi *qua testis:*

1°/ Requiritur præsentia *moralis,* et non sufficit parochum, momento quo consensus emittitur, adesse physicè dumtaxat et materialiter, puta dormientem vel ad alia penitus distractum: oportet scilicet ut parochus intelligat matrimonium coram se contrahi, contrahentium sibi notorum verba audiendo (1), aut signa percipiendo quæ mutuum significant utriusque consensum (2).

Cui morali præsentiæ non officit quod parochus casu præsens sistatur aut dolo seu vi ad matrimonio assistendum adducatur, uti ex natura rei liquet, ac authenticè constat ex decreto anni 1582, in causa *Giennensi*, quod decretum refert Bened. XIV, l. c., n. 1, ubi ad dubium sub 3°: « Si invitus et compulsus per vim adsit

(1) Satis est quod verba consensum exprimentia audiantur, quin ipsi contrahentes videantur, modò ex cognita voce innotescant nupturientes.

(2) Cf. Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, l. XIII, c. XXIII, n. 6 ubi notat a S. Sede reprobatam fuisse opinionem eorum « qui contendebant, ad validitatem matrimonii præsentiam parochi merè physicam satis esse. Parochus enim interest matrimonio tanquam testis auctorizabilis pro Ecclesia, quæ... idcirco parochi præsentiam voluit, ut in illius probitate maximum veritatis fundamentum statuerit.. Parochus autem non potest testem agere tantæ in Ecclesia auctoritatis nisi et videat contrahentes, et vel eorum audiat verba, vel, ea non percipiens, signa saltem videat et intelligat, quæ mutuum significent utriusque partis consensum, juxta textum juris: *coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse nisi is intelligat* ».

sacerdos, dum contrahitur matrimonium... utrum tale matrimonium subsistat », respondetur : « subsistere » (1).

Requiritur igitur et sufficit ad primæ conditionis verificationem, ut præsentia, quomodocumque comparetur, dicto modo sit moralis, quatenus parochus perceperit ac intellexerit consensus præstationem ; imo non refert quod non intellexerit, *si affectaverit non intelligere*, uti expresse constat ex citata causa *Giennensi*, ubi ad dubium sub 4° : « Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium validè contrahatur, vel potius, tanquam sine sacerdote, nullius sit ponderis et momenti », respondendum censuit S. Sedes : « non valere si sacerdos non intellexit ; *nisi tamen affectasset non intelligere* » (2).

---

(1) Et revera, uti subdit S. Pontifex, l. c , n° 4, « cum parochi præsentia verificetur. etiamsi per vim inducta sit, idemque parochus fidem facere possit Ecclesiæ, celebratum verè fuisse coram se matrimonium, etiamsi illius celebrationi spontè non interfuerit, sed coactus ; nihil videtur in hoc casu deesse quod necessarium ad matrimonii validitatem judicatur. Unde... legitur (in regula juris) : *scire autem, non etiam velle, is debet, cum, eo invito, recte fit* ». Causæ huc pertinentes referuntur a Bassibey, *Le mariage devant les Tribunaux ecclésiastiques*, Paris, 1899, p. 43 s.

Profectò graviter illicitè agunt dolosè adeuntes vel advocantes parochum, eumque ad assistendum cogentes ; imo apud *Collect. Lacens.*, I, p. 550, inter decreta Concilii provincialis Avenionensis anni 1721, occurrit statutum quo in casuum reservatorum elenchum referendum jubetur facinus illorum qui ad dictam fraudem recurrunt ut parochum incautum adeant eumque invitum consensus matrimonialis præstationi assistere cogunt.

Hujusmodi matrimonia dolosè coram incauto sacerdote inita vocantur « mariages par surprise » ou « mariage à la gaulmine » : quæ altera denominatio ortum ducit a viro cui nomen Gaulmin, qui sæculo 170 tali modo matrimonium contraxit. Cf. *Revue Augustinienne*, 1906, t. IX, p. 430.

(2) Cf. Bened. XIV, l c., n. 1 et 10 : quo altero loco in crisim vocat varias inductæ exceptionis interpretationes, et hanc admittendam proponit : « matrimonium scilicet validum fore quod celebratum fuerit coram parocho, qui si nec vidit nec intellexit, ipse sibi in causa fuit ut non videret nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur ». Et sane, uti addit ibidem, « non est æquum ut ab arbitrio factoque parochi pendeat libertatem matrimonii impedire ». Eodem autem loco monentur parochi ut quidem

2°/ Requiritur *ut tanquam testis adhibeatur.*

Quæ altera conditio ita est intelligenda, non quasi in hunc finem sit advocandus parochus, cum possit etiam in alium finem dolosè accersiri, vel quasi expresse præmoneri debeat et certiorari; sed quatenus requiritur et sufficit ut, in modo agendi nupturientium, implicitè contineatur et aliquatenus appareat ipsos velle coram ipso qua teste matrimonium celebrare.

Unde ex una parte, ad quæstionem positam in causa *Giennensi*, de qua suprà, sub 5° « si adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se esse ad id vocatum, sed, aliud agens, audit duos inter se contrahentes matrimonium, utrum sit validum tale matrimonium, in quo fuit præsens, non tamen certioratus nec ad id expresse vocatus », responsum est: « valere, etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum ». Ex alia parte, docet *Gasparri*, o. c., n. 960, « putamus matrimonium irritum esse si parochus, arrectis auribus, audit sponsos in alio cubiculo maritalem consensum exprimere; aut hoc audit fortuitò per silvam transiens, nec a sponsis visus; aut audit convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adstans, sponsis prope fenestram inter se submissa voce consentientibus: in his enim casibus parochus et testes *nullo modo* adhibiti sunt ».

---

matrimoniis illicitè contrahendis obsistant, eisque voluntariam assistentiam non præstent, nolint tamen putare quod necesse sit « aures obturare velare faciem, aliaque hujus generis facere, quæ ad id solùm valent ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueant ». Cf. hic Wernz, o. c., n. 182, nota 236 et AA. citatos.

Lege etiam Bened. XIV, l. c., n. 11, ubi refert, anno 1753, causam esse coram se agitatam de quodam matrimonio contracto coram parocho domi suæ inopinatè deprehenso, qui virum quidem aspexerat, ejusque verba perceperat, fæminam vero nec viderat nec audierat »: judicatum autem esse pro valore matrimonii quia « manifestó compertum est, quod si parochus mulierem non vidit, ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit quia ipse obfirmato animo eam videre et audire noluit, cum eam facilè videre et audire potuisset ». Cf. etiam *Canon. Contemp.*, 1896, p. 485 s.

Nota. 1°/ Hæc secunda conditio practice censetur contineri in priori, adeo ut, si prior verificetur, vix cura esse debeat de altera.

2°/ Quæ dicta sunt de præsentia parochi, valent pro determinanda præsentia duorum *testium:* quibus signanter est benigne applicanda secunda conditio modò descripta, uti constat ex decreto S. C. de P. F., 2 Julii 1827, sub 2° (1). Cæteroquin quod spectat primam conditionem, sufficit, juxta exposita, ut viderint vel audierint emissum consensum licet forsan, sub ipsa matrimonii celebratione, non præsto fuerint ad latus nupturientium.

A. De Smet.

VI

Q. *Quid sit suspensio et qua ratione ab excommunicatione distinguatur.*

R. Suspensio est censura qua clericus prohibetur, vel in totum vel pro parte, ab usu potestatis ecclesiasticæ sibi competentis ratione ordinis, officii aut beneficii (2).

---

(1) Quærebatur sub 2° « Utrum post promulgationem decreti Tridentini, quando ob persecutionem vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum morem patriæ coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque conjugis qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui, licet nec rogati nec formaliter adhibiti fuerint, de matrimonio tamen more patriæ inito et de consensu utriusque conjugis, si non verbis, signis tamen sensibilibus expresso, possent facere fidem, si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum? » S. C. reposuit: « Affirmative quatenus testibus certò constet de præstatione consensus ». *Collectanea S. C. de P. F.*, n. 1401.

Cf. etiam *N. R. th.*, XVII, p. 107 ss , ubi vindicatur valor matrimonii celebrati coram parocho et uno teste ad hoc designato et custode; ita ut hujus, licet non moniti, præsentia suppleat defectui alterius testis designati, in supposito quod custos ad matrimonii celebrationem sufficienter attenderit.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp*, ed. 7,

Explicatur per partes.

1° *Est censura.* Suspensio communiter est censura seu pœna spiritualis et medicinalis, quæ potissimum ad emendationem rei, ut a contumacia recedat, infligitur; non excluso tamen fine vindicativo tutelæ ordinis socialis et castigationis rei (1). Suspensio rationem habere potest *pœnæ vindicativæ*, quando v. gr. imponitur ad aliquod crimen mere præteritum seu nullo modo conjunctum cum contumacia præsenti (2); induere potest naturam *inhabilitatis*, ut si feratur ob aliquem defectum

---

n° 1425 s., t. II, p. 768 s. Hæc definitio congruit cum historia hujus pœnæ, de qua breviter et bene apud SAEGMUELLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, p. 705 s., Freiburg, 1900-1904; ubi bibliographia reperietur.

(1) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 1387, p. 736 s; *Collat. Brug.*, t. III, p 625 ss.; HOLLWECK, *Die kirchliche Strafgesetze*, § 22, anm. 3, p. 85, Mainz, 1899.

(2) Ante Constitutionem *Apostolicæ Sedis* (1869), suspensiones perpetuæ vel ad definitum tempus, vel ad beneplacitum S.S^is^ latæ, sat generaliter considerabantur ut pœnæ vindicativæ, cum de natura censuræ stricte dictæ sit ut feratur in indeterminatum tempus ad frangendam contumaciam. Cf. tamen S. ALPHONSUM, *Theologia moralis*, l. VII, n° 314, aliosque veteres citatos apud HOLLWECK, *o. c.*, § 59, anm. 3. Dicendum videtur, quod naturam pœnæ exemplaris habere *possunt* sed non *debent* illæ suspensiones; quod pendet ab intentione legislatoris aut superioris comminantis suspensionem. In præfata autem Constitutione recensentur inter censuras l. s. suspensio una perpetua, alia triennalis, aliæ annales etc.; inde enata est controversia num inter pœnas medicinales, an potius inter vindicativas sint adnumerandæ. Opinamur has pœnas latas esse potissimum ad correctionem delinquentis, secundario ad vindictam legis; inde non proprie vocari posse pœnas vindicativas, etsi jam propius ad has accedant. Ratio est 1° quia ita voluit legislator, cum nullo modo intenderit in C. *Apostolicæ Sedis* pœnas vindicativas recensere et emendationi subjicere, 2° quia in dubio num suspensio sit censura an pœna, præsumendum est ipsam esse censuram, cum sit mitior quia medicinalis et quia censuratus *jus* habet ut absolvatur, statim ac resipiscat, etiam non elapso termino, ad quem lata fuit censura. Inde momentum practicum hujus sententiæ, cum censura absolutione, pœna vero dispensatione auferatur. Ita: HOLLWECK, *o. c.*, § 22, anm. 3; § 59, anm. 3; LEGA, *De Judiciis ecclesiasticis*, lib. II, vol. III, p. 232. Romæ, 1900; LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici*, p. 317. Herder 1903; NOLDIN, *De pœnis ecclesiasticis*, ed. 5, p. 88. Œniponte, 1905. Hæc quæstio non ideo, ni fallar, est magni momenti quod sola suspensio quæ sit *censura*, effectum irregularitatis producat, cum juxta sententiam quæ hodie certa videtur omnis suspensio ab ordine, cujusvis sit indolis, hanc inducat irregularitatem. Cf. HOLLWECK, *o. c.*, § 66, anm. 2; LEGA, *o. c.*, p. 249 s.

corporis per modum irregularitatis ; imo aliquando statuitur ut simplex *dispositio administrativa*, ita cum episcopus aliquem clericum præventum, ab exercitio functionum sacrarum, durante processu, suspendit, ad vitandam admirationem in plebe.

2° *qua clericus*. Suspensio est enim pœna statui clericali propria et infligi potest in omnes clericos, etiam simplici tonsura initiatos (1). Episcopi suspensionibus latæ sententiæ non subsunt, nisi eorum specialis mentio habeatur.

3° *prohibetur ab usu potestatis ecclesiasticæ,* quia suspensio non privat ipso officio vel beneficio — ut fit in depositione et degradatione, quæ privant ipso titulo ecclesiastico et ipsa potestate, in quantum fieri potest — sed tantum usu et quidem activo, non passivo, potestatis ecclesiasticæ. Nempe suspensio non aufert omnia bona spiritualia fidelibus communia sed tantum bona et jura clericali statui propria. Consequenter clericus suspensus impeditur ne functiones ecclesiasticas exerceat, aliquave ecclesiastica potestate utatur; non vero arcetur a divinis officiis, a receptione sacramentorum, a sepultura ecclesiastica etc.

Potestas vero adnexa esse potest statui clericali jure divino vel jure ecclesiastico. Quidquid jure divino adnexum est, suspensione *illicitum* reddi potest, non vero *invalidum;* quæ autem jure ecclesiastico adnectuntur, eodem jure separari possunt et irritari (2).

4° *sibi competentis ratione ordinis, officii vel beneficii.* Nam distinguitur suspensio ab ordine, ab officio et a beneficio. Prima privat exercitio functionum ordinis (3);

---

(1) Nihil impedit quominus censura feratur in aliquam clericorum communitatem, sive *collective* sumptam, id est qua est corpus quoddam morale, sive *distributive* sumptam seu in communitatis membra personaliter considerata. Si imponatur communitati qua tali, non est censura, cum hæc supponat culpam personalem.

(2) Santi, *Prælectiones juris canonici,* ed. 3, t. V, p. 217. Ratisbonæ 1899.

(3) Vi hujus suspensionis ordines nec conferri, nec exerceri possunt; excipiuntur ab auctoribus exercitium ordinum minorum quæ jam permittuntur laicis, et collatio tonsuræ quæ non est ordo.

altera, omni usu potestatis tum ordinis tum jurisdictionis fori interni et externi; tertia administratione beneficii, necnon jure percipiendi ejusdem fructus.

Suspensio ab officio secum trahit suspensionem ab ordine non autem a beneficio.

5° *in totum vel pro parte.* Etenim illæ suspensiones possunt omnes simul incurri et tunc vocatur illa suspensio ab officio et beneficio suspensio *generalis,* plena aut completa; vel singula incurritur seorsim ab aliis et vocatur illa suspensio ab ordine, vel ab officio, vel a beneficio suspensio *specialis.* Suspensio specialis iterum subdividitur in *totalem* et *partialem,* prouti privat v. gr. ab omni actu functionum ordinis vel tantum ab aliquibus aut alicujus ordinis actibus (1).

Nota. Ex dictis elucet suspensionem quadruplici capite differre ab excommunicatione:

a/ *ratione subjecti.* Excommunicatione plectuntur laici et clerici, non vero communitas; suspensione soli clerici et clericorum communitas.

b/ *ratione objecti* quo privat. Excommunicatio privat omnibus bonis spiritualibus quæ inter fideles communia sunt et dispositioni Ecclesiæ sunt concredita; suspensio privat tantum usu potestatis ecclesiasticæ.

c/ *ratione causæ formalis privationis.* Excommunicatio privat aliquem clericum potestate ecclesiastica, propter communionem cum fidelibus, a qua excommunicatus expellitur; suspensio vero eam adimit, in quantum conjuncta est cum ordine, officio aut beneficio, titulis muneris clericalis aut ecclesiasticæ potestatis.

d/ *ratione effectus.* Excommunicatio causat omnes suos effectus indivisibiliter, excommunicatum excludendo a corpore Ecclesiæ. Suspensio effectus suos potest causare divisibiliter, juxta vim aut formam legis vel sententiæ suspendentis.

A. De Meester.

---

(1) Illa terminologia non ab omnibus adhibetur. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.,* n. 1426, p. 770; Saegmueller, *o. c.,* p. 706.

Documents de Jurisprudence

I

Conseil communal. — Publication par voie d'affiches d'un tarif des funérailles étranger au diocèse. — Annulation.

Arrêté royal du 1er février 1907 (1).

Léopold II, etc.... vu la délibération en date du 13 octobre 1906, par laquelle le conseil communal d'Heppignies décide de faire imprimer sous forme d'affiches 500 exemplaires reproduisant :

1° L'extrait du *Mémorial administratif* de la province du Hainaut (supplément du n° 64 de 1878) relatif aux droits de funérailles, lequel reproduit un extrait du tarif de Roquelaure arrêté pour le diocèse de Malines ;

2° Les tarifs des honoraires des services religieux institués dans le diocèse de Tournai, approuvés par arrêté royal du 12 mars 1880 ;

Vu l'arrêté etc...

Considérant que le tarif de Roquelaure est absolument étranger au diocèse de Tournai ; qu'en en ordonnant la publication comme s'il était en vigueur dans le diocèse, le conseil communal d'Heppignies est sorti de ses attributions, puisqu'il n'a pas à établir de son chef un tarif des oblations ; que la délibération qu'il a prise à cet égard blesse l'intérêt général, puisqu'elle est de nature à induire le public en erreur et à provoquer sans juste cause des conflits avec la fabriques d'église ;

Vu les articles 86 et 87 de la loi communale etc....

Nous avons arrêté et arrêtons ;

Article unique. La délibération prémentionnée du conseil communal d'Heppignies est annulée, en tant qu'elle se rapporte à la publication du tarif de Roquelaure.

---

(1) *Moniteur*, p. 668 s.

Observations.

1° En exécution des articles 69 de la loi du 18 germinal an X et 20 du décret du 23 prairial an XIII, des règlements ou tarifs des services religieux ont été arrêtés dans la plupart des diocèses, au commencement du siècle dernier, de commun accord par les Evèques et le Gouvernement. Le diocèse de Tournai fit exception, et les droits perçus, notamment à l'occasion des funérailles, y furent fixés par l'usage des lieux et des tarifs spéciaux. M. Bara, par sa circulaire du 20 Septembre 1878 sur l'applicabilité des tarifs diocésains *aux fondations*, enjoignit au gouverneur de la province du Hainaut de se servir du règlement élaboré pour l'archidiocèse de Malines par Mgr de Roquelaure et approuvé le 1e nivose an XII, jusqu'à ce que l'article 69 de la loi de germinal eut reçu autrement son application (1).

Cette décision était inconstitutionnelle et illégale. Elle ne s'appliquait d'ailleurs aucunement aux funérailles et autres services religieux non fondés, et de plus elle se trouva sans objet, lorsque l'arrêté royal en date du 12 mars 1880 eut publié pour le diocèse de Tournai un tarif général concernant les frais des services religieux institués par dispositions entre vifs ou testamentaires.

Conséquemment dans ce diocèse, le règlement des funérailles est toujours fixé par l'usage des lieux et les tarifs paroissiaux. Ceux-ci du reste ont partout prévalu contre les anciens règlements diocésains; devenus insuffisants à cause de la variation des situations économiques et des exigences nouvelles des familles (2); et en droit, ils sont parfaitement légaux, ayant à leur base

---

(1) Voir aussi les circulaires du même ministre de la justice du 14 août et 8 déc. 1880. Ces textes se trouvent dans LEROY, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises*, en append. p. XVII et ss. Tournai, 1883.

(2) *Collat. Brug.*, t. I, p. 434.

une convention au moins tacite qui fait la loi des parties (1).

On comprend par là la méprise du conseil communal d'Heppignies, qui, sortant de ses attributions, a entendu rétablir un tarif suranné, étranger au diocèse, illégalement introduit par M. Bara en 1878, et en toute hypothèse sans effet depuis 1880. C'est donc à bon droit qu'une telle délibération a été cassée par l'autorité supérieure (2).

2° Cette délibération est maintenue en tant qu'elle a décidé l'affichage des tarifs des services fondés, approuvés par l'arrêté royal du 12 mars 1880.

La *Revue catholique de droit* (3) fait très justement remarquer que le droit d'affichage de l'autorité communale n'est pas absolu, spécialement quant à la manière dont celle-ci use de ce droit. Ainsi le collège échevinal ne pourrait ordonner l'affichage du tarif *dans les cafés et dans les lieux publics;* « considérant, dit l'arrêté royal » cité du 10 novembre 1888, que si l'autorité commu- » nale avait le droit de faire afficher le tarif diocésain, » approuvé par Nous le 12 mars 1880, à la maison » communale et autres lieux où se publient les lois et » les arrêtés, le collège échevinal, en ordonnant l'affi- » chage permanent d'un extrait du tarif des funérailles » du diocèse de Malines et de celui des fondations de » services religieux *dans les cafés et autres lieux publics* » a manifesté pour le culte de la majorité des habitants, » des sentiments de dérision qui sont également de » nature à blesser l'intérêt général. »

---

(1) Jugement du trib. de Brux. 17 avril 1895, ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 138 s., 430 ss., confirmé par l'arrêt de la cour de Cassation 28 jan. 1897; *Collat. Brug.*, t. II, p. 278 s.; trib. de Verviers, 4 mars 1903, *Pand. périod.* 1903, 1159; cf DE CORSWAREM, *Fabriques d'églises,* n° 395 ss., p. 381 ss. Hasselt, 1904.

(2) Deux arrêtés royaux du 10 nov. et 17 déc. 1888 (*Moniteur,* p. 3282 s. et 3553) ont annulé des délibérations analogues.

(3) t. IX, 1906-1907. p, 350.

II

Rente pour services religieux. — Tarif des messes fondées. — Taux du remboursement. — Offres réelles. — Conditions qu'elles doivent remplir pour être satisfactoires.

Cour d'Appel de Bruxelles (7e ch.)
23 juillet 1906 (1).

J. B. VERBIST ET Cts C. LA FABRIQUE D'ÉGLISE DE VOORTKAPEL.

Attendu que les appelants poursuivent le rachat de deux rentes perpétuelles comportant, l'une, le prix de deux messes chantées chaque semaine, l'autre, le prix d'une messe annuelle chantée pour l'âme de Thoelen, le tout dans l'église de Voortkapel, commune de Westerloo, fondations créées par feu Pierre Martin Dauwen, décédé à Westerloo le 14 octobre 1872, suivant le testament authentique reçu la veille par le notaire Verhaert de Tongerloo, enregistré;

En ce qui concerne le capital de rachat:

Attendu que les deux seules contestations soumises à la Cour portent:

1° Sur le prix de chaque messe, comprise dans les fondations litigieuses, et partant sur le montant total de l'annuité due à raison de ces fondations et devant servir de base au calcul du capital; 2° sur le taux de capitalisation de cette annuité:

Tandis que les appelants prétendent que le montant total de l'annuité des rentes est de 525 francs, soit le prix de 105 messes chantées calculées à 5 francs la messe, sur pied du tarif diocésain en vigueur à Voortkapel-Westerloo en 1872, et que le taux de capitalisation est le denier 20, — l'intimée au contraire, appliquant le tarif diocésain approuvé par l'arrêté royal du 16 janvier 1880, ainsi que le taux de l'intérêt légal civil fixé par la loi du 20 décembre 1890, allègue que le montant de l'annuité est de 787 francs 50 centimes, soit 105 messes à 7 francs 50 centimes, et que le capital de rachat est de 17,500 fr., soit 787 francs 50 centimes multiplié par le denier 22,22;

(1) *Revue catholique de droit*, t. IX, 1906-1907, p. 159 ss.

Attendu que s'il est vrai que le testateur n'a indiqué, en termes exprès, ni le prix à payer pour chaque messe comprise dans les fondations litigieuses, ni le capital des rentes, ni le taux de capitalisation, pour le cas de rachat, il est certain néanmoins qu'en ce qui concerne tant le prix de chacune de ces messes que le taux de capitalisation, il s'est référé au tarif diocésain et au taux de capitalisation en vigueur et usités en 1872 à Voortkapel;

Il résulte, en effet, des documents du débat que l'auteur des fondations était ou avait été membre du conseil de la fabrique d'église intimée et que sa famille avait déjà établi au moins une fondation de messes chantées du prix de 5 francs, dans la paroisse de Bevel, située non loin de Voortkapel et d'importance à peu près analogue.

Au moment où il faisait son testament, il devait donc savoir que le prix en usage dans la paroisse de Voortkapel pour les messes chantées qu'il fondait était de 5 francs en vertu du tarif diocésain dit Roquelaure, approuvé par décret du premier nivôse an XII;

Il n'ignorait pas davantage — la loi étant censée connue de tous — que les fondations, telles qu'il les établissait, seraient de leur essence rachetables dès le moment de son décès et que le taux de l'intérêt légal en matière civile était, en vertu de l'article 2 des lois des 3 septembre 1807 et 5 mai 1865, de 5 %;

Déjà alité et sentant approcher la mort survenue d'ailleurs le lendemain, il n'a, au moment où il dictait ses dernières volontés, pu avoir en vue, pour la fixation des droits et obligations réciproques de ses héritiers et de la fabrique d'église intimée, que le tarif diocésain et le taux légal de l'intérêt en vigueur alors et appliqués l'un et l'autre depuis le commencement du siècle; et cette fixation des droits et obligations, il l'a voulue définitive, irrévocable; et, en effet, il n'a pu vouloir que les rentes perpétuelles imposées à sa succession pussent, dans la suite des siècles, s'élever ou diminuer sous l'influence d'un changement de tarif diocésain ou de taux d'intérêt, ni que le capital nécessaire au rachat éventuel fût susceptible de variation au détriment de l'une ou de l'autre des parties, suivant l'époque plus ou moins favorable à laquelle le rachat serait exigé (art. 1911 à 1913 du Code civil);

Attendu, en ce qui concerne spécialement le prix des messes litigieuses, que l'intention du testateur de se référer au tarif Roquelaure devient plus évidente encore, lorsqu'on considère qu'alors qu'il n'a déterminé, en termes exprès, le prix d'aucune des nombreuses messes chantées qu'il prescrivait, tant pour celles établies à perpétuité que pour les autres, toutes messes dont le dit tarif réglait le prix, il a eu, au contraire, bien soin de fixer, dans le même testament, à la somme de deux francs le prix de chacune des messes basses à heure libre qu'il ordonnait, messes dont ce tarif s'abstenait de régler le prix en ce qui concerne les églises de l'importance de celle de Voortkapel;

Attendu, au surplus, que l'intimée ne s'est pas méprise au sujet de ses droits; qu'en effet depuis le décès du testateur jusqu'au moment où le rachat a été réclamé, c'est-à-dire pendant environ 29 ans, elle a toujours, d'accord avec les débirentiers, liquidé le paiement des rentes litigieuses sur le pied du tarif Roquelaure, sans jamais réclamer la liquidation sur pied du tarif diocésain nouveau, en vigueur cependant depuis 1880, tarif dont elle n'a certes pas ignoré l'existence, et il ne paraît pas que les autorités supérieures, qui ont eu à approuver ses comptes annuels et à qui l'irrégularité, s'il y en avait eu une, n'eût certes pas échappé, aient de leur côté fait jamais la moindre observation à cet égard;

Attendu que la créance de l'intimée à charge des appelants se trouvant nettement et irrévocablement déterminée par le testateur, ni la loi du 12 décembre 1890, qui a réduit le taux de l'intérêt légal, ni l'arrêté royal du 16 janvier 1880, qui a approuvé un nouveau tarif diocésain, n'ont pu modifier cette créance, quels que soient les effets que cet arrêté royal ait pu avoir sur les rapports entre la fabrique intimée et le personnel qui doit s'acquitter des services religieux prescrits;

Attendu que l'article 2 du titre III de la loi des 18-29 décembre 1790, invoqué par le premier juge, ne vise que le rachat des rentes foncières originairement créées irrachetables et n'est par suite pas applicable en l'espèce; mais, en fût-il autrement, encore les rentes litigieuses étant payables en argent, le capital de rachat devrait-il se calculer sur le pied du denier 20, aussi bien que la capitalisation par application de l'article 2 de la loi du 5 mai 1865;

Attendu que des considérations qui précèdent, il résulte qu'ainsi que le prétendent les appelants, l'annuité qui doit servir de base au calcul du rachat est de 525 francs, soit 105 messes chantées à 5 francs la messe; que la capitalisation doit se faire au denier 20 et qu'ainsi le capital de rachat est de 10,500 francs.

En ce qui concerne les offres réelles faites par les appelants et les arrérages de rente dus :

Attendu que les offres réelles faites par les appelants par exploit de l'huissier Meer de Westerloo, du 1er juillet 1902, enregistré, ne portaient que sur le capital de rachat ci-dessus indiqué, alors que déjà un semestre entier de l'année 1902 était écoulé et que, par suite, le coût de 52 messes de fondation était dû, soit 260 francs;

Que cette somme de 260 francs n'étant pas comprise dans les offres, celles-ci, abstraction faite de la régularité de la forme, étant incomplètes, non adéquates à la somme alors due et par suite non satisfactoires (art. 1258, n° 3, du Code civil); que, dès lors, l'intimée était en droit de les refuser;

Que ces offres incomplètes et non suivies de consignation n'ont pu en rien libérer les appelants, ni empêcher les arrérages subséquents de devenir exigibles au fur et à mesure de leur échéance; que jamais, dans le cours de la procédure, les appelants n'ont offert ces arrérages;

Attendu que, depuis le 1er janvier 1902 jusqu'à la date du présent arrêt, les arrérages s'élèvent à un total de 2,390 francs, soit quatre ans à 525 francs et vingt-neuf semaines à 10 francs;

Attendu que, conformément aux conclusions de l'intimée, le présent arrêt condamne définitivement les appelants à payer le capital des rentes rachetées par eux, capital qui, par suite, se trouve substitué à ces rentes dont les arrérages cessent par le fait même à partir de ce jour;

Attendu que les intérêts légaux à partir du présent arrêt sont compris dans la demande des arrérages, telle qu'elle est formulée par l'intimée;

Attendue que l'intimée ne sera tenue de donner mainlevée de l'hypothèque garantissant le service des rentes litigieuses que lorsque les sommes ci-dessus fixées du chef de capital et d'arrérages seront entièrement payées ou consignées;

En ce qui concerne les dépens :

Attendu que chacune des parties succombant dans partie de ses prétentions, il y a lieu de partager les dépens dans la proportion ci-après indiquée :

Par ces motifs :

La Cour, ouï en son avis, en partie conforme, donné en audience publique, M. Denyn, substitut du Procureur général, déboutant les parties de toutes fins et conclusions plus amples ou contraires, met le jugement dont appel à néant ;

Emendant, déclare non satisfactoires les offres réelles faites par les appelants à l'intimée le 1er juillet 1902 ;

Condamne les appelants à payer à l'intimée :

a/ du chef du rachat de l'ensemble des deux rentes perpétuelles créées par le testament du 13 octobre 1872 de Pierre-Martin Dauwen, de Westerloo, en vue de 1° deux messes chantées à célébrer par semaine et à perpétuité en l'église de Voortkapel, et 2° une messe anniversaire chantée à célébrer à perpétuité en la même église pour Jean-Baptiste Thoelen, un capital de 10,500 francs ;

b/ du chef d'arrérages de ces rentes depuis le 1er janvier 1902 jusqu'à la date du présent arrêt la somme de 2,390 francs ;

c/ aux intérêts légaux du capital à partir du présent arrêt ;

Dit que moyennant le paiement de ces sommes, ou leur consignation en cas de refus d'acceptation du paiement, les appelants seront libérés de leurs obligations envers l'intimée du chef des deux rentes perpétuelles ci-dessus indiquées ;

Dit que, sur le vu de la quittance ou du certificat de la consignation des dites sommes, M. le conservateur des hypothèques de Turnhout sera tenu de procéder à la radiation de l'inscription hypothécaire prise au profit de l'intimée à charge des appelants ou de leurs auteurs en garantie des deux rentes perpétuelles susvisées, sur les immeubles suivants sis à Westerloo... ;

Condamne chacune des parties à la moitié des dépens des deux instances. (Du 23 juillet 1906).

Observations. Cet arrêt est intéressant à un double point de vue.

1° D'après les règles fixées par M. Bara et rappelées par M. Devolder dans sa circulaire ministérielle du 15 mai 1885, les honoraires des services religieux prescrits par les fondations antérieures aux tarifs diocésains de 1879-1880 doivent être payés soit conformément à la volonté du testateur ou au tarif en vigueur à

l'époque de la fondation (1), soit d'après la réduction obtenue de l'autorité légitime, pourvu toutefois que les honoraires fixés d'après ces règles, ne dépassent jamais ceux des nouveaux tarifs (2). Cependant une circulaire de M. Woeste, en date du 17 juillet 1884 avait décidé que les nouveaux tarifs étaient applicables aux fondations antérieures à ces tarifs, comme aux fondations nouvelles approuvées depuis ; la doctrine et la jurisprudence semblaient d'accord pour appliquer ces tarifs comme base uniforme des honoraires de toutes les fondations (3). Quoiqu'il en soit du caractère trop absolu de ces règles, il a été jugé par le présent arrêt de la Cour de Bruxelles que les honoraires des fondations antérieures aux arrêtés royaux de 1879-1880 ne doivent pas être nécessairement conformes aux tarifs actuellement en vigueur, mais qu'ils peuvent être payés d'après le tarif en usage à l'époque de la fondation, s'il conste que telle a été la volonté soit expresse, soit tacite du testateur.

Il est vrai que, dans le cas, le testateur n'avait pas déterminé en termes exprès le prix de chaque messe comprise dans les fondations litigieuses ; néanmoins on peut conclure avec certitude de l'ensemble des faits et des circonstances de l'acte que l'intention du défunt a été d'imposer à ses héritiers une charge bien définie et qu'il s'est référé à cet effet au tarif diocésain en vigueur à l'époque du décès.

Nous croyons cette décision fondée en droit, en tant qu'elle est basée sur l'interprétation de la volonté du

---

(1) La circ. de M. De Volder porte : « A défaut d'indications fournies par l'acte de donation, il convient de s'en rapporter à l'usage des lieux, en prenant pour base la pratique suivie à cet égard jusqu'en 1878 etc. ». Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t II, n. 1041, p. 333.

(2) Leroy, *o. c.*, p. 142 ss.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, p. 332 ; de Corswarem, *o. c.*, p. 379, n° 391 ; Jurisprudence dans la *Rev. cath. de droit*, 1901-1902, t. IV, p. 124 ; arrêt de la Cour de Gand 8 juillet 1893 dans la *Belgique judiciaire*, 1893, 922.

testateur, loi suprême des fondations. Si les honoraires fixés par le tarif en vigueur au moment de la fondation sont insuffisants, il y a lieu de recourir au droit de réduction de l'Évêque ; la réduction est en effet inhérente à la nature des fondations.

2° Un second point sur lequel s'est prononcé l'arrêt est relatif au taux de la capitalisation de la rente en question.

On s'accorde à considérer les charges imposées aux héritiers ou légataires de faire exonérer annuellement et à perpétuité des services religieux, comme une rente perpétuelle, donc essentiellement rachetable (1).

Mais, quelles seront, au point de vue du droit civil, les conditions du rachat? Si le capital a été déterminé dans l'acte de fondation, le remboursement se fera d'après ce capital. Si aucune évaluation du capital n'a été faite, on peut affirmer d'une façon générale que les rentes antérieures à la loi des 18-29 décembre 1790 sont remboursables au denier 20 ou au denier 25 (annuité *sans déduction* de la retenue, multipliée par 20 ou 25) d'après que les échéances annuelles se font en argent ou en nature (grains, denrées etc.) (2), plus un dixième lorsque la rente est foncière et libre de retenue (3);

---

(1) *Rev. cath. de droit*, 1901-1902, t. IV, p. 125. *Collat. Brug*, t. III, p. 22, note 1°.

(2) *Collat. Brug.*, t. III, p. 22. ss. M. Van Coillie (p. 22, note 2) fait très judicieusement la remarque suivante : « Bien que la loi des 18-29 décembre 1790 ne règle que le rachat des *anciennes* rentes foncières, la » jurisprudence a néanmoins appliqué aux rentes nouvelles, créées » postérieurement à cette loi, les règles qu'elle établit pour évaluer le » prix moyen des prestations en nature et pour fixer le taux du rachat. » On pourrait en ce qui concerne le dernier point, discuter la légalité » de cette jurisprudence, actuellement surtout que la loi à fixé le taux » de l'intérêt à 4 1/2 °/o ». Un des considérants de l'arrêt de la Cour est pleinement conforme à cette manière de voir. Cf. *Rev. cath. de droit*, 1901-1902, t. IV, p. 124 s.; 1906-1907, t. IX, p. 163.

(3) La rente est *sujette à reduction*, lorsque le débiteur a le droit de déduire une partie des arrérages, généralement le cinquième, du chef de la contribution foncière. Elle est libre de retenue dans le cas contraire. On peut dire d'une façon générale que les rentes foncières créées avant

quant aux rentes postérieures à cette loi, la seule base pour fixer le remboursement est l'intérêt légal existant au moment de la constitution de la rente (1). Conséquemment, pour les rentes antérieures à la loi du 20 décembre 1890, la capitalisation se calculera sur le pied du denier 20, par application des lois du 3 septembre 1807 et du 5 mai 1865, qui ont fixé l'intérêt en matière civile a 5 %; pour les rentes créées postérieurement à la loi de 1890 — qui a abaissé le taux de l'intérêt légal a 4 1/2 % — le remboursement se fera au denier 22, 22 (2).

Il est évident que le capital remboursé à ce taux et placé en rentes belges ou autres fonds analogues produira un intérêt inférieur aux annuités de la rente (3). Il y aurait lieu par conséquent de recourir à l'évêque pour obtenir la réduction des charges.

A. De Meester.

---

la loi du 3 septembre 1807 y sont sujettes, à moins que le titre ne dise le contraire; créées après cette date, elles sont de plein droit exemptes de retenue. Cf. Dijon, *Administration et comptabilité des fabriques d'églises*, 2e édit., p. 16 s. Huy, 1899; *Collat. Brug.*, t. III, p. 23, note 2. Mgr Moulart (*Des Fabriques d'églises*, 9e édit., p. 542) est d'avis que le taux du rachat doit se calculer d'après les bases ordinaires ($\frac{1}{20}$ ou $\frac{1}{25}$) toutes les fois, qu'il s'agit de rentes affectées à des services religieux; parce que les rentes de cette espèce ne sont point de leur nature sujettes à retenue, la rente entière étant la représentation des services.

(1) *Rev. cath. de droit*, t. IV, p. 125.

(2) Quant aux formalités à observer par les fabriques pour le remboursement des rentes, v. *Collat. Brug.*, t. III, p. 22 ss.

(3) Nous avons établi les conditions du rachat au seul point de vue civil, nous abstenant de juger de la valeur en conscience de ces prescriptions, nulles au for ecclésiastique. S'il conste de la volonté du fondateur d'imposer à sa succession la charge de faire célébrer à perpétuité certains services religieux après sa mort, les héritiers, s'ils veulent racheter cette rente, ont l'obligation de rembourser un capital suffisant pour faire exonérer les charges intégralement. L'Évêque doit veiller à l'exécution des fondations et des causes pies et est juge en cette matière. Aussi, s'il s'agit du remboursement d'une rente, il doit être entendu préalablement sur tous les actes soumis à l'approbation des autorités administratives. V. Mgr Waffelaert, *Étude sur l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 230. Tournai, 1884; et son traité *de Justitia*, t. I, n° 168, 546, 559, 579, 592. Bruges, 1885.

S. C. Concilii Litteræ

DE SATISFACTIONE MISSARUM.

Recenti Decreto « *Ut debita* » diei XI mensis Maii MCMIV, hæc S. Congregatio, varias complexa leges ante jam latas de Missarum oneribus religiose adimplendis, adjectis opportunis declarationibus interpositâque severa sanctione, providere studuit ut res omnium sanctissima summo apud omnes in honore esset, periculumque amoveretur, ne quis ullo modo piis fidelium voluntatibus quidquam detraheret. Hæ tamen quum essent Sedis Apostolicæ curæ et Episcoporum sollicitudines, non defuerunt abusus ac legis violationes, super quæ Sacra eadem Congregatio excitandam denuo censuit Antistitum vigilantiam.

Constat enimvero, haud paucos, non obstantibus notissimis canonicis præscriptionibus, minime dubitasse de Missarum accepta stipe suo marte demere aliquid, retentâque sibi parte pecuniæ, ipsas Missas aliis celebrandas committere, ea forte opinione ductos, id sibi licere vel ob assensum sacerdotis, animo plus minus æquo recipientis, vel ob finem alicujus pii operis juvandi, exercendæve caritatis.

Fuerunt etiam qui contra toties inculcatas leges, præsertim contra num. 3m ejusdem Decreti, hoc genus industriæ sibi adsciverunt, ut Missarum numerum, quem possent maximum, undique conquisitum colligerent. Quo haud semel factum est, ut ingens earum copia manibus privatorum hominum fuerit coacervata; ideoque manserit obnoxia periculo, quod quidem, remotâ etiam humana malitia, semper imminet rebus privatæ fidei commissis.

Denique sunt reperti qui, a lege discedentes expressa num. 5° Decreti, Missas celebrandas commiserint, non modo copiosius quam liceret largiri privatis, sed etiam inconsideratius; quum ignotis sibi presbyteris easdem crediderint, nominis titulive alicujus specie decepti, vel aliorum commendationibus permoti, qui, nec eos plane nossent, nec assumpti oneris gravitatem satis perspectam haberent.

Talibus ut occurratur disciplinæ perturbationibus utque

damna gravissima, quæ violationem Decreti « *Ut debita* » consequi solent, pro viribus propulsentur, hæc S. Congregatio, jussa faciens SSmi D. N. Pii Papæ X, Episcopos omnes aliosque Ordinarios admonet, ut curam omnem et vigilantiam adhibeant in re tanti momenti, edoceantque clerum et administratores piorum legatorum, quanta ex inobservantia et contemptu legis pericula proveniant: quo onere ipsorum conscientia gravetur; quam temere arbitrium suum legibus anteponant, quas diuturna rerum experientia ad rei augustissimæ tutelam collocavit; qua denique sese culpa obstringant; quibus pœnis obnoxii fiant.

At malo radicitus extirpando Emi Patres necessarium insuper censuerunt huc usque præscriptis nova quædam addere. Itaque re discussa primum in Congregatione diei 23 mensis Martii 1907, ac denuo in sequenti die 27 Aprilis, sub gravi conscientiæ vinculo ab omnibus servanda hæc statuerunt:

I. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive sæcularibus sive regularibus extra diœcesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

II. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

III. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quæ in Oriente sitæ sunt, mittere, semper et in singulis casibus id præstare debebunt per S. Congregationem Propagandæ Fidei.

His autem omnibus ab infrascripto Secretario relatis eidem SSmo D. N. in audientia diei 28 mensis Aprilis, Sanctitas Sua deliberationes Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, easque vulgari jussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ die 22 mensis Maii 1907.

† VINCENTIUS Card. Episc. Prænestinus, *Præfectus*.
C. De Lai, *Secretarius*.

ADNOTATIONES.

In hisce litteris S. Congregatio Concilii

1°/ Conqueritur de transgressione legum ab Ecclesia tam providè statutarum et recenter per Decretum *Ut Debita* 11 Maii 1904 in unum redactarum, quibus variis legibus providere studuit S. Sedes ut res omnium sanctissima summo apud omnes in honore esset, periculumque amoveretur ne quis ullo modo piis fidelium voluntatibus quidquam detraheret.

2°/ Describit præcipuos abusus qui irrepsisse videntur. Nimirum

a/ dantur non pauci qui de missarum accepta stipe suo marte demere aliquid, retentaque sibi parte pecuniæ, ipsas missas aliis celebrandas committere non dubitant;

b/ fuerunt etiam qui hoc genus industriæ sibi adsciverunt ut missarum numerum, quem possent maximum, undique conquisitum colligerent;

c/ reperiuntur qui missas celebrandas committunt nimia copia vel inconsideratius, ita ut easdem ignotis presbyteris credant.

3°/ Ad oppugnandos hos abusus et generatim ad vindicandam Decreti *Ut Debita* observantiam, Eminentissimi Patres

a/ graviter monent Episcopos ut, omni qua pares sunt zelo, opere et sermone, urgeant leges et sanctiones in Decreto conditas, populum fidelem edocendo, et signanter clerum ac piorum legatorum administratores, « quanta ex inobservantia et contemptu legis pericula proveniant, quo onere ipsorum conscientia gravetur, quam temerè arbitrium suum legibus anteponant, quas diuturna rerum experientia ad rei augustissimæ tutelam collocavit, qua denique sese culpa obstringant, quibus pœnis obnoxii fiant »;

b/ quædam nova præscripta inducunt servanda.

Quæ duo ultima sub a/ et b/ posita juvat breviter evolvere, ostendendo *primò* quantopere enunciati abu-

sus contradicant disciplinæ Ecclesiæ, et speciatim variis statutis nuper inductis ac renovatis; et *secundò* paucis illustrando nova statuta.

Ad I.

Reverà 1°/ quod spectat *primum* abusum imminutionis stipendii in missarum transmissione, fusè descripsimus apud *Collat. Brug.*, t. X, 50 ss., severas in hac re Ecclesiæ dispositiones jam in præcedentibus sæculis latas et non semel deinceps inculcatas: quarum vi integrum stipendium est celebranti tradendum quin aliquid detrahatur nequidem, seclusa speciali S. Sedis venia, in favorem cujuscumque boni operis; quod ultimum ex professò docetur in Decreti anni 1904 articulis 9 et 11, ac confirmatur in solutione Causæ *Bredanæ*, apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 319 s.

Equidem in jure admittuntur casus in quibus stipendium non est ex integro celebranti tradendum, notatim si pars retenta locum tenet congruæ pastoralis, vel certò oblata fuit intuitu alicujus personæ aut boni operis seu sanctuarii, vel etiam si celebrans spontè cedit parti stipendii oblati.

Atvero, uti monet ipsa S. Congr. in præsentibus suis Litteris, ut hæc ultima conditio verificetur, minimè sufficit merus assensus animo plus minus æquo, sed requiritur cessio liberaliter et *omninò sponte* facta. Quod suo tempore jam advertit Decr. S. C. C. sub Alexandro VII editum, non legitimari scilicet stipendii partialem retentionem, etiam « quando sacerdos, cui celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat majorem primo sacerdoti tributam fuisse, et nihilominus ipse contentus est minori, intelligens alioquin ab eo primo sacerdote celebrationem sibi non committendam » (1).

Ut autem pars taxam consuetam excedens reputetur

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 50, ubi etiam verba referuntur Bened. XIV, ex Constit. *Quanta Cura*.

data *intuitu personæ,* aut sanctuarii, requiritur ut de oblatorum intentione moraliter certò constet: secus non licet partem retineri nisi de speciali S. Sedis venia, quam veniam, variis sub cautelis, concessam vidimus olim (1), in gratiam Societatis Divini Salvatoris et sanctuarii vulgò nuncupati de Roc-Amadour.

In ejusdem Decreti *Ut Debita* articulo 15° determinatur quodnam sit stipendium correspondens missæ manuali, vel missæ beneficiis adnexæ, vel in aliqua ecclesia fundatæ: quam determationem videsis apud *Collat. Brug.,* t. X, p. 51, collatis pp. 316 ss.

Tandem sub articulo 12°, salva sanctione articulo 13° inserta et in *Constit. Apostolicæ Sedis* jam lata (2), gravissimæ pœnæ statuuntur contra indebitè imminuentem stipendia eorumque partem retinentem. Nimirum « si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subjacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latæ sententiæ Episcopo reservata obstringetur » (3).

2° Quod attinet *secundum* abusum, industriosæ nempe collectionis missarum, severè reprobatus fuit iteratis vicibus, et signanter in Decreto *Vigilanti* 25 Maii 1893, necnon in sæpe laudato Decreto anni 1904, ubi, inter alia, providè statuitur neminem posse studiosè ac datà operà quærere (4) missas aliis committendas, præter-

---

(1) *Ibidem*, t. X, p. 630 ss.

(2) *Ibidem*, t. X, p. 54 s.

(3) *Ibidem*, t. X, p. 55 s.

(4) In hunc benigniorem sensum interpretati sumus, apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 601-603, t. X, p. 43-45, art. 1m Decreti *Ut Debita,* quasi ibidem proscriberetur sola missarum quæsitio *industriosa,* quæ sola usque ad illud tempus erat reprobata. Huic interpretationi favere videntur præsentes S. C. C. Litteræ: Decretum nempe exhibent ut merum complexum legum *antea conditarum,* quæ merè *declarantur* ac severioribus sanctionibus muniuntur; insuper inter abusus referunt eædem Litteræ non qualem-

quam Ordinarios pro suis respectivè subditis, nec sacerdoti licere missas quærere et accipere pro seipso, nisi quas prævidet quisque posse celebrari infra temporis legalis terminos, et ita quidem ut earum exoneratio non sit differenda ultra annum a die susceptæ obligationis, salva tamen in omnibus voluntate oblatorum.

Et sanè, uti hìc arguit S. Congr., inde contingit ingentem copiam missarum privatorum hominum manibus coacervari; unde oritur periculum ne debito tempore exonerentur, aut eorum etiam exoneratio penitus negligatur.

3°/ *Tertius* abusus potissimùm spectat transmissionem missarum intra manus sacerdotum ignotorum. Nimirum, ad tramites Decreti *Ut Debita,* art. 5°, permittebatur quidem illis qui exuberantem missarum numerum habebant de quibus poterant liberè disponere, ut easdem tribuerent, præterquam S. Sedi aut proprio Ordinario, sacerdotibus sibi benevisis; ast sedulò addebatur hanc libertatem restringi ad sacerdotes certò ac personaliter notos et omni exceptione majores.

Hanc cautelam instanter inculcat S. Congr., eamque in novis statutis mox invocandis strictius urget, ad hoc ut efficacius gravissimis malis inde provenientibus obvietur.

Ad II.

Tria nova statuta eò tendunt, juxta dicta, ut sedulò provideatur sorti missarum quas, a fidelibus acceptas, contingit ab uno committi alteri exonerandas, ut nempe tertius modò descriptus abusus radicitus evellatur, utque in posterùm missæ neque copiosiori numero tradantur, neque incertis manibus concredantur.

---

cumque missarum, ultra propriam necessitatem, sollicitationem, sed industriosam dumtaxat et datâ operâ factam collectionem.

Cæterùm sententiam nostram nonnihil confirmatam invenimus in decreto S. C. C., diei 27 Febr. 1905, ad 1m, de quo apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 628 s. Confer etiam, in variam partem, *N. R. th.*, t. XXXVI, et XXXVII; *Rev. eccl. de Liége,* I, p. 220 et 224; *Vie Diocésaine, Documenta,* I, p. 17; BARGILLAT, *Les Honoraires de messes,* Paris, 1905, p. 22-24.

1°/ Nemini, abundanti missarum copia fruenti, sive laico sive clerico, deinceps licet missas committere quicumque sacerdoti, *extra diœcesim commoranti,* nisi vel *per Ordinarium* sacerdotis ad quem missæ transmittuntur, vel *de ipsius saltem consensu.*

Commoratio in aliena diœcesi intelligitur commoratio non per modum peregrinantis, sed per modum stabilis habitationis, ita ut ratione domicilii vel quasi-domicilii pertineat ad alium Ordinarium: nec adeo applicandum est statutum sacerdotibus qui extra diœcesim propriam transeuntur degunt.

Porro consensus Ordinarii impetrari potest vel a persona missas tradente, vel ab ipso sacerdote cui missæ traduntur: nec requiritur ut *pro singulo casu* consensus ille obtineatur, sed satis est ut semel præstetur usquedum retractetur; imò si consensus Ordinarii ab una persona fuerit expetitus et impetratus in gratiam alicujus determinati sacerdotis, puta missionarii, nihil impedire videtur quominus, dicti consensus favore, modò personam sollicitantem non afficiat strictè personaliter, ad eumdem sacerdotem missæ transmittantur ab aliis personis præstiti consensus probè consciis.

2°/ Episcopi et sacerdotes cupientes missas committere non tantùm presbyteris sed etiam Antistitibus ecclesiarum, quæ *in Oriente* sitæ sunt, non possunt eas tradere nisi per S. Congregationem de Propaganda Fide.

Vi tenoris non spectat hæc clausula nisi solos *Episcopos et sacerdotes*, adeo ut pro reliquis vigeat solum statutum primum.

Hac duplici descripta clausula, si observari contingat, practicè removebitur periculum ne missæ incerta sorte fluctuent. Vix namque timendum est illud periculum pro missis sacerdoti committendis, infra diœcesis terminos commoranti, utpote qui passim est notus vel haud ægre cognoscendus: contrà, cum extraneis presbyteris, et speciatim cum Orientalibus, non semel accidit unum alterumve esse nominis titulive

alicujus specie deceptum, vel aliorum commendationibus permotum, qui nec eos planè nossent, nec assumpti oneris gravitatem satis perspectam haberent.

3°/ Unusquisque Ordinarius debet, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum *catalogum* conficere, in eoque describere missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis missis procedat.

Nimirum Ordinarii passim disponunt de magno missarum numero, sive quas ipsi colligunt subditis qui missis indigent distribuendas, sive quas, ex articulorum 4i et 5i Decreti *Ut Debita* dispositione, accipiunt. Has missas debent, juxta ejusdem Decreti articulum 7m, ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referre, et curare ut quamprimum celebrentur, ordine servato ibidem descripto, necnon attentis variis præscriptionibus laudati articuli ac subsequentium decretorum, speciatim gemini decreti S. C. C. 27 Febr. 1905 (1).

Porro natum est fieri ut, in hac distributione, Ordinarius eidem sacerdoti plus missarum committat quam possit, ratione habita onerum quibus aliunde satisfacere tenetur, infra debitum tempus celebrare. Quod etiam inconveniens vitare satagit S. Sedes, ut quam accuratius missæ tempestivè exonerentur, et quam tutius eorum celebrationi provideatur.

Quapropter vult S. Congregatio ut præfatus catalogus conficiatur. Attamen, in diœcesi, uti in nostra diœcesi Brugensi, in qua plerique sacerdotes non indigent pro missis accipiendis ad Ordinarium recurrere, non esset, ut videtur, cur *omnes* sacerdotes catalogus ille contineat: satis foret ad finem legis ut nomina describantur illorum dumtaxat sacerdotum quibus solent hujusmodi missæ distribui, indicando numerum missarum quibus aliunde adstringuntur satisfacere, illas addendo quæ ipsis successive committuntur celebrandæ.

A. De Smet.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 321-323, collatis *Collat. Brug.*, t. IX, p. 666 s.

E Sacra Congregatione Rituum

I

Quandonam teneantur Religiosi recolere festum Patroni præcipui diœceseos, regni aut ditionis.

CONGREGATIONIS OBLATORUM B. MARIÆ VIRG. IMMACULATÆ.

R^mus P. Josephus Lemius, procurator generalis Oblatorum B. M. V. Immaculatæ, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem enixe postulavit; nimirum:

I. Utrum Regulares et generatim Religiosi, utentes calendario approbato, teneantur festum Patroni præcipui diœcesis sub ritu duplici primæ classis sine Octava celebrare, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius loci, an solummodo deficiente Patrono proprio loci?

II. Utrum iidem teneantur celebrare sub ritu duplici primæ classis sine Octava festum Patroni præcipui regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius provinciæ, an dumtaxat deficiente Patrono proprio provinciæ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, nisi celebretur vel celebratum fuerit cum feriatione, juxta decretum *Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Apuliæ* 16 Februarii 1906 ad IV. *Affirmative* ad secundam, juxta decreta n. 3754 *Declarationis indulti pro solemnitate festorum transferenda* 2 Decembris 1891 ad I; n. 3863 *Celebrationis festorum Patroni loci, dedicationis ac tituli ecclesiæ* 9 Julii 1895 ad I.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, si liquido constet de concessione Apostolica; *Negative* ad secundam, juxta decreta n. 3925 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci*, 10 Juli 1895 ad I, et n. 3959 *Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci*

23 Julii 1897 ad I, atque aliud supra relatum 16 Februari 1906 ad III.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1907.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

II

Omittatur « De Profundis » post missam conventualem etiam lectam.

Decr. *Ord. FF. Minor. Prov. Hiberniæ.* — 23 mart. 1907.

In Hibernia mos est, ut in omnibus Missis, præter solemnes, finito ultimo Evangelio Sacerdos cum Ministro psalmum « De profundis » recitet, antequam (1) preces jussu Summi Pontificis præscriptas incipiat. Cum autem ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis hæ preces post Missam Conventualem omittendæ sint (2), quæritur, an etiam psalmus « De profundis » post Missam Conventualem sive cantatam sive lectam omitti debeat?

S. Congr. respondendum censuit: « Omittatur in casu ».

---

(1) Juxta decreta S. R. C. deberent preces a Leone XIII præscriptas recitari ante psalmum *De profundis*. Cf. decreta 23 nov. 1887, n. 3682; 23 jun. 1893, n. 3805; 7 nov. 1900, ad 3.

(2) Vide recens decr. *Ord. FF. Minorum provinc. Apuliæ*, 19 jan. 1906, ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 520.

E Commissione Pontificia de re biblica

De auctore et veritate historica quarti Evangelii.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia « de Re Biblica » sequenti modo respondit:

Dubium I. Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiæ traditione, jam a sæculo II decurrente, prout maxime eruitur: *a*) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, imo etiam hæreticorum, testimoniis et allusionibus, quæ, cum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohærent; *b*) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum Librorum; *c*) ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus et in varia idiomata versionibus; *d*) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiæ primordiis toto orbe obtinente; præscindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Joannem Apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductæ hanc traditionem nullatenus infirment?

Resp. — Affirmative.

Dubium II. Utrum etiam rationes internæ quæ eruuntur ex textu quarti Evangelii sejunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I. Epistola Joannis Apostoli manifesta cognatione, censendæ sint confirmare traditionem quæ eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit? — Et utrum difficultates quæ ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita præ oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit, solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegetæ catholici passim præstiterunt?

Resp. — Affirmative ad utramque partem.

Dubium III. Utrum, non obstante praxi quæ a primis

temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari ejusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc ut sint allegoriæ vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas?

Resp. — Negative.

Die autem 29 Maii ann. 1907, in Audientia ambobus R^mis^ Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus prædicta Responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS O. S. B.
Consultores ab Actis.

Consultationes

I

Quær. An in delatione SS. Sacramenti ad infirmos usus pileoli qui sacerdotibus diœceseos Brugensis, necessitate in determinatis adjunctis urgente, conceditur (suprà p. 404), iisdem in circumstantiis etiam permittitur clerico aut sacristæ sacerdotem comitanti?

Resp. Licet in terminis rescripti pontificii (cf. *Collat. Brug.* t. VIII, p. 423) hoc non concedatur, censemus ex benigna Pontificis mente hunc usum tolerari posse, quando eadem urgent motiva.

II

Quær. Quando pyxis in cubiculo infirmi est purificanda, potestne hæc purificatio, quamvis alius modus exponatur suprà p. 406, fieri infundendo in pyxidem paululum aquæ, in qua etiam digiti abluuntur, et quæ postea traditur ægroto bibenda?

Resp. Affirmative. Purificatio sicca, p. 406 tradita, non proponitur ad excludendam aliam agendi rationem, sed quia videtur methodus facilior, maxime quum in delatione unius particulæ rariora soleant esse fragmenta. Ceterum purificatio pyxidis minoris etiam infra missam fieri potest ope solius digiti, sicut purificatur patena in missa.

C. Callewaert.

Bulletin de théologie dogmatique.

J. Turmel, *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au Concile du Vatican* (Bibliothèque de théologie historique). Paris, G. Beauchesne, 1906. In-8, XVI-440 p. Pr. 6 frs.

C. Van Crombrugghe, *De soteriologiæ christianæ primis fontibus*. Lovanii, J. Van Linthout, 1905. In-8, XIV-236 p.

J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption*. Paris, V. Lecoffre, 1905. In-8, 519 p. Pr. 6 frs.

M. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu d'après les Evangiles synoptiques*, 2de Edition. Paris, Letouzey et Ané, 1905. In-12, 430 p.

E. Commer, *Relectio de Matris Dei munere in Ecclesia gerendo*. Viennæ, H. Kirsch, 1906. In-8, 161 p. Pr. 3 M., 60.

M. De Baets, *De libera Christi obedientia*. Lovanii, J. Istas, 1905. In-8, 47 p.

A. Vermeersch, S. J. *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur de Jésus, à l'usage du clergé et des fidèles*. Tournai, Casterman, 1906. In-18, 606 p. Pr. 3 fr.

L. Leroy, *La Charité incréée de Jésus-Christ et l'objet du culte du Sacré Cœur* (Extrait de la *Revue Ecclésiastique de Liége*, 1906, n. 1). Liége, H. Dessain, 1906. Pr. 1 fr.

T. Pègues, O. P. *Commentaire français littéral de la somme théologique de Saint Thomas d'Aquin*. Toulouse, E. Privat, 1907. 2 vol. in-8, XLVII-386, 455 p. Pr. 15 frs.

« La théologie positive étant cette branche de la science sacrée qui assigne à chacun des dogmes chrétiens ses bases, tant scripturaires que traditionnelles, une *Histoire de la théologie positive* est, par définition même, l'exposé des preuves qui ont servi à appuyer l'enseignement religieux. Elle doit, dans la mesure où les documents le lui permettent, remonter à l'origine de ces preuves, signaler le moment de leur apparition, puis descendant avec elles le cours des siècles, constater les développements qu'elles ont pris ou les transformations qu'elles ont subies. Tel est le but que l'on poursuit ici ». Ces paroles, écrites par M. Turmel au commencement de la préface du premier volume de son ouvrage (1) nous en

(1) *Histoire de la théologie positive depuis l'origine jusqu'au Concile de Trente*, Paris, 1904.

indique bien la nature. D'après cela, le second volume, que nous signalons aujourd'hui, devrait être l'exposé des textes, tant de l'Ecriture Sainte que de la Tradition, dont se sont servi les théologiens, depuis le Concile de Trente jusqu'au Concile du Vatican, pour démontrer tous les dogmes qui constituent le dépôt de la foi chrétienne. Cependant l'A. nous avertit qu'il n'étudiera dans ce volume que les textes qui servent à démontrer les *prérogatives de l'Eglise et de la Papauté:* le premier livre traite de la règle de foi et de l'Eglise; le second, de la Papauté; dans cette partie l'A. considère isolément les différents textes: *super hanc petram, tibi dabo claves, pasce oves meas, ego rogavi pro te* et en expose l'interprétation patristique et rationnelle, fournie par les divers théologiens pour étayer la thèse de la primauté de Saint Pierre et de son infaillibilité; il indique aussi les textes, tirés des Pères et des Conciles, ainsi que les faits qui furent apportés comme objections.

On a fait remarquer, à juste titre, le manque d'équilibre entre les différentes parties du livre. « Tandis que sont résumées succinctement, en dix huit pages, les controverses de trois siècles sur l'Ecriture, sur l'existence, la nature et l'extension de l'inspiration, sur l'obscurité des Livres saints (p. 26-45), la thèse de Bellarmin sur la primauté de l'évêque de Rome, par exemple, n'occupe pas moins de trente pages à elle seule (p. 228-258). Le chapître sur la primauté de juridiction de saint Pierre comprend soixante-neuf pages (p. 150-220) et l'on y cherche vainement en dehors de Perrone, cité en note, le nom d'un théologien du dix-neuvième siècle ou la mention sommaire des principaux ouvrages qui ont précédé le concile du Vatican, ne serait-ce que le *De prærogativis beati Petri* de Passaglia. On serait tenté de croire que la théologie positive n'existe plus ou ne compte pas au dix-neuvième siècle » (1).

L'A. s'est laissé absorber par l'étude des *Controverses* de Bellarmin: il n'a pas suffisamment tenu compte des théologiens, qui l'ont précédé, et de ceux qui ont écrit plus tard et ne se sont pas tenus aux seules questions traitées par l'illustre cardinal; c'est ainsi que l'ouvrage de M. Turmel

---

(1) P. Bernard, *Etudes*, 1906, t. 109, p. 382.

ne parle pas du fait de l'institution de l'Eglise par Jésus-Christ.

Il y a aussi des réserves à faire sur certaines appréciations. Ainsi, p. ex. p. 140, on lit: « A partir de la fin du seizième siècle, quand les controversistes traitèrent la note de la sainteté de l'Eglise, ce ne fut jamais sans utiliser le travail de Bellarmin. Les additions qu'ils y firent ne portèrent que sur des points secondaires. Saint François de Sales, par exemple, raconta un miracle arrivé de son temps et dont il avait lu l'acte officiel... Le plus souvent au lieu d'étendre le cadre tracé par l'auteur des *Controverses,* on le restreignit, et le chapitre que l'on consacra à la sainteté de l'Eglise romaine fut un abrégé de la dissertation de Bellarmin ». Ce jugement est loin d'être exact. En effet S. François de Sales (1) ne donne pas un simple résumé de Bellarmin en y ajoutant un miracle arrivé de son temps; mais il donne une *explication différente* de la *note : sainteté ;* pour lui, la sainteté n'est pas par elle-même une marque de la vraie Eglise, elle ne le devient que pour autant qu'elle est manifestée *par les miracles* et le *don de prophétie ;* Bellarmin, au contraire, proposait la sainteté comme note distincte et la gloire des miracles comme note indépendante de la sainteté. — Perrone (2) un autre théologien, qui a écrit avant le Concile du Vatican, émet, sur le même sujet, une opinion différente et de celle de Bellarmin et de celle de S. François de Sales: il dit que la sainteté, en tant que *note* de l'Eglise, consiste dans la manifestation de la vie surnaturelle intérieure; cette manifestation ne se fait pas seulement par l'exercice de toutes les vertus, mais encore par la présence des miracles et des prophéties et par la continuelle fécondité de l'Eglise.

L'érudition de M. T. lui a permis de réunir et de mettre en bon ordre beaucoup de renseignements utiles; mais son livre ne donne pas, même pour le seul traité *de Ecclesia,* une idée exacte et complète de la théologie positive, telle qu'elle fut pratiquée depuis le Concile de Trente jusqu'au Concile du Vatican.

*
* *

(1) Cf. *Œuvres complètes* (Edit. d'Annecy), *Les Controverses,* 1e P., ch. 3, a. 5 ss., p. 98 ss.

(2) *Prælectiones theologicæ,* Lovanii 1843, t. VIII, p. 93 ss.

M. Van Crombrugge a choisi, comme sujet de sa dissertation doctorale, une question de théologie positive, une question importante et actuelle, qui peut s'énoncer ainsi : Jésus-Christ a-t-il *lui-même* enseigné que sa mission était de *racheter* le genre humain et que sa mort était un *sacrifice expiatoire,* suprême réalisation de sa mission ?

Le dogme de la Rédemption et de l'immolation de Jésus, comme victime expiatoire, est le fondement de toute la doctrine chrétienne ; il est donc du plus haut intérêt de savoir si le Christ a enseigné ces vérités ; d'autant plus — et c'est la raison d'actualité de l'ouvrage — que plusieurs rationalistes nient ce fait ; les uns attribuent à S. Paul l'idée, ou au moins, la première expression du dogme sotériologique ; les autres en mettent l'origine dans la pensée de la communauté chrétienne primitive. M. V. C. a entrepris de démontrer que Jésus lui-même nous a déclaré la valeur rédemptrice de son œuvre et le caractère sacrifical de sa mort L'A. expose trois arguments, tirés des évangiles synoptiques : le premier comprend les textes où Jésus se dit être le « Serviteur de Jahvé » dont Isaïe a prédit qu'il souffrirait et expierait pour son peuple (p. 3-13) ; le second est constitué par le texte : « Car le Fils de l'homme est venu, non pour être servi, mais pour servir et donner sa vie pour la rançon d'un grand nombre » Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 (p. 24-37) ; le troisième est tiré des paroles de l'institution de la sainte Eucharistie (p. 113-192).

Ce qui distingue l'œuvre de M. V. C. c'est sa haute valeur polémique. L'A. est parfaitement au courant des opinions émises par les critiques contemporains sur l'authenticité et l'interprétation des textes servant de base à sa dissertation ; dans le développement de chacun des trois arguments, l'A. expose les sentences opposées à la sienne et les raisons par lesquelles on tâche de les étayer : cet exposé est ample et tout objectif ; il est suivi d'une critique sagace, judicieuse et vigoureusement logique, qui a pour résultat une réfutation solide des opinions adverses. A ce point de vue, le développement du troisième argument est spécialement important : les différences, constatées dans nos Ecritures, concernant la relation des paroles de Jésus instituant l'Eucharistie, ont donné occasion à des hypothèses nombreuses tendant à nier

soit l'authenticité de ces paroles, soit la signification qu'y donne l'Eglise catholique, soit leur portée doctrinale : après un examen consciencieux de ces hypothèses M. V. C. conclut, sans hésitation, que c'est au Christ qu'il faut attribuer ces paroles, qu'elles signifient que sa mort est une rédemption et le sacrifice de la Nouvelle Alliance.

Cette assertion étant démontrée, l'A. dans une « conclusion générale » fait ressortir l'importance de cette vérité dans la doctrine chrétienne : contre Harnack, qui fait consister l'essence du christianisme dans le dogme de la paternité bienveillante de Dieu à l'égard des pécheurs ; contre Weiss et Loisy qui placent cette essence dans le dogme du règne eschatologique, réalisé dans l'Eglise, M. V. C. fait remarquer que l'enseignement de Jésus lui-même contient des éléments divers parmi lesquels le dogme de la mort rédemptrice et sacrificale du Christ est absolument fondamental.

Nous ne dirons pas que le livre de M. V. C. est d'une lecture facile ; mais la peine qu'elle exige est largement compensée par la valeur des données qu'y a réunies un esprit vraiment scientifique : aussi l'ouvrage a-t-il valu à son auteur les éloges les plus flatteurs des hommes les plus compétents.

***

Les disciples du Christ ont toujours cru que sa mort était une *Rédemption :* l'histoire de cette croyance a été étudiée par M. Rivière, qui en poursuit la manifestation depuis S. Paul jusqu'à Duns Scot inclusivement.

Certains rationalistes ont prétendu qu'il y avait dans la manière de concevoir la Rédemption, opposition entre les Pères grecs et les Pères latins : les premiers auraient conçu la Rédemption comme la restauration surnaturelle de l'humanité à une vie divine et cette restauration serait considérée surtout comme effet de l'Incarnation : c'est la théorie *mystique ;* les seconds auraient conçu la Rédemption comme la réparation du péché, et cette réparation serait considérée comme l'effet de la mort expiatrice du Christ : c'est la théorie *réaliste.* M. R., par les nombreux textes qu'il apporte, montre très bien que cette thèse rationaliste est indéfendable : les Pères grecs ont bien admis et enseigné que la Rédemption était une expiation, réalisée dans la mort du Christ.

Mais nous trouvons fort obscur et peu objectif l'exposé de la théorie de l'A. d'après laquelle le développement de la pensée chrétienne sur la Rédemption serait caractérisé par deux tendances doctrinales différentes : l'une, la tendance *spéculative*, consisterait à considérer principalement l'Incarnation et la déification de notre nature ; l'autre aurait surtout en vue la mort de Jésus et la rémission des péchés ; c'est la tendance *réaliste*. Pour la tendance *spéculative* « l'Incarnation est le mystère sauveur par excellence et la Croix en est à peine un épisode, qui consacre le triomphe du Sauveur sur la mort et prépare le nôtre. La mort rédemptrice n'est pas niée ni supprimée, mais elle est encadrée et par conséquent amoindrie, dans une perspective plus vaste » p. 493. Quelle que soit la perspective dans laquelle les Pères encadrent la mort du Christ, ils n'en diminuent jamais l'importance et il n'est pas exact, nous semble-t-il, de caractériser le développement *doctrinal* du dogme de la Rédemption par la double tendance indiquée ci-dessus.

D'ailleurs pourquoi l'A., après avoir exposé la doctrine de la Rédemption telle qu'elle est exprimée dans l'Ecriture Sainte et chez les Pères Apostoliques et Apologistes, est-il autorisé à dire « *A priori* on peut prévoir qu'elle (l'œuvre de la théologie) se fera dans deux sens : en largeur et en profondeur (? — Passons sur la métaphore). Les uns, réfléchissant aux conditions strictes du salut, chercheront à définir la gravité du péché qui est l'obstacle, et l'efficacité de la mort du Sauveur qui en est la réparation providentielle et sublime. D'autres tâcheront plutôt d'encadrer l'œuvre du Christ dans l'ensemble du plan surnaturel » p. 117. Cet *a priori* est injustifiable : l'Ecriture donne sur la Rédemption des idées nombreuses : pourquoi peut-on dire *a priori* que le développement théologique se fera dans deux sens ? De plus la considération distincte des deux vérités, ici indiquées, ne constituent pas deux diverses tendances doctrinales.

A ce propos, nous trouvons bien étrange l'appréciation émise sur la doctrine de Clément d'Alexandrie. Celui-ci : « A tout instant parle de l'incorruptibilité comme du bien suprême et il la fait découler non, pas même de l'Incarnation, mais de la connaissance du Logos... » p. 130... « Si les textes (recueillis dans l'œuvre principale de Clément) nous

permettent de dire que le sacrifice salutaire du Christ ne fut pas étranger à son esprit, il nous obligent à constater que cette idée y tient peu de place... Il en va tout autrement dans le petit opuscule de morale, intitulé : *Quel riche sera sauvé?...* Clément (y) précise le caractère expiatoire de cette mort dans des formules qui dépassent en clarté celles que nous avons pu trouver jusqu'ici et sont en avant même sur la théologie de l'avenir » p. 132. Voici la conclusion de M. R. « Nous n'avons pas à concilier ces deux faces de la doctrine du grand philosophe alexandrin : et peut-être au demeurant serait-ce difficile. Il nous suffit de constater que malgré le moralisme tout intellectualiste d'une partie de son œuvre, Clément, — soit logique subtile, soit heureuse inconséquence — applique à la mort du Christ les principes traditionnels de l'expiation et de la substitution, et déjà presque les formules de la *satisfactio vicaria* » p. 133. Mais qu'y a-t-il d'inconciliable dans ces deux faces (?) de la doctrine de Clément? Où se trouve son inconséquence? Y a-t-il contradiction à penser que notre perfection morale provient de notre connaissance du Logos, et que la mort de Jésus est l'expiation, principe de toute l'œuvre du salut? D'ailleurs Clément lui-même nous enseigne la connexion parfaite de ces doctrines : car il enseigne que c'est par la *mort* de Jésus que nous avons été rachetés et que c'est *de là* que nous vient une nouvelle ère et l'incorruption et celle-ci dépend aussi, à un autre point de vue, de la connaissance du Logos (1).

Nous ne pouvons pas souscrire non plus à la conclusion finale de l'A. où il affirme que la doctrine de la satisfaction est la formule scientifique du dogme de la Rédemption, p. 498. La mort de Jésus est un *sacrifice* qui est aussi une œuvre *rédemptrice, satisfactoire, méritoire :* ce sont là des notions formellement distinctes et l'une n'est pas, et ne peut pas être, l'explication scientifique de l'autre (2). D'ailleurs l'A.

---

(1) Cf. DE LA BARRE, Dictionnaire de Théologie catholique (VACANT) V° Clément d'Alexandrie, col. 162 ss.

(2) C'est bien à tort que l'A., après avoir indiqué les diverses manières dont la Passion de Jésus est *active*, c.-à-d. per modum *meriti, satisfactionis, sacrificii, redemptionis* (cf. S. THOMAS, III, Q. XLVIII), ajoute : « ces divers mots ne font que traduire des aspects divers de la même réalité et l'*idée de rédemption comme l'idée de sacrifice se ramènent à l'idée de satisfaction* »

explique fort mal (p. 496) la notion de satisfaction chez les grands docteurs. Pour ceux-ci la satisfaction est la *réparation d'une injure* (1). — Remarquons le bien : si la notion distincte du caractère *satisfactoire* de la mort du Christ, n'a été atteinte que tard dans la théologie, il n'en suit pas que l'idée de satisfaction soit l'explication scientifique du dogme de la Rédemption, de même qu'il n'est pas vrai de dire que l'idée de l'Immaculée Conception soit l'explication scientifique du dogme de la parfaite pureté de Marie. Quand il s'agit de l'histoire d'un dogme, il est de la plus haute importance de bien distinguer le dogme, strictement dit, c.-à-d. la *vérité révélée,* de son explication scientifique c.-à-d. la considération ultérieure qui expose, pour autant que faire se peut, la manière dont a été réalisé le fait révélé, la manière de le concilier avec d'autres vérités, sa connexion avec elles, etc. (2).

L'A. semble ne s'être pas rendu bien compte de cette distinction ; aussi écrit-il, fort malheureusement : « Jésus est mort pour nous sauver : dans cette formule de nos vieux symboles, l'Eglise n'a jamais cessé de voir l'expression d'une surnaturelle et sublime réalité, tellement que cette vérité, qu'on peut *à peine appeler un dogme* (sic), a toujours constitué un point essentiel — et peut-être *le plus fondamental* — de la *foi* chrétienne » p. 490. Après cela, on se demande, en vain, qu'elle notion l'A. se fait d'un *dogme*.

---

p. 367, et plus loin ; « les *termes* vagues ou mystiques (?) de *rançon,* de *sacrifice* et *d'expiation*, qui servaient à en exprimer la valeur (de la mort de Jésus) sont remplacés par l'*idée* hautement morale de la *satisfaction* » p. 371.

(1) Cf. S. Anselmus, *Cur Deus homo*, L. I, c. 11 ; S. Thomas, in IV, D. XV, Q. I, a. 1, sol. 3 ; III, Q. XLVIII, a. 2 ; S. Bonaventura, in III, D. XX, Q. III, ad 3. M. R. interprète mal la pensée de S. Bonaventure en disant (p. 364) : « pour Bonaventure... la satisfaction pourrait se définir : *une œuvre surérogatoire faite avec amour* ».

(2) Exemple : Jésus est véritablement Dieu et homme : voilà la vérité révélée ; dans celle-ci est contenue implicitement, mais formellement, qu'il y a en Jésus une personne et deux natures ; déterminer ultérieurement qu'elle est la raison pour laquelle il peut y avoir en Jesus une personne et deux natures, en d'autres mots, pourquoi précisément la nature humaine du Christ n'est pas une personne, est donner l'explication scientifique du dogme.

L'ouvrage de M. R. contient une partie très intéressante : la cinquième, qui expose la question des droits du démon (p. 373-486). L'A. y a réuni de nombreux textes et les a classés en trois catégories : les uns montrent que certains Pères ont eu l'idée que c'est au démon qu'a été livré le sang de Jésus comme rançon du genre humain. D'autres donnent une explication différente : ils admettent que, par suite du péché, le démon avait un véritable droit sur le genre humain : mais le démon a outrepassé ses droits en mettant à mort le Christ innocent : pour ce crime, il a été dépouillé par Dieu et l'humanité a été arrachée à sa tyrannie. Une troisième classe comprend les textes qui expriment les diverses métaphores, parfois bien curieuses, au moyen desquelles les Pères, partisans de l'une ou de l'autre théorie mentionnée, décrivaient devant leur peuple la défaite de Satan. Enfin le dernier chapître montre comment, grâce surtout à S. Anselme, a disparu l'idée des droits du démon, pour laisser celle d'un empire tyrannique exercée par le démon, permis par Dieu, mais ne comportant aucun *droit* véritable pour le démon. L'A. conclut justement que la théorie des droits du démon, même chez ces Pères qui l'ont le plus complètement adoptée, reste à un rang secondaire, d'où bientôt une meilleure théologie ne devait pas tarder à la bannir, p. 486.

*
* *

M. Lepin a pour but de démontrer que Jésus est le Messie ; qu'il est aussi le vrai Fils de Dieu, c'est-à-dire, réellement Dieu : pour faire cette preuve l'A. se sert des témoignages qu'on trouve dans les évangiles synoptiques, ainsi que des textes pris aux Actes des Apôtres, aux épîtres de S. Paul et aux écrits johanniques (Prologue du quatrième Evangile, Epîtres, Apocalypse) ; cette seconde série de textes est employée par l'A. comme expression de la foi de l'Eglise primitive en la divinité de Jésus.

L'A., dans l'Introduction, établit succinctement, mais clairement, l'autorité historique des principaux écrits sur lesquels il s'appuie, c'est-à-dire des Evangiles synoptiques ; ensuite il expose la conviction, concernant le Messie futur, qui régnait chez le peuple juif, au début de l'ère chrétienne ;

après cela, la manifestation de la messianité et de la divinité de Jésus dans son enfance (1).

Le chapître III contient l'affirmation de la *messianité,* faite par Jésus dans sa vie publique, avec l'exposé et la réfutation des sentences opposées à cette thèse. Le chapître IV est consacrée à l'affirmation de la *divinité,* faite par Jésus dans sa vie publique, confirmée par la foi de l'Eglise primitive. Un paragraphe spécial est employé à expliquer la *réserve* gardée par le Christ dans la révélation de sa divinité; enfin un dernier paragraphe, très intéressant en lui-même, mais qui, à strictement parler, n'entre pas dans le cadre de l'ouvrage, traite de la perfection de la science du Christ.

Les principaux mérites de l'œuvre de M. L. nous semblent être la clarté et l'érudition dans l'exposé des opinions des rationalistes et de M. Loisy; la solidité de leur réfutation; le soin mis à examiner l'authenticité des textes employés et leur signification exacte; la méthode bien adaptée aux exigences de la critique moderne. Il y a cependant un manque de précision dans l'ensemble de la démonstration; on ne voit pas, p. ex., si le chapitre I, intitulé: *l'espérance messianique au début de l'ere chrétienne,* est, ou non, donné comme élément de la preuve de la messianité (2).

Le paragraphe, où l'A. traite de la *réserve du Christ à manifester sa divinité,* nous semble peu exact. En effet, quoiqu'il faille admettre une vraie réserve dans la révélation susdite et qu'on y trouve des raisons de convenance, telles que l'A. en expose, p. 365, cependant on ne peut *apprécier* justement cette réserve sans tenir compte du quatrième évangile: si l'on admet l'historicité de cet écrit, et l'A. l'admet, on constate que le Christ a exprimé sa divinité dans des termes beaucoup plus clairs que ne sont ceux des textes rapportés par les évangiles synoptiques: ce n'est donc pas, *en consultant*

---

(1) L'A. établit spécialement la valeur historique de ce que l'on a appelé: l'évangile de l'Enfance (p. 55-65).

(2) L'A. p. IX, dit que le but de son livre est de répondre à cette question: Jésus était-il vraiment ce qu'il a prétendu être. En réalité, l'A. ne se préoccupe que de déterminer la portée des déclarations de Jésus et conclut: il s'est déclaré Messie et Dieu. La démonstration complète exigerait en outre l'exposé de cette seconde proposition: or Jésus a dit vrai.

seulement les synoptiques, qu'on peut avoir une idée exacte de la réserve du Christ et par conséquent poser en connaissance de cause, la question : « pourquoi la transcendance de la réelle filiation divine de Jésus n'est-elle pas révélée plus explicitement, ni plus formellement précisée, dans ses *propres* déclarations ? » (p. 364).

L'A. écrit aussi (p. 365) : « Pour n'être pas exprimée, en une formule dogmatique, à la manière d'une définition de foi, la divinité proprement dite de sa personne ne s'en laissait pas moins deviner à travers toutes ses déclarations ; elle s'en dégageait comme une conclusion théologique certaine, et il devait être impossible à ses disciples, surtout après la résurrection et la Pentecôte, de se méprendre sur le véritable sens de sa manifestation ». Le choix de cette expression *conclusion théologique* n'est pas heureux : car celle-ci a, dans le langage théologique, un sens précis, qui, me semble-t-il, ne s'applique pas ici. Cette expression, en effet, désigne une proposition qui est la conclusion logique de deux prémisses dont l'une est une vérité révélée, l'autre une vérité connue par la raison naturelle. Or ce n'est pas à ce genre de démonstration que se réduit l'exposé de M. L. : il semble, au contraire, soutenir que Jésus *a révélé* Lui-même, quoiqu'avec réserve, *sa divinité* (1) : cette proposition *Jésus est Dieu* est donc une vérité révélée, et non une conclusion théologique, déduite d'une vérité révélée. Quelques soient les raisonnements que nous dussions faire pour découvrir la signification et la portée des paroles de Jésus, s'il nous est certain qu'il a dit formellement, quoiqu'implicitement : Je suis Dieu, cette proposition est révélée et elle est un objet de *foi* divine. Dans l'autre hypothèse, celle d'une conclusion théologique, la

(1) Voici la conclusion de l'A. (p. 337) : « En résumé, que nous considérions les privilèges et les pouvoirs extraordinaires revendiqués par Jésus-Messie, ou que *nous interprétions ses déclarations particulières* concernant sa filiation divine et ses rapports avec Dieu son Père, nous arrivons comme nécessairement à cette conclusion : Jésus n'est pas seulement Fils de Dieu dans son humanité, mais encore indépendamment de sa nature humaine, dans une partie supérieure et préexistante de son être ». S'il est établi que Jésus s'est déclaré *fils de Dieu* et a expliqué cette dénomination au sens d'une filiation propre et naturelle, non adoptive, il s'est donc *déclaré* Dieu.

proposition: Jésus est Dieu, n'est pas un objet de foi divine (1). Elle ne le deviendrait pas, si le S. Esprit, à la Pentecôte, n'avait fait autre chose qu'éclairer l'intelligence des disciples suffisamment pour qu'ils *déduisent eux-mêmes* cette *conclusion*. Pour que la divinité du Christ soit un objet de foi divine, il faut qu'elle soit formellement *révélée* par Dieu, soit par Jésus, soit par l'Esprit Saint.

Le manque de clarté, que nous venons de signaler et qui n'est pas sans importance, ne détruit pas cependant la valeur réelle de l'œuvre de M. L.: il a solidement établi, en tenant bien compte des difficultés opposées par la critique moderne, que la lecture impartiale des Evangiles synoptiques amenait cette conclusion certaine: le Christ a dit implicitement qu'il était Dieu, et de plus c'est bien ainsi que les premiers chrétiens ont considéré Jésus.

*
* *

A l'occasion du jubilé de l'Immaculée Conception, Mgr Commer a fait, à l'Université de Vienne, une lecture en l'honneur de la Mère de Dieu. Cette dissertation a été publiée sous le titre: *de Matris Dei munere in Ecclesia gerendo*. Pour synthetiser son sujet, l'A. a entrepris de démontrer la proposition suivante: *Maria, sancta Dei genitrix, quasi sacramentum majus in Ecclesia est censenda* (p. 3). L'A. entend que Marie soit un sacrement, même en ce sens qu'elle est un *signe sensible, productif de la grâce;* il nous avertit cependant qu'il ne confond pas la nature de la maternité divine avec la nature des sept signes sensibles connus, dans l'Eglise, sous le nom des sept sacrements; mais que c'est en vertu des *lois de l'analogie* qu'il soutient sa thèse (p. 4). Cette analogie, l'A. la poursuit jusqu'au bout: c'est ainsi qu'il trouve en Marie les trois éléments que les Scolastiques trouvent dans chaque sacrement et qui sont désignés par les termes: *sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum* (p. 41, 42, 43). Personne ne s'étonnera que, par ce procédé, l'A. ait été amené à appliquer des termes théologiques à des choses dont la nature se refuse absolument à pareilles dénominations: c'est

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 516.

ainsi qu'il appelle (p. 107) *sacramentum tantum* le *consentement* de Marie, donné lors de l'annonciation !

L'analogie est une nécessité de l'esprit humain : c'est par là qu'il arrive à la connaissance des êtres qui dépassent son objet propre et adéquat : mais pour qu'elle soit scientifique, elle doit être solidement fondée sur la nature des choses. Ce n'est pas le cas pour la proposition défendue par l'A. : elle ne repose que sur des *métaphores* recherchées qui aboutissent à la confusion dans les idées et à l'inexactitude dans le langage.

Bien que nous reconnaissions que Mgr C., mette de la réserve dans l'exposé de sa thèse, y montre de l'érudition et de la sagacité, nous ne pouvons que regretter qu'il ait exposé ses idées sous une forme si peu scientifique.

*
* *

Une des questions les plus controversées du traité *de Verbo Incarnato* est celle de l'explication à donner à la liberté humaine du Christ dans l'acte par lequel il *voulut* mourir pour nous. Les théologiens qui ont écrit depuis trois siècles semblent d'accord à admettre dans cet acte la liberté *d'indifférence*, celle qui se réalise dans une vraie *élection ;* ils proposent ensuite différents systèmes pour concilier cette liberté avec le *mandatum moriendi,* dont parle Jésus, et avec son impeccabilité. M. le Chanoine De Baets propose une solution toute différente et radicale : nous ne pouvons exposer ici sa thèse dans toute son ampleur : car l'A. a condensé beaucoup de matière en peu de pages. Nous nous efforcerons d'indiquer exactement la portée de la solution proposée par lui : il ne faut pas admettre dans le Christ la liberté d'indifférence, il suffit qu'y soit cette liberté définie ainsi : *spontaneitas qua operationis determinatio tota* **a supposito** *operante oritur* (p. 19) : à cette liberté sont opposées la *coactio* et la *necessitas naturæ ;* mais non la *necessitas physica volendi determinatum objectum :* dans cette hypothèse, la personne *sait* ce qu'elle veut, et veut parce qu'elle *juge* qu'il est bon qu'elle veuille ainsi (1),

(1) « Non igitur in indifferentia, multo minus in indefectibilitate, stat libertas, sed in hoc quod ens intellectuale *tendat* in objectum *ipso judicante sic fieri* et *movente se* ad sic volendum. Voluntas ut natura *trahitur* ad objectum ; voluntas ut ratio *tendit* ad id quod judicat se movere » De Baets, o. c., p. 20.

mais elle veut *nécessairement*, et cette nécessité provient de sa perfection : de même que les Bienheureux, au Ciel, en raison de la perfection de leur état, *jugeant* qu'il est bien d'aimer Dieu, l'aiment nécessairement ; ainsi le Christ, en raison de sa perfection, connaissant qu'il est bien pour lui de mourir pour le salut des hommes, veut *nécessairement* (d'une nécessité physique) mourir pour les hommes. — Dans cette sentence disparaissent évidemment toutes les difficultés à expliquer le *mandatum moriendi* et à concilier l'impeccabilité avec cette liberté là, tout autre, de sa nature, que la liberté d'indifférence.

Que cette spontanéité, propre à l'être doué d'intelligence, et décrite, plus haut, d'après M. D. B., puisse s'appeler liberté, nous ne le nions pas et les anciens scolastiques admettaient et exposaient cette notion de la liberté (1). Mais une autre question se présente ici : cette liberté absolue — autre que la liberté d'indifférence — suffit-elle au *mérite?* M. D. B. l'affirme et soutient que telle est l'opinion des anciens scolastiques : nous ne pouvons admettre cette double assertion. D'abord il nous semble impossible qu'il y ait *mérite* sans *élection :* ce n'est que dans l'élection qu'est réalisé ce *domaine,* spécial et complet, du *sujet* agissant, sur son propre acte. domaine qui fait que le sujet agissant acquiert un droit à un bien, comme compensation à son acte (2) ; dans la sentence de M. D. B. l'acte bon, bien qu'il procède d'un sujet *connaissant* et *voulant* la *rectitude* de son acte, est cependant, en définitive, *déterminé* et rendu nécessaire par la perfection de la *nature* du sujet agissant, ou par la perfection des qualités surnaturelles, ajoutées à la nature. — Ensuite les textes apportés par l'A. (p. 23-29) ne suffisent pas à nous convaincre que les anciens scolastiques aient admis le mérite sans la liberté d'indifférence : ce n'est pas le cas pour S. Thomas, ni, me semble-t-il, pour S. Bonaventure (3).

Néanmoins l'opuscule de M. D. B. est d'un grand intérêt pour tous ceux qui s'occupent des questions les plus élévées de la dogmatique et de la métaphysique : ils y trouvent,

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. V, p. 551 ss., p. 585 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII. p. 97.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 98.

exposée avec clarté et vigueur, une thèse bien digne de leur attention.

*
* *

Une controverse a surgi récemment au sujet de l'objet de la dévotion au Sacré Cœur de Jésus, à la suite de deux articles dûs au R. P. Vermeersch, S. J. (1). Ils font partie maintenant de la *partie doctrinale* du livre publié par le R. P. sous le titre : *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré Cœur de Jésus* (2). Après avoir exposé que l'objet propre de la dévotion au Sacré-Cœur est le cœur charnel de Jésus, en tant que ce cœur est le symbole de son amour, l'A. entame le point principal de son étude (p. 399 ss). L'objet formel du culte rendu au Cœur de Notre Seigneur est l'*amour* de Jésus : cela étant admis, voici la question qui se pose : quel est cet amour du Christ? S'agit-il de tout l'amour appartenant au Verbe Incarné, notamment de celui par lequel il aime son Père et de celui par lequel il aime les hommes? Et s'il s'agit de ce dernier amour, est il question de l'amour *humain et* de l'amour *divin*, ou bien seulement de l'amour *humain?* Le P. V. est d'avis que l'objet propre et direct de cette dévotion, au sens strict et rigoureux, est le seul amour *créé* ou *humain* de Jésus pour nous ; cependant, dans un sens large, on peut aussi admettre l'amour incréé on divin de Jésus pour nous comme objet de la dévotion au Sacré-Cœur (p. 440). Pour étayer sa thèse, l'A, recherche d'abord les opinions des auteurs, ensuite il examine le sens des décrets du S. Siége, enfin il expose deux raisons théologiques. « Les *auteurs* sont partagés d'avis. Dès les origines, certains d'entre eux et les plus célèbres, comme le *P. Croiset* et le *P. De Gallifet*, ne *semblent* (nous soulignons ce mot) s'occuper que de l'amour créé ; plusieurs ne font qu'au sens large place à l'amour incréé ; le petit nombre mettrait les deux amours sur le même rang (p. 428) ». — « Les *documents* du S. Siége sont muets sur l'amour incréé de Notre Seigneur comme sur son amour envers son Père, si nous en exceptons un seul, dont

(1) Ces articles ont été publiés d'abord dans les *Etudes*, 1906, t. 106, p. 145 ss., p. 472 ss ; ils ont eté suivis d'une réponse dûe au P. Vignat, *Etudes*, 1906, t. 107, p. 643 ; d'une réplique du P. Vermeersch, *ibid.*, p. 655, enfin d'un essai de conciliation du P. Vignat, *ibid.*, p. 661.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 237.

l'autorité est douteuse et le sens discutable (p. 427) ». — La première raison théologique peut se résumer ainsi : « La raison spéciale de cette dévotion se trouve dans le *cœur véritable* du Sauveur, considéré comme *symbole réel* de son amour pour nous. Mais le cœur véritable est le symbole réel de son amour créé et ne saurait, au même titre, être celui de son amour incrée. Donc (p. 434 ss.). La seconde raison théologique invoquée est celle-ci : Si on honorait directement l'amour *divin* du Verbe Incarné pour nous, on honorerait le Verbe, comme seconde Personne de la Sainte Trinité ; or, dans l'Eglise, il n'y a aucune fête en l'honneur de la seconde Personne, considérée isolément, donc (p. 436 ss.).

Nous reconnaissons volontiers, avec le P. Vignat, que « c'est la première fois que cette théorie est exposée et défendue avec tant de netteté et de précision » ; cependant nous ne pouvons y adhérer : nous indiquerons brièvement notre opinion sur les arguments invoqués par le P. V. Bien que les *auteurs* soient partagés d'avis, il est incontestable que le plus grand nombre de ceux qui ont *explicitement* fait connaître leur avis, tiennent que l'amour divin *et* l'amour humain du Christ pour nous sont *au même sens l'objet formel* du culte du Sacré Cœur. — Quant aux documents du S. Siége, nous ne partageons pas l'avis du P. V. sur le sens et la valeur du décret du 6 Février 1765. Dans ces paroles. « Intelligens hujus Officii et Missæ celebratione non aliud agi quam ampliari cultum jam institutum et symbolice renovari memoriam illius amoris quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam et factus obediens usque ad mortem, præbere se dixit exemplum hominibus quod esset mitis et humilis corde », n'est il pas evident que l'amour par lequel le Fils unique de Dieu a pris la nature humaine est son amour incréé ? Or c'est cet amour qui, d'après le décret, est avant tout commémoré dans l'Office et la Messe de la fête du S. Cœur. Ce décret ne perd rien de sa valeur parce qu'il n'a pas été reproduit dans le nouveau recueil officiel : car il était l'expression de l'*idée* qu'on se faisait, dans l'Eglise, de l'objet du culte du Sacré Cœur et rien ne nous autorise à croire que cette idée soit changée. — A la *première* raison théologique nous répondrions en *niant la mineure :* en effet, le cœur véritable de Jésus est le symbole de l'amour de cet homme ; or

cet homme est aussi Dieu; le cœur véritable de Jésus est donc le cœur de cette *unique* personne, qui est l'Homme-Dieu, et, pour cela, il est le symbole *et* de l'amour divin *et* de l'amour humain du Verbe Incarné. — A la *seconde* raison théologique, nous répondrions en niant la conséquence de la proposition conditionnelle : car en honorant le cœur charnel de Jésus, comme symbole et de son amour divin et de son amour humain pour nous, on honore certainement le *Verbe* Incarné, comme tel, et non la seconde Personne divine, considérée isolément des deux autres Personnes et seulement dans sa nature divine.

*
* *

M. le Chanoine Le Roy, président du Grand Séminaire de Liége, a publié une réfutation de l'opinion du P. V., que nous venons d'exposer. M. L. R. défend d'abord la valeur *doctrinale* du décret de 1765 et en interprète le sens : nous avons résumé, ci-dessus, son argumentation en exposant notre opinion. — Ensuite il examine les sentences des auteurs et conclut : « Il nous semble donc certain que dans cette question, il n'y a nullement de la part des théologiens, une variété d'avis qui laisse le champ libre aux discussions ; mais il y a au contraire un *accord parfait* de tous ceux qui ont écrit avec quelque autorité sur la dévotion au Sacré-Cœur » (p. 18). Cette dernière assertion n'est pas admissible. — Enfin M. L. R. montre que la charité divine du Verbe pour nous, parce qu'elle est unie à la nature humaine, par l'union hypostatique, est symbolisée par le cœur charnel du Christ et conséquemment honorée sous ce symbole. — Je ne crois pas qu'il soit opportun de dire, *sans explication*, que « l'objet *principal* du culte du Sacré-Cœur en tant que symbolisé par le cœur de chair du Rédempteur, est l'amour *incréé* de Notre-Seigneur » (p. 11) : la priorité dépend du point de vue où l'on se place. Il ne nous semble pas non plus que l'opinion du P. Vermeersch constitue un danger pour l'existence du culte du Sacré Cœur ; bien qu'elle ait une portée pratique, par suite de l'influence qu'elle peut exercer sur la prédication (1).

*
* *

(1) Sur cette controverse on lira avec fruit, outre les écrits cités,

Le R. Père Pègues, de l'ordre des Frères Prêcheurs, a entrepris une œuvre de grande envergure et de haute portée scientifique : *un commentaire littéral français de la somme theologique de Saint Thomas d'Aquin*. Cette « Somme » par la puissance de la pensée qui y est exprimée, par l'étendue des matières qui y sont traitées, par l'autorité qu'y a attaché l'approbation des Souverains Pontifes et de l'Eglise enseignante, occupe une place absolument éminente parmi les productions de l'esprit humain : sans l'étude de cette œuvre on ne peut s'acquérir une connaissance complète des questions élevées de la Métaphysique et de la Théologie, ni apprécier, avec justesse, la valeur d'un enseignement théologique, ni se rendre compte de la hauteur à laquelle Saint Thomas a porté la connaissance des dogmes, ni savoir enfin si, depuis lors, la science théologique est, ou non, en progrès. Cependant beaucoup parmi ceux qu'intéressent ces questions, se voient dans l'impossibilité de lire et de comprendre l'œuvre capitale de l'Ange de l'Ecole : deux obstacles les arrêtent : pour les uns, c'est la langue elle-même, le *latin*, qu'ils ne connaissent pas ; pour les autres c'est le *style* du Saint Docteur et sa méthode, auxquels ne les a pas initiés une formation intellectuelle spéciale. C'est pour lever ce double obstacle que le P.P., a entrepris ce travail (p. XII). Dans l'introduction l'A. donne ensuite une notice biographique de Saint Thomas, expose les circonstances dans lesquelles il composa son œuvre, enfin fait des considérations très justes et très opportunes sur la place que la *Somme théologique* a occupée et doit continuer d'occuper dans le monde des intelligences et dans l'Eglise, sur l'esprit et la méthode avec lesquels il entreprend ce commentaire.

Dans les deux volumes parus, comprenant les XXVI premières questions, l'A. a magistralement réalisé son programme : il pénètre à fond la pensée de Saint Thomas : il découvre et souligne les mots qui portent, les principes fondamentaux de la doctrine, les « articles sommets » ; il expose aussi la connexion des articles entre eux et des

---

La dévotion au Sacré Cœur de Jésus, par Bainvel, Paris, 1906, p. 151 ; aussi trois articles, signés Alvéry, parus dans la *Revue Augustinienne*, Janvier, Février, Mai, 1907.

questions entre elles, faisant voir ainsi cette vigoureuse logique qui a présidé à l'œuvre du Saint Docteur; le langage est correct, précis et intelligible à ceux qui ne sont pas au courant de la terminologie latine de la scolastique.

Bien que le travail du P.P. soit un commentaire au sens strict du mot, il est amené logiquement, en expliquant la pensée de Saint Thomas, à montrer la connexion de cette doctrine avec les questions agitées de nos jours et à y faire voir les principes qui doivent servir à les résoudre: à ce point de vue, sont pleines d'actualité les considérations sur l'objet de l'apologétique (t. I, p. 17), sur la notion de science (p. 24), sur le vrai rôle du théologien (p. 50) sur les erreurs de Kant (p. 86; t. II, p. 188, 199, 212); sur le dogmatisme religieux (t. II, p. 189); la question de la *vérité* (Q. XVI) et celle de la *fausseté* (Q. XVII) contiennent les principes fondamentaux que ne peuvent pas perdre de vue ceux qui s'occupent de défendre *l'inerrance* de la *Bible*. L'exposé des preuves de l'existence de Dieu a aussi, de nos jours surtout, une importance particulière (t. I, p. 93 ss.) (1).

Le commentateur, à maints endroits de son œuvre, a résumé l'opinion de l'école *moliniste* et l'a appréciée au point de vue de la conformité ou difformité avec la doctrine de Saint Thomas: il est incontestable que Molina, et plus encore Suarez, se sont écartés notablement de l'enseignement du Saint Docteur et ont, sur beaucoup de questions, proposé des solutions absolument opposées aux siennes. Au point de vue que nous signalons, l'exposé de la Q. XIV (Science de Dieu) est du plus haut intérêt. Nous ne pouvons pas le détailler ici: notons seulement que l'exposé fidèle de la pensée de Saint Thomas sur cette matière n'implique pas la *prédétermination physique* de l'acte libre, telle qu'elle est proposée par l'école thomiste: c'est là une explication *ultérieure:* le P.P. le fait bien voir (t. II, p. 113 ss.). Certes Saint Thomas enseigne que Dieu connait les futurs libres parce qu'il en est *cause* (V. t. II, p. 104, 107, 193); mais il

(1) Nous avons constaté avec plaisir que le P.P. n'interprête pas la *quatrième* preuve comme le fait le P. De Munnynck, mais qu'il est d'accord avec le P. Buonpensiere et le P. Billot. Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 477.

ne détermine pas ultérieurement la raison formelle de cette causalité (1).

Il est inutile d'insister davantage sur l'importance du travail du P.P.: nous lui souhaitons la plus large diffusion: bien que l'A. défende plusieurs thèses auxquelles nous ne nous rallierions pas, nous rendons volontiers hommage à la fidélité avec laquelle il a exposé la pensée de S. Thomas et l'a séparée des conclusions ultérieures que d'autres, logiquement ou non, en ont tirées. De grand cœur nous souhaitons qu'il puisse achever l'œuvre qu'il a entreprise avec tant de compétence.

J. Van der Meersch.

(1) C'est pourquoi nous ne voyons pas que la pensée de Saint Thomas ne puisse pas s'accorder avec l'explication qu'en donne le P. Billot: c'est à très juste titre que le P.P. donne une attention toute spéciale à la pensée du P. Billot (t. II, p. 111 ss.): la réfutation qui y est opposée n'est pas directe et ne nous semble pas concluante. Le reproche adressé au P. Billot (t. c., p. 108) ne nous semble pas fondé: qu'on lise son interprétation de l'art. 8 de la Q. XIV et on constatera que, malgré le changement dans l'ordre des articles, la pensée de Saint Thomas n'est pas dénaturée.

Notæ Bibliographicæ

F. Vallée. *De la préparation à la vie chrétienne dans les collèges religieux. Les éducateurs.* Paris, Beauchesne & Cie, 1907, in-8, IV-134 p. F. 2.

L'ouvrage est divisé en trois chapitres : Recherche — Épreuves — Culture des vocations pédagogiques. Il contient en outre des notes un peu trop sommaires sur un bon nombre de publications françaises qui traitent de l'enfant (Appendice I), et des documents relatifs aux conférences pédagogiques instituées dans certains diocèses de France par l'autorité ecclésiastique (Appendice II).

L'auteur part de cette idée que dans les établissements d'éducation chrétienne, tout ne doit pas être ordonné en vue des élèves et que sous peine de ne pas atteindre le but fondamental de ces institutions, c'est du maître qu'il faut s'occuper premièrement.

Le premier chapitre où il est question du discernement des vocations pédagogiques, des soins qu'elles exigent, de la manière de compléter la culture générale des futurs professeurs et surveillants par une formation spéciale, fixe un programme réalisé en grande partie en Belgique.

C'est au supérieur des collèges qu'incombe la tâche d'éprouver la vocation de ses coopérateurs et de leur rappeler, qu'ayant charge d'intelligences et charge d'âmes, ils doivent avoir constamment devant les yeux le but sacré de leurs fonctions d'éducateur chrétien, et leur obligation d'acquérir ces qualités d'esprit et de cœur, conditions indispensables de la fécondité de leur ministère.

C'est surtout dans la troisième partie que l'auteur signale les besoins du maître, et d'abord la nécessité pour lui de cultiver sa vie sacerdotale, première et nécessaire sauvegarde contre un danger qui menace les établisement religieux : la laïcisation des prêtres des collèges. A ce mal, l'auteur propose aussi d'autres remèdes : l'institution de conférences théologiques et pédagogiques, l'exercice des fonctions sacerdotales, surtout du ministère de la confession.

Bien que cet ouvrage ne soit point adapté aux conditions certainement meilleures de nos établissements ecclésiastiques belges, sa lecture sera cependant éminemment profitable. La mise en pratique de certains conseils qu'il suggère, augmentera encore les fruits qu'on est en droit d'attendre de la liberté d'enseignement.

Une remarque pour terminer. Il nous semble que M. l'abbé Vallée, en parlant des exercices de piété et notamment de la méditation des éducateurs prêtres, tolère sous prétexe de liberté des pratiques trop laxes. L'interprétation qu'il donne au décret du St. Office du 5 juillet 1899 sur le choix des confesseurs dans les collèges, défendable au point de vue du droit strict, ne s'inspire pas suffisamment de l'esprit de la législation canonique.

A. De Meester.

Collationes Brugenses

Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis

DECRETUM

Feria IV, die 3 Julii 1907.

Lamentabili sane exitu ætas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi hæreditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei præcipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores qui, prætergressi fines a patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiæ specie et historicæ considerationis nomine, eum dogmatum progressum quærunt qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero hujus generis errores, qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SS^mo^ D. N. Pio, divina providentia Pp. X, ut per hoc Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis officium ii qui inter eos præcipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, E^mi^ ac R^mi^ D^ni^ Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones quæ sequuntur reprobandas ac proscribendas esse judicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex quæ præscribit subjicere præviæ censuræ libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificæ librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiæ interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subjacet tamen accuratiori exegetarum judicio et correctioni.

3. Ex judiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiæ, et dogmata catholica cum verioribus christianæ religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiæ ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatæ contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo judicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam præ se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturæ Sacræ auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit quod scriptores israelitæ religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore præmuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet præconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturæ Sacræ seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistæ ac christiani secundæ et tertiæ generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus prædicationis Christi apud judæos.

14. In pluribus narrationibus non tam quæ vera sunt Evangelistæ retulerunt, quam quæ lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinæ Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in ejus evangelio contenti, sunt meditationes theologicæ circa mysterium salutis historica veritate destitutæ.

17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Joannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitæ christianæ, seu vitæ Christi in Ecclesia, exeunte primo sæculo.

19. Heterodoxi exegetæ fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetæ catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, objectum fidei catholicæ constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quæ Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e cœlo delapsæ, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Existere potest et reipsa existit oppositio inter facta quæ in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiæ dogmata; ita ut criticus tamquam falsa rejicere possit facta quæ Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui præmissas adstruit,

ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, idest tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi.

27. Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiæ deduxit.

28. Jesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque ejus miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est objectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* æquivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Joannes et Concilia Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Jesus docuit, sed quam de Jesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Jesu Christi.

33. Evidens est cuique qui præconceptis non ducitur opinionibus, Jesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut majorem partem ipsius doctrinæ in Evangeliis Synopticis contentæ authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quæ historice haud concipi potest quæque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suæ dignitatis messianicæ.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quæque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quæ nunc penes historicos rei christianæ indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent præsentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianæ obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quæ una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et pœnitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quæ narrat Paulus de institutione Eucharistiæ (I. Cor. XI, 23-25), historice sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiæ reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam pœnitentia tanquam Ecclesiæ institutio

agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum.

47. Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Jo. XX, 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum pœnitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Jacobus in sua epistola (vv. 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiæ, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Cœna christiana paullatim indolem actionis liturgicæ assumente, hi, qui Cœnæ præesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

50. Seniores qui in christianorum cœtibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariæ crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

51. Matrimonium non potuit evadere sacramentum novæ legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut præcederet plena doctrinæ de gratia et sacramentis theologica explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam sæculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum cœli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiæ non est immutabilis; sed societas christiana perpetuæ evolutioni æque ac societas humana est obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiæ christianæ interpretationes evolutionesque quæ exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana non ex divinæ providentiæ ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese præbet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quæ cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinæ corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit judaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum joannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturæ caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturæ caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Præcipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese præbet imparem ethicæ evangelicæ efficaciter tuendæ, quia obstinate adhæret immutabilibus doctrinis quæ cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinæ christianæ de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V, die 4 ejusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo D. N. Pio Pp. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris

—

I

Interpretare Ps. X: *In Domino confido* etc.

II

Expone notionem *notæ* Ecclesiæ.

III

Solve sequentem difficultatem:

Si in justificatione infunderentur virtutes morales, destruerentur in adulto justificato vitia illis contraria, et facilitaretur potentia ad actus morales.

Atqui in adulto justificato remanent habitus vitiosi, qui ante justificationem inerant, et ille non experitur facilitatem ad actus morales.

Ergo in adulto justificato non infunduntur virtutes morales.

IV

Explica quomodo virtutes infusæ a virtutibus acquisitis distinguantur ratione objecti.

V

Quid sit dispensatio et quomodo differat a licentia.

VI

Quid sit rescriptum et forma legitima rescriptorum.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Interpretare ex epilogo Apocalypseos XXII, 16-21.*

R. I. **Prænota.** In epilogo Apocalypseos (XXII, 6-21) inculcatur auctoritas libri et iteratis vicibus exprimitur ardens desiderium adventus Christi (vv. 7, 12, 20). Sponsa seu Ecclesia et ipse auctor ardenter reditum Christi ad judicium desiderant (vv. 17, 20). An exinde sequitur Joannem docuisse aut saltem expectasse Christum post paucos annos in terram visibiliter rediturum esse? Quæstio hæc est difficillima et non univoce solvitur. *Juvat de parousia, de judicio universali et particulari generalia quædam animadvertere:*

1º Christus docuit tempus extremi judicii seu parousiæ esse hominibus prorsus incognitum: cf. *Mt* XXIV, 36; *Mc* XIII, 52; *Lc* XII, 35-36; *Act.* I, 7. Quodsi nihilominus textus quidam innuere videantur reditum esse potius imminentem, cum iis locis conciliari debent quæ moram longiorem præsupponere apparent. Ita perpendere velis *Mt* XIII, 31-33; *Mc* IV, 26-29; *Mt* XXI, 41, 43; XXVIII, 18-20; *Mc* XIII, 10 coll. *Mt* XXIV, 14 et *Lc* XIV, 24 (1).

2º Proinde Apostoli de tempore parousiæ nihil certi, *tanquam revelatum*, tradere potuerunt Ecclesiæ, quæ cæteroquin testatur se de hac epocha nihil certi ex apostolica traditione tenere. De facto Apostoli, Christi doctrinam referentes, docuerunt et censuerunt tempus reditus Christi esse ignotum plane et incertum. Ita s. Paulus *I Tim.* VI, 15; *II Thes.* II, 1-6 et s. Petrus *II Pet.* III, 8-9.

3º At hoc ipso quod promissus erat Christi reditus et ignotum tempus, licebat Apostolis et fidelibus, signa secundi Christi adventus scientia sua humana interpretantes, parousiam illam sibi augurari et sperare vicinam, imò opinionem

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 117, n. 1.

reditus proxime futuri exprimere. Quæ spes vel etiam opinio hoc modo genita, nulla revelatione divina de hac ipsa re nititur.

4° Ex dictis haud incongrue explicari potest quomodo in scriptis Apostolorum eorumque discipulorum (1) tùm incertitudo temporis parousiæ inculcetur, tùm etiam textus occurrant qui asserere videntur diem extremi judicii citò et sua ætate venturum, aliaque loca quæ dictum diem non tam cito futurum esse significant (2). Ità textus Apocalypseos in quibus parousia asseri videtur propinqua (v. g. XXII, 7, 12, 20) conferri debent cum aliis, v. g. XX, 1 ss., ubi asseritur mille annos (i. e. numerum indefinitum annorum) intercessuros esse inter primum Ecclesiæ triumphum, et ultimam persecutionem ac judicium universale.

5° Præterea rite animadvertendum est scripta Apostolorum ab orali eorum prædicatione disjungere fas non esse. Unde si (quod indubium videtur) tam in verbis (cf. v. g. *II Thes.* II, 5) quam in scriptis incertitudinem circa parousiæ tempus Apostoli inculcaverint, ita præstituebant nullam revelationem sibi hac de re esse factam; adeoque se non loqui ex revelatione divina satis significabant ubi propriam spem vel etiam opinionem de proximo reditu exprimebant. Hæc igitur opinio ut *privata* ac *personalis*, uti aiunt, auditoribus ac lectoribus apparebat, eaque, etiam si erronea fuisse probaretur, inerrantiæ S. Scripturæ adeoque ejus inspirationi haud obstare videretur (3).

6° Fideles quosdam ætate apostolica reapse spem instantis Christi reditus fovisse constat e *II Thes.* II, 2. At quoties quis parousiæ *determinatum* tempus statuere attentaret, docebant Apostoli nihil hac in re esse omnino certi, et falli eos qui oppositum sibi persuaderent. Ita cf. *II Thes.* II, 1-6 et *II Pet.* III, 3-9.

7° Neque Apostoli neque fideles suam spem frustratam

---

(1) De tempore parousiæ apud S. Paulum et S. Lucam cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 110 ss.; de doctrina S. Jacobi, S. Petri S. Joannis et S. Judæ cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 55, 86, 106, 108, 121 n., 128 n., 131, 137, 147 s., 151, 190 s., 194, 242 s.

(2) Cf. Palmieri, *Comment. in Ep. ad Galatas*, Galopiæ, 1886, p. 253 ss.

(3) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ catholicæ*, Brugis 1907, p. 191.

censebant, si ante parousiam moriebantur (1) : sed repositam sibi coronam credebant reddendam sibi *in illa die* a justo judice (*II Tim.* IV, 8) et interim tamen *se futuros cum Christo* (*Phil.* I, 23). E quibus obiter hîc colligimus, conceptum judicii particularis, quo statim a morte cuique sors sua æternùm duratura assignetur, non esse novum commentum, sed explicationem prioris conceptus, nempe judicii ultimi. Eo ipso enim quod alter solemnis adventus Domini, postquam jam plures fideles obiverant, erat certe futurus et nihilominus justi statim a morte cum Christo esse poterant, consequebatur quod statim post mortem suum præmium a justo judice cuique decerneretur : quod quidem particulare judicium quædam inchoatio est futuri publici universalis judicii in Domini epiphania.

II. **Interpretatio. 16.** *Ego Jesus misi angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis, Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. — Angelus :* hæc vox sumenda non in sensu etymologico de *nuntio* qui, in casu, foret Joannes ipse (vox ἄγγελος hoc sensu in Apoc. non occurrit), sed in sensu proprio de spiritu cœlesti (v. 6 et I, 1), vel potius de spiritibus cœlestibus qui a *Jesu* per Joannem mediatorem *missi* sunt ad *testificandum in* septem *ecclesiis* christianis Asiæ proconsularis (cf. I, 11) *hæc* vaticinia in hac Revelatione contenta. — *Ego* Jesus, secundum naturam meam humanam sum *radix et genus David* i. e. propago (*Is.* XI, 1 ss.) e radice et familia David, *stella splendida et matutina*, fugans omnes erroris et peccati tenebras, et merces æterna fidelium (cf. II, 28).

17. *Et spiritus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit dicat : Veni. — Et Spiritus* sanctus qui loquitur in Prophetis et hanc prophetiam inspiravit (v. 6) et *sponsa* seu Ecclesia, figurata per Jerusalem cœlestem (XIX, 7 ; XXI, 9) *dicunt : Veni.* Sc. Spiritus sanctus, qui in fidelibus orat gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26) sponsam Ecclesiam (XXI, 9) facit desiderare alterum

(1) Cf. Palmieri, *o. c.*, p. 256 s.

sponsi Christi adventum, sc. gloriosum. *Qui audit* prælegi hanc prophetiam sc. publice in ecclesiis (cf. I, 3), vicissim *dicat: Veni.*

Et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. — *Et qui sitit* aquam vivam in vitam æternam salientem (1) *veniat* ad me, *et qui vult, accipiat* illam *aquam vitæ* æternæ *gratis* sc. velut donum gratiæ. Hæc invitatio respondet promissioni a Christo c. XXI, 6 factæ: « Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis », ubi tamen merita ex libera cooperatione cum gratia supponuntur, uti liquet e v. 7 sequenti: « Qui *vicerit,* possidebit hæc ».

18. *Contestor* (*enim* (2) græce deest) *omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* — Gravis admonitio hîc et in v. 19 pro iis qui Ecclesiis præsunt ut librum integrum a mendis et glossis servent, et pro amanuensibus ut eum fideliter transscribant, nihil addentes nihilque omittentes (v. 19). Quæ admonitio ostendit auctorem intime persuasum esse librum suum esse divinitus revelatum, seu proprie dictam *prophetiam.*

19. *Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto.* — Græce: auferet

---

(1) Hæc idea est specifice Joannea (cf. *Jo.* IV, 10-14; VII, 38): ad identitatem auctoris quarti Evangelii et Apocalypseos demonstrandam suo modo conferre potest.

(2) Apposite notat Beelen, *Het Nieuwe Testament,* h. l.: « Wij vertaalden het begin van vers 18 met: *Ik toch betuige* enz. omdat de Vulgaat hier leest: *Contestor enim* etc., welke lezing ook in sommige Grieksche Handschriften gevonden wordt. Doch de meest gezag hebbende Grieksche lezing van deze plaats schijnt mij toe te zijn: *marturo ego* d. i. *ik* (met nadruk) *betuig.* [Hæc certissime est vera lectio]. Misschien was de oorspronkelijke lezing van de Vulgaat: *contestor ego,* en kwam door verziening van een afschrijver *enim* voor *ego* in den tekst. Wat hier van zij, ik zie niet dat het mogelijk is aan partikel *enim* op deze plaats een zin te geven, omdat er volstrekt geen *redegevend* verband bestaat tusschen de betuiging die in vers 18 geschiedt en de voorafgaande gezegden ».

Deus partem ejus de ligno vitæ et de civitate quæ scripta sunt (τῶν γεγραμμένων) in libro isto, i. e. non habebit partem in vita æterna et sancta civitate cœlestis Jerusalem (c. XXI-XXII, 5) quæ in hoc libro christianis genuinis promittuntur.

20. *Dicit qui testimonium perhibet istorum* (sc. Christus cf. I, 15): *Etiam venio cito.* — Certe veniam cito, sc. ut judex cum justa retributione « unicuique secundum opera sua » bona vel prava debitâ (cf. v. 12). Auctor huic promissioni respondet: *Amen* (ita fiat) *veni Domine Jesu* et finem fac omnibus pressuris nostris.

21. *Gratia Domini nostri Jesu* (græce deest *Christi*) *cum omnibus vobis. Amen.* — Joannes Apocalypsin per modum epistolæ septem Ecclesiis scriptæ, cum gratiæ apprecatione incœperat (I, 5): eam nunc formulâ epistolari, gratiam iterum a Jesu Christo apprecans, claudit (1).

A. Camerlynck.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas:* Omne meritum vitæ æternæ simul incrementi charitatis meritum est; atqui charitas non augetur nisi per actus qui *ex ipsa* procedunt; id enim omnibus habitibus commune est. Ergo illa sola opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ vel sunt actus charitatis eliciti, vel saltem imperati.

R. Conc. Maj.

Nego min. — Ad rationem additam, distinguo: id commune est omnibus habitibus *naturalibus* seu *acquisitis, concedo;* hoc commune est etiam habitibus *infusis,* nego.

Nego consequens.

Explicatur. Major ab omnibus admittitur: quum

(1) Cf. Ceulemans, *Commentarius in Epistolas Catholicas et in Apocalypsim,* Mechliniæ 1904; — W. Bousset, *Die Offenbarung Johannis,* Göttingen 1896; — Calmes, *Epitres Catholiques Apocalypse,* Paris 1905.

enim charitas sit ipsa *tendentia* ad Deum tamquam *ad ultimum finem*, oportet ut gradus vitæ æternæ, scilicet visionis Dei beatificæ, quæ est ipsa possessio ultimi finis, proportionetur gradui *charitatis;* præterea charitas semper proportionatur gratiæ sanctificanti et visio Dei beatifica semper proportionatur *gratiæ sanctificanti:* hæc enim animam formaliter reddit participem naturæ divinæ et *ideo* radicaliter capacem visionis intuitivæ.

Quoad distinctionem adductam, facile perspicitur ejus ratio: nam habituum naturalium seu acquisitarum actus ipsi sunt *causa physica efficiens* tum habitus, tum ejusdem augmenti: actuum enim repetitione et gignitur et augetur habitus naturalis: inde ex actu elicito ab uno habitu non augetur alius habitus realiter distinctus a primo.

Sed virtutum infusarum causa physica efficiens non est *actus* (1), sed solus Deus: qui est causa efficiens physica tum infusionis, tum augmenti habitus.

« Virtutes, ait *S. Thomas,* intenduntur in quantum subjectum reducitur magis in actum ipsarum per actionem agentis causantis eas. Unde sicut virtutes acquisitæ augentur ex actibus per quos causantur, ita virtutes infusæ augentur per actionem Dei a quo causantur » (2). Porro nihil impedit quominus Deus *intuitu unius actus* augeat omnes virtutes infusas simul; imo propter connexionem ad invicem omnium virtutum infusarum, hæ revera simul semper augentur a Deo, secundum communem theologorum sententiam (3).

Adnotatio. Objectio quam solvimus est argumentum quo utitur *Bellarminus* ad confirmandam sententiam asserentem *bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ,*

---

(1) Actus supernaturalis, in homine justificato, est *dispositio* ad augmentum et etiam causa *meritoria*, quæ, non physice, sed *moraliter* influit.

(2) *De Virtutibus in communi,* a. 11.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De Virtutibus cardinalibus, Tract.* I, Introductio, n. 20; Schiffini, *De Virtutibus infusis,* Friburgi Br., 1904, n. 34.

NISI EX CHARITATE PROCEDAT : quam sententiam sic explicat : « Quamvis non desint gravissimi auctores, qui sentiant, omne opus bonum hominis justi, et habitu charitatis præditi, vitæ æternæ meritorium esse : nobis tamen probabilius videtur ad meritum exigi ut opus bonum, vel tunc, cum fit, *actu imperetur a charitate,* atque in Deum ut finem supernaturalem et ultimum referatur : vel certe nascatur ab actu imperato a charitate atque in Deum ante relato, quod est *virtute*, non actu in Deum *referri* » (1). Igitur opposita est hæc sententia sententiæ quam propugnavimus suprà, p. 13 ss. — Notemus bene Bellarminum, quando loquitur de actu imperato a charitate, intelligere actum qui procedit ex *influxu permanente* alicujus *actus* charitatis ; non est ergo sermo de imperio de quo loquitur *S. Thomas* dicendo quod « aliæ virtutes *imperantur* a charitate » V. suprà, p. 323. Nec etiam actus *relatio virtualis*, de qua loquitur Bellarminus, est illa virtualis relatio quæ exigitur a S. Thoma : v. suprà, p. 169.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Josephus N... nuptias ambit ineundas cum Magdalena N..., uxoris defunctæ sorore, cum qua luxuriosè conversatur : utraque pars supponitur in paupertate existens.*

Indica quò sit recurrendum pro dispensatione, confecta supplica ac integro processu accuratè descripto.

R. I. Recurrendum est *pro foro externo* ad *S. Pœnitentiariam,* quæ facultatem habet dispensationes fori externi elargiendi in gratiam pauperum et quasi pauperum (2).

---

(1) *De Justificatione,* L. V, c. 15, n. 8 ; cf. ibid. n. 12.

(2) Hanc facultatem in foro externo dispensandi cum pauperibus et quasi-pauperibus solet S. Pœnitentiaria, inde ab anno 1798, ex provisoria S. Sedis dispositione, exercere. Nimirum, Apostolica Datarià, ob res publicas graviter perturbatas, in suis functionibus impeditâ, dispensationes matrimoniales concedebantur etiam in foro externo per organum

Recursus autem instituendus est a *parocho sponsæ,* per intermedium *Ordinarium,* a quo vel ipsa supplica est conficienda vel ad minus litteris testimonialibus est munienda. Passim autem in usu est, in diœcesi Brugensi, ut supplica Romam dirigenda ab ipso Officiali conficiatur.

Parochi igitur munus est ut casum exponat coram Ordinario ab eoque petat ut dispensationem S. Sedis procurare dignetur, hoc scilicet vel simili modo:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Josephus N..., ætatis 35 annorum, viduus, parochiæ X, et Magdalena N..., 30 annorum, cœlebs, parochiana mea, matrimonio inter se copulari cupiunt. Obstat vero impedimentum affinitatis ex copula licita in primo gradu lineæ collateralis æqualis, ex eo proveniens quod oratrix soror sit defunctæ uxoris oratoris. Quare humillimè supplicant Illustrissimam Dominationem vestram ut super dicto impedimento dispensationem S. Sedis impetrare dignetur.

Causæ sunt: Periculosa vitæ conversatio cum copula carnali non semel admissa; sponsus duabus prolibus minorennibus gravatus uxoris indiget adjutorio, et oratrix ad eas proles educandas idonea dicitur.

Testor oratores, orthodoxæ fidei cultores, adeo pauperes ac miserabiles esse ut solo manuum labore vivant. Solvent tamen pro expensis 10 francos (1), quos apud me deposuerunt.

(Data et signatura).

S. Pœnitentiariæ; et inde postea, postquam Dataria reassumpserat suum munus, remansit vestigium illius disciplinæ, quatenus, ex speciali mandato S. Pontificis, M. Card. Pœnitentiarius pergat in foro externo dispensare in gratiam pauperum et quasi-pauperum.

Pauperes, coram *S. Pœnitentiaria,* reputantur illi qui ambo simul non attingunt fortunam 1600 circiter francorum, in Italia, et, extra Italiam, 3000 circiter francorum. *Quasi-pauperes* reputantur illi qui non excedunt possessionem 5000 circiter francorum, in Italia, et 10000 circiter francorum, extra Italiam; ratio etiam est habenda fortunæ in spe et redituum stabilium v. gr. ex munere quo quis fungitur. Aliter paupertas et quasi-paupertas determinatur *coram Dataria,* quæ computum proposuit anno 1901 ad calcem *Formularum,* quem computum a se non admitti declaravit S. Pœnitentiaria die 23 Julii 1902 et 20 Jan. 1904. De quibus cf. *R. th. fr.,* 1904, p. 483; 1905, p. 297; 1899, p. 408 ss.

(1) Si essent pauperes communes solvere deberent 15 francos.

Hisce litteris acceptis, Officialis proprie dictam supplicam exarabit, eamque ad S. Pœnitentiariam transmittendam curabit. En specimen *supplicæ:*

Beatissime Pater,

Josephus N..., 35 annorum, viduus, et Magdalena N..., cœlebs, 30 annorum, diœcesis Brugensis subditi, ad pedes S. V. humiliter provoluti, devotè implorant dispensationem super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ collateralis æquali, ex eo proveniente quod orator olim in uxorem habuerit sororem germanam oratricis ad præsens defunctam.

Causæ sunt..... uti suprà

Gustavus Josephus Waffelaert Episcopus Brugensis testamur oratores, diœceseos Brugensis subditos, esse vere pauperes et miserabiles, ita ut solo manuum labore victum vix sibi comparare valeant (1).

II. Si Sancta Sedes dispensationem benigne concedendam censuit, mittet ad Ordinarium Brugensem, qui preces obtulit, *rescriptum dispensationis* in forma commissoria (2), quo mandatum ipsi conferatur dispensationem variis sub clausulis cum oratoribus exequendi.

En tenorem rescripti Romani pro casu quem hic intendimus :

Beatissime Pater,

Josephus N... et Magdalena N..., pauperes diœceseos Brugensis, affines in primo lineæ collateralis gradu, quia orator est viduus ex sorore oratricis, matrimonium inter se contrahere cupientes, S. V. de opportunæ dispensationis gratia humillime deprecantur ob sequentes rationes authenticis documentis comprobatas : copula carnalis, bonum prolis oratoris vidui.

Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica

---

(1) Juxta monitum diei 5 Febr. 1900, jussu S. Pœnitentiariæ, ad Ordinarios directum, exigitur ut Episcopi testentur de paupertate seu quasi-paupertate oratorum, idque propria attestatione, vel, si sint impediti, attestatione alterius personæ ad hoc specialiter delegatæ.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 670.

auctoritate suprascriptos oratores a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis tam a jure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sint, ad effectum infrascriptæ gratiæ dumtaxat consequendæ, hujus rescripti tenore absolvens et absolutos fore censens, oratorum Ordinario facultatem concedit, cum iisdem oratoribus, remoto, quatenus adsit, scandalo, præsertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri potest, ac prævia absolutione, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab Eo ad hoc specialiter hac vice tantum deputandam, a censuris et pœnis ecclesiasticis, si quas ob præmissa incurrerint, et ab incestus reatibus cum gravi et diuturna pœnitentia salutari, si vera sint exposita, et dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit, aliudque eis canonicum non obstet impedimentum, quominus legitimo matrimonio conjungi possint (1), super recensito in precibus impedimento ut, illo ac præmissis, et constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium uterque inter se publice, servata forma Sacri Concilii Tridentini, contrahere et in eo postmodum remanere licite ac libere valeant, pari Apostolica Auctoritate in utroque foro misericorditer et gratis dispensandi: prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam decernendo ac respective nunciando.

III. Quod spectat *executionem Rescripti Romani:*

1° Ordinarius Brugensis (2) subdelegat *parochum sponsæ* ad verificationem precum, juxta dicta apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 677, ad ipsum transmisso elencho quæstionum, ibidem descripto, ad quas quæstiones, inquisitione facta, respondendum habet parochus.

2° Si, uti in casu proposito, posset esse locus scandalo reparando (3), solet Officialis, præter elenchum

---

(1) Si oratores sunt quasi-pauperes inseritur hic: « solutis jam pro Apostolicæ Datariæ juribus libellis septemdecim ». Pro agentia exiguntur ulterius libelli tres.

(2) Executio committitur *Ordinario*, cujus nomine veniunt varii illi qui enumerantur in decreto anni 1888, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 124 ss.

(3) Mentio inseritur scandali reparandi ratione luxuriosæ conversationis et copulæ incestuosæ, quæ refertur in supplici libello.

quæstionum adjungere *folium,* in quo nomine suo (1) injungendam mandat separationem, quatenus scandalum adsit et separatio fieri possit (2), ac imponit pœnitentiam (3), simul onere imposito parocho inquirendi circa pœnitentiæ acceptationem, præsentiam scandali, separationis injunctæ executionem vel alterius contra scandalum remedii applicationem (4).

3° Accepta notitia verificationis precum, acceptatæ pœnitentiæ et, si opus fuit, reparationis scandali, Officialis procedit ad fulminationem dispensationis, prævia impertita absolutione juridica (5), ac subjuncta prolis legitimatione (6).

Formula fulminationis sequens vel similis usurpari potest:

Vicarius Generalis-Officialis Ill. ac Rev^mi^ D^ni^ Ep. Brug. Dilectis Nobis in Christo..... salutem in Domino. Nos, de

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 682 s.

(2) De hac clausula ejusque interpretatione ac executione latius agitur apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 679 ss.

(3) Imponitur *pænitentia* iterum ob causas inhonestas in supplica expressas, et quidem in casu, ob copulam incestuosam, imponitur pœnitentia gravis et diuturna: ad quam determinandam Officialis rationem habebit praxis et doctrinæ Auctorum. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 40 ss.; item Pompen, *Tractatus de Dispensationibus,* n. 84 et 89.

(4) Tenor *folii* mitti soliti est sequens: « Ego infrascriptus Vicarius generalis-officialis Rev^mi^ D^ni^ Episcopi oratoribus Josepho N... et Magdalenæ N..., juxta tenorem adjuncti rescripti injungo: I/ ut, si adsit scandalum et separatio fieri possit, separati vivant a thoro et cohabitatione. Quæ quidem separatio, juxta responsum S. Pœnitentiariæ, de die 4 Febr. 1884, *injungenda est,* etiamsi constet oratores separatos habitare et usque ad diem matrimonii habitaturos; II/ ut singuli oratores pro pœnitentia... (inseritur pœnitentia).

Velit igitur R. D. Pastor indicare responsa: 1/ an oratores pœnitentiam acceptaverint? — 2/ quatenus adsit scandalum: a/ *si fieri possit separatio,* an oratores, *separatione ipsis injuncta,* per tempus præscriptum, revera separati fuerint? — b/ *si fieri nequeat separatio,* an aliter et quomodo scandali reparationi provisum fuerit »?

(5) Rursus locus est absolutioni juridicæ ob incestum in precibus allegatum; de quo cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 36 ss.

(6) De legitimatione prolium et hujusmodi clausulæ executione latius disseritur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 119 ss.

mandato speciali et expressa apostolica auctoritate, in Rescripto diei....., cujus executio Nobis committitur, concessis, quum de veritate expositorum constiterit, ac clausulis ejusdem Rescripti sit factum satis, vos, a censuris et pœnis ecclesiasticis, si quibus quomodolibet innodati fueritis, ad effectum dispensationis dumtaxat consequendæ, per S. Sedem absolutos (1), ab incestus reatibus et a censuris et pœnis ecclesiasticis, ob hanc vel alias causas in supplica allatas forsan incursis, in utroque foro absolvimus (2). Deinde, eadem speciali auctoritate Apostolica, vobiscum dispensamus super impedimento (is), in ordine ut hoc (his) impedimento (is) et constitutionibus, ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium in facie Ecclesiæ, in forma a S. Concilio Tridentino præscripta, validè contrahere ac solemnizare, et in eo postmodum libere et licite remanere possitis, dummodò tamen aliud, præter expressum (a), non obstet impedimentum canonicum et mulier rapta non fuerit.

Præterea prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam declaramus.

4° Parocho, postquam receperit fulminationis decretum, jam non remanet nisi ut concessam dispensationis gratiam oratoribus *communicet.*

IV

Q. *Confessarius, duobus ante nuptias mensibus, detegit pœnitentem nupturientem carnaliter cognovisse sororem sponsæ. Describe, exarato supplici libello, modum recurrendi pro dispensatione, camque, cum variis suis clausulis, executioni mandandi.*

R. Agitur de impedimento affinitatis illicitæ in primo gradu lineæ collateralis æqualis : quod supponitur facto occultum. Quo posito :

---

(1) Absolutio ad effectum conceditur in tenore Rescripti ab ipso S. Pontifice ; nec adeo iteranda est ab executore Rescripti.

(2) Hæc absolutio est absolutio juridica a reatu et a censuris Inserenda est absolutio a reatu ob quamcumque causam inhonestam ; absolutio vero a reatu et a censuris, quotiescumque allegata est causa inhonesta censuræ obnoxia, uti notatur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 36.

I. Recurrendum est, *pro foro conscientiæ,* ad *S. Pœnitentiariam,* cum tempus præsto sit adeundi S. Sedem, adeoque nulla, neque ex potestate delegata neque ex potestate quasi ordinaria, suppetat Episcopo facultas super descripto impedimento per se vel per alium dispensandi. Hoc autem munus incumbit ipsi confessario cujus est supplicam conficere eamque Romam transmittere: nihil tamen impedit quominus confessarius supplicam a se confectam et cautè clausam curæ committat Officialis, ut ipsius ope securius ad finem perveniat; ipse Officialis tunc recipiet rescriptum Romanum illudque clausum transmittet confessario.

Supplica dirigenda est ad Cardinalem Maj. Pœnitentiarium (in Palatio Cancellariæ, Romæ), qui et ipse Cardinalis est in libello alloquendus. Decet ut idioma latinum vel italicum adhibeatur, excepta directione (adresse) confessarii, vernacula lingua proponenda (1).

En specimen libelli supplicis, fictis sub nominibus conscribendi:

Eminentissime Domine! — Titius, fidei catholicæ cultor, matrimonium inire cupit cum Bertha, quam et cujus sororem germanam carnaliter cognovit. Cum autem dicta carnalis copula cum præfata mulieris sorore sit occulta, et, nisi orator cum Bertha matrimonium contrahat, periculum imminerct scandalorum, ad hujusmodi scandala evitanda et pro suæ conscientiæ quiete vehementer exoptat per Sedem Apostolicam absolvi secumque dispensari super contracto impedimento affinitatis illicitæ in primo lineæ collateralis gradu. Quare E. V. enixis precibus orator supplicat ut sibi de opportuno remedio providere faveat.

Dignetur E. V. executionem dispensationis committere confessario ex approbatis ab oratore eligendo, atque rescriptum dirigere ad infrascriptum, — E. V. humillimum famulum N. N.

---

(1) Supplica conficitur nomine partis noxiæ, cum qua dispensatio erit exequenda. Si agatur de impedimento criminis, in quo utraque pars est rea et complex, utriusque nomine gratia imploratur.

II. Juvat referre tenorem *rescripti Romani* in casu nostro accipiendi in forma commissoria: cujus executio committetur confessario ab oratore electo aut eligendo (1):

Dilecto in Christo proprio latoris parocho sive confessario ex approbatis ab Ordinario loci per eum specialiter electo, salutem in Domino. Ex parte latoris præsentium petitio Nobis oblata continebat quod ipse urgeatur ad matrimonium contrahendum cum muliere quam et cujus sororem carnaliter cognovit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, et, nisi matrimonium inter eos contrahatur, periculum immineat scandalorum, ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit a præmissis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari; quare humiliter supplicavit, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Apostolicæ Pœnitentiariæ curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica Nobis concessa, Discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione, si adhuc exstet, amplius peccandi cum dictæ mulieris sorore, a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, si quibus propter præmissa quomodolibet innodatus existat, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta. Injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia gravi et salutari, et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum sit, et aliud canonicum non obstet, cum eodem latore, quod, præmissis non obstantibus, matrimonium cum dicta muliere, et uterque inter se publice, servata forma Sacri Concilii Tridentini, contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, pari apostolica auctoritate misericorditer dispenses: prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam nunciando. In foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus

(1) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 126 s.

ei suffragentur. Nullis super his datis litteris, sed præsentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per te post executionem penitus laceratis. Datum Romæ....

III. Quod spectat Rescripti *executionem:*

1° Attendat confessarius sibi factam esse facultatem dispensationem exequendi in solo foro *interno,* eoque *sacramentali* tantùm, audita prius dispensandi confessione. Excepta confessione, quam vi Pontificiæ auctoritatis, *ubique* excipere valet, antequam dispensationem fulminet et absolvat sacramentaliter, pœnitentem interrogare debet confessarius circa clausularum et conditionum rescripti executionem (1), signanter circa impedimenti ignorantiam in populo, circa pœnitentiæ acceptationem (2), et occasionis relabendi remotionem (3); post hæc autem injungat pœnitentiam ac, vi delegationis apostolicæ pro hac vice valentis, indulgeat absolutionem a pœnis et censuris forsan incursis, ad hoc adhibita formula consueta absolutioni sacramentali præmittenda (4), quæ formula simul continebit absolutionem ad effectum (5) et absolutionem juridicam (6).

---

(1) Si quid substantiale deesse reperiat confessarius, dispensationis executioni supersedere debet; potest autem pœnitentis assertioni fidenter stare donec certò et ex scientia non-sacramentali de contrario constet.

(2) Agitur de pœnitentia juridica, non de pœnitentia sacramentali. De illa cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 639 ss.; 382 s. et 554; ubi docetur injungendam esse illam pœnitentiam, idque, juxta nonnullos ad valorem dispensationis, valori tamen non obstare omissum pœnitentiæ adimplementum, nec fictionem in acceptatione.

(3) Occasio libera est physice deserenda, occasio autem necessaria reddenda est de proxima remota; si necessitas urget nec tempus adest eventum expectandi « potest confessarius dispensationem fulminare, si pœnitens ita sincerè promittit occasionem se deserturum esse, ut ad sacramentalem absolutionem accipiendam dispositus judicetur ». Pompen, *Tractatus de Dispensationibus,* 1897, n. 87.

(4) Inseratur: « a pœnis et censuris quas ob præmissa (in confessione) forsan incurristi ».

(5) Absolutio ad effectum, in rescriptis Romanis pro foro externo, datur ab ipso S. Pontifice; in rescriptis vero fori interni relinquitur concedenda a confessario.

(6) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 34.

2° Hisce peractis, fulminat dispensationem super impedimento et prolem legitimat, adhibita formula descripta apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 412; ac pœnitentem, si est dispositus, sacramentaliter absolvit a peccatis, injuncta pœnitentia sacramentali (1).

Sequens igitur formula posset usurpari:

Dominus N. J. C. te absolvat et ego auctoritate Ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti, signanter a pœnis et censuris quas ob præmissa forsan incurristi, in quantum possum et tu indiges.

Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento affinitatis illicitæ in 1° gradu æquali lineæ collateralis, ex eo proveniente quod cum sorore sponsæ copulam habueris, ut eo non obstante cum muliere quam ducere intendis, matrimonium publice, in forma Tridentina contrahere, consummare et in eo permanere valeas. Eadem auctoritate prolem (susceptam et) suscipiendam exinde legitimam fore nuntio et declaro. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen.

Deinde Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et Spir. S^i. — Passio Domini N. J. C.

3° Quodsi, ob pœnitentis indispositionem absolutio sacramentalis judicatur differenda, equidem validè fulminatur dispensatio (2) præmissa formula absolutionis a

---

(1) Licet plerique Auctores, uti Feye, *De Imped. matrim.*, n. 757; Gasparri, *Tract. canon. de matim.*, n. 401; Theol. Michl., *De Spons. et matr.*, n. 100, qu. 4, sub. I; Pompen, o. c., n. 103, moneant absolutionem sacramentalem, ubi ei locus est, esse præmittendam dispensationis fulminationi, potius standum videtur responso S. Pœnit. diei 19 Maii 1834, quod affert Zitelli, *De Dispensationibus matrimonialibus*, 1887, p. 88. Nimirum ad dubium: « Num dispensationes super impedimentis dirimentibus occultis in matrimoniis contractis significandæ sunt statim post susceptam absolutionem, aut priusquam dispositiones prævias ad absolutionem existant, atque absolutio suscipiatur... »; respondetur: Dispensationes, de quibus in casu, manifestandas esse *ante absolutionem*, quas tamen confessarius concedere potest, etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat.

(2) Cf. responsum modó invocatum.

censuris, et omissa formula sacramentali (1). Attamen nisi « urgens aliqua necessitas suadeat dispensationem accelerare », monet S. Pœnitentiaria (2) differendam esse, cum absolutione, ipsam dispensationis fulminationem.

4° Præcipitur ut litteræ, post earum executionem, saltem infra triduum, idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *comburantur vel lacerentur*. Nihil tamen impedit, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 131, quominus conservetur copia rescripti, omissa data et omni indicatione qua posset forsan innotescere pœnitens in cujus gratiam fuit obtentum (3).

V

Q. Confessario vicepastori confessionem nupturientis excipienti, ipso mane quo matrimonium est celebrandum, innotescit sponsum esse obnoxium, respectu sponsæ, impedimento criminis.

Describe et dijudica modum agendi confessarii.

R. I. Si est impedimentum criminis *ex adulterio et*

---

(1) Idem est si absolutio sacramentalis contingit invalidè concedi. De hoc constat ex responso S. Pœnitentiariæ, quod exhibet ZITELLI, o. c., p. 87, cujusque tenor mox infrà refertur.

(2) Ita modò invocatum responsum S. Pœnitentiariæ, cujus tenor sic habet: « Dummodò confessarius litterarum S. Pœnitentiariæ executor servet quæ sibi in iisdem litteris præscribuntur, tunc datas vigore earumdem litterarum dispensationes validas fore, etiamsi contingat pœnitentem invalidè ac sacrilège confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quodsi confessarius advertat pœnitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi ritè non posse, curare debet ut idem pœnitens recte disponatur, vel si disponi nequeat in præsenti, differre debet, una cum absolutione a peccatis, prædictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes accelerare ».

(3) Apud *Lintzer Quartalschrift*, 1905, p. 382, refertur rescriptum S. Pœnitentiariæ, diei 29 Febr. 1904, in quo ad quæstionem, quousque conservari possint litteræ dispensationis casu quo non redit pœnitens cum quo executioni sunt mandandæ; et utrum, postquam combustæ sunt dictæ litteræ, adhuc executioni mandari valeant si pœnitens exinde accedat; respondit: « Facultatem perseverare etiam combustis litteris, quas retinere tamen licet, remoto periculo amissionis, quamdiu probabile sit pœnitentem compariturum ».

fide data tantùm, absque machinatione, potest vicepastor, vi novissimæ concessionis Episcopi Brugensis, de qua apud *Collat. Brug.,* t. XII, p. 387 et 407 ss., super præfato impedimento dispensare, attentis ibidem adnotatis circa executionem, signanter p. 412-415. Supponitur nempe impedimentum esse facto occultum, et casum adeo urgere ut tempus desit ad Ordinarium recurrendi (1).

II. Si præsto est impedimentum criminis ortum *ex adulterio et conjugicidio, uno machinante,* vel ortum *ex conjugicidio, utroque machinante,* vicepastor, de quo quæritur, omni dispensandi facultate prorsus destituitur. Alio proinde modo casui est providendum.

Nimirum . . . . . .

A/ *Si copia sit temporis* ut via saltem telegraphica tempestive impetretur dispensatio ab Episcopo, non omittat id facere confessarius, juxta normam quam describit *Liber Manualis,* ed. 2ª, p. 191 ss.

Acceptam autem dispensationem, *in forma gratiosa, communicet,* simul cum injuncta pœnitentia, sponso pœnitenti, eamque etiam communicandam curet sponsæ, si fuit criminis complex: quam communicationem sedulò nota posse fieri *extra actum sacramentalis pœnitentiæ* (2).

B/ *Si penitus deficiat omnis ad Episcopum recurrendi opportunitas,* et si aliunde, uti passim obtinet, non possit, sub aliquo prætextu, matrimonium differri absque periculo infamiæ vel scandali, adest casus qui

---

(1) Vidimus l. c. concessæ facultatis usui non officere quod ope telegrammatis recursus valeat institui. Aliud esset si personaliter adiri posset Episcopus, puta in civitate episcopali, quando non illicò post confessionem nuptiæ sunt celebrandæ.

(2) Olim, apud *Collat. Brug.,* t. VI, p. 127 s., in hoc institimus dispensationem fori interni a confessario directe concedendam esse vel exequendam in actu sacramentalis confessionis; dispensationem vero ab Episcopo in forma gratiosa concessam, ut solet fieri in diœcesi Brugensi, posse *communicari extra confessionem:* quod magnam facilitatem affert ad negotium in anxiis illis adjunctis expediendum.

vocatur *perplexus*. En autem quomodo solvendus videatur:

1° Si *utraque* pars reperitur versari *in bona fide* circa existentiam impedimenti qua matrimonium dirimentis, *relinquantur in bona fide,* et matrimonium celebretur: postea autem convalidetur matrimonium sive per simplicem dispensationem, sive per sanationem in radice, pro varia opportunitate, nisi præstat pseudo-conjuges in bona fide conservari, ratione habita dictorum apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 350, 358, 413 s.; t. VI, p. 556 et 601; t. X, p. 71 s.

2° Si *utraque* pars est impedimenti *conscia,* vel si, una parte conscia, altera facilè moneri potest, quemadmodum plerumque fiet pro crimine, suggeratur utrique nupturienti ut matrimonium contrahant *sub conditione suspensiva obtinendæ dispensationis* (1); ac omni conatu nitatur confessarius dispensationem procurare episcopalem ante ejusdem diei finem, eamque, injunctis injungendis, pseudo-conjugibus (extra confessionem) communicare.

Quodsi dispensatio non sit exspectanda nisi sequenti die, efficaciter urgendi sunt nupturientes ut abstineant ab omni usu conjugii usquedum de obtenta dispensationis gratia certiores reddantur.

3° Si *una* pars, confessionem instituens, est impedimenti *conscia, nec altera absque gravi incommodo moneri potest,* quod contingere potest in casu adulterii conjuncti cum conjugicidio ex unius dumtaxat machinatione, *etiam tunc inhæsitanter est ad matrimonium procedendum.*

In hoc conveniunt Auctores vix non omnes, ratione instantissimæ necessitatis vitandi periculum gravissimæ infamiæ pro nupturientibus, ac scandali in populo, necnon etiam periculum lædendi sigillum; non parum autem discrepant in *juridica hujus praxeos explicatione.*

---

(1) Confessarius de hoc agendi modo instruet suum pœnitentem, huic onere imposito ut in eumdem sensum moneat compartem complicem.

Plures nimirum Auctores eam ex eo legitimant quod censeant legem Ecclesiæ, impedimentum statuentis, tantis in angustiis, *ex epikia,* cessare, *in quantum est prohibens,* non autem *in quantum est irritans;* ita ut liceat matrimonium iniri, quantumvis invalidè contrahatur, ea lege ut illicò dispensatio procuretur et matrimonium convalidetur.

Jamvero, præterquam quod nonnihil mira videtur illa distinctio, manca et incompleta est solutio proposita. Valeret quidem pro casu quo dispensatio potest tempestive, ante diei exitum, obtineri et pseudo-conjugibus communicari; prorsus vero est insufficiens pro casu quo ante sequentem diem impetrari nequit dispensationis gratia, nec ullatenus potest pars conscia consummationi matrimonii sese subducere.

Et sane, nisi velis permittere usum matrimonii scienter et formaliter illegitimum, vel declarandum est, in casu, matrimonium validum, vel cogenda est pars impedimenti conscia ut coram comparte gravissimè sese infamet, eam monendo: quod alterum ægerrimè admittendum censemus.

Non manet igitur nisi ut, in hujusmodi extrema necessitate, recurramus ad solutionem quam suadere videtur S. Alphonsus (1), quatenus lex Ecclesiæ ex epikia cesset *etiam qua irritans.*

Equidem non desunt graves rationes contra hanc S. Doctoris sententiam (2), et, juxta communiorem canonistarum doctrinam, leges irritantes generatim non admittunt epikiam; atvero non videtur laudatæ opinioni dèneganda *probabilitas*, nec adeo repudianda est in praxi.

Et revera difficulter dicetur non posse *cum vera*

---

(1) *Theol. mor.*, l. VI, n. 613. Crisim sententiæ S. Alphonsi instituit Feye, *De Imped. matrimonii*, n. 644.

(2) Cf. Feye, o. c., n. 646; *Melanges théologiques*, Ser. 2, p. 56-58; 486-463.

probabilitate invocari benignam mentis legislatoris interpretationem, quatenus ad hanc desperatam extremitatem noluerit suam legem urgere.

Cæterùm principium juris canonici, quod lex irritans sit epikiæ privilegio subtrahenda, non urgetur absoluto modo, illudque relaxari fatentur canonistæ coram causa aliqua communi afficiente bonum generale publicum (1): non parum autem interest boni publici quod Ecclesia, in descriptis adjunctis, non urgeat legem suam irritantem. Secus enim, uti vidimus, sola solutio esset in adigenda parte conscia ad monendam compartem cum maxima sui infamia; ad quam monitionem faciendam si pœnitentem obligare deberet confessarius, meritò timendum esset ne inde odiosa reddatur confessio ac minuatur fiducia pœnitentium in adeundo confessario ipsique pandendis cordis arcanis: quæ sane pertinent ad rationem boni publici (2).

Ad hanc cæteroquin solutionem tanquam ad ultimum remedium practice provocant Auctores etiam illi qui, uti FEYE, *o. c.*, n. 646, sub 4° et n° 649, sub 2°; WERNZ, *Jus Decretalium,* IV, n. 619, nota 87; DE BECKER, *De sponsalibus et matrimonio,* ed. 1903, p. 380 s.; THEOL. MECHL., *De sponsalibus et matrim.,* n. 101, theoretice loquendo doctrinæ S. Alphonsi potius contradicunt. Ulterius nobis favent LEITNER, *Lehrbuch des kath. Eherechts,* p. 508; GASPARRI, *Tract. canon. de matrim.,* n. 768 (3); ZITELLI, *o. c.*, p. 111; ROSSET, *De Sacramento matrimonii,* n. 2402 s.; LEHMKUHL, *Theol. mor.,* II, n. 826 s.

---

(1) Sic in casu impotentiæ communis ad observandam formam Tridentinam.

(2) Ratio igitur qua nititur probabilitas sententiæ epikiam admittentis non est uti volunt *Mél. théol.,* ll. cc., quia lex evadit nociva tantùm, sed quia, in data hypothesi, legis cessatio unicum ac ineluctabile remedium est quo vitari possint gravissima et urgentissima incommoda tum ordinis privati, tum etiam, suo modo, ordinis publici.

(3) Excipit casum quo sponsi, impedimenti conscii, mala fide dispensationem petere neglexerunt.

Porro advertunt passim Auctores *post factum,* pro majore securitate et reverentia erga legem Ecclesiæ, recurrendum esse a confessario ad Episcopum, eique totum negotium exponendum ut ab ipso norma agendi indicetur.

A. De Smet.

VI

Q. *Quo habitu et quo ritu facienda est elatio cadaveris e domo defuncti et deductio funeris ad ecclesiam.*

R. Juxta Rituale t. VI c. I, n. 1 : *Parochus*, vel alius sacerdos, qui non debet esse idem ac celebrans missæ, *indutus* non alba, quod nunquam licet, sed *superpelliceo et stola nigra vel etiam pluviali ejusdem coloris, clerico præferente crucem, et alio aquam benedictam* vel saltem madidum aspersorium, *ad domum defuncti* vel ad locum ubi depositum est cadaver (1), *una cum aliis* ordinate congregatis (2) *procedit.*

Possuntne parochus aut alii assistentes induere *albam?* Minime.

Sunt quidam ritus qui ex fine suo, ex origine aut ex usu liturgico probato tam intime cum missæ celebratione cohærent ut historice facti sint et liturgice sint habendi ut pars quædam accessoria cæremoniarum missæ, saltem quando immediate ante aut post missam celebrantur (3). Quo in casu, sicut præscribit Ecclesia ut missa et ritus accessorius peragantur ab iisdem

---

(1) V. g. ad ecclesiæ januam, quando cadaver absque cleri adsociatione ad ecclesiam deducitur.

(2) Dolendum, incongruum et contra Ritualis explicitum præscriptum est quod clerus progrediatur divisim et inordinate, nunc unus vicarius, mox duo cantores, postea crucifer cum uno ceroferario et ita deinceps.

(3) Ita v. g. aspersio aquæ lustralis ante summum sacrum, benedictio cinerum, benedictio et processio candelarum et palmarum, distributio S. Communionis (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 286; 594), oblatio SS. Reliquiarum venerationi fidelium (Ibid. t. X, 240), absolutio defunctorum post missam *Requiem* (Ibid t. IX, 606 ss.; t. X, p. 241).

celebrante et assistentibus, et quidem sine interruptione, ita etiam jure merito permittit et vult ut cæremonia accessoria peragatur in paramentis missæ aut saltem cum alba et stola transversa, ac pluviali, dalmatica et tunicella.

Ubi vero non existit illa connexio et dependentia, evanescit illa ratio necessitatis unius ejusdemque celebrantis, sed etiam evanescit motivum tolerandi usum paramentorum missæ. Jamvero elatio et deductio cadaveris, sicut et officium defunctorum (1) semper in liturgia habita fuerunt ut independentia a missa. Et ideo præscribitur a Rituali superpelliceum cum stola vel cum stola et pluviali. Et nonobstante « consuetudine » « servanda est hæc dispositio Ritualis, quod in casu excludit sacras vestes ibi non memoratas » (2). Quare etiamsi mos contrarius existeret, non posset celebrans induere albam ne quidem in casu quo tantummodo ad ecclesiæ januam accedere deberet et statim post deductionem funeris (aut post officium defunctorum) celebraturus esset missam (3).

Item assistentes nec albam nec *dalmaticam* aut *tunicellam* induere possunt sed tantum superpelliceum (4), sicut et in absolutione si fiat independenter a missa (5).

Biretum in ecclesia a solo celebrante assumitur, extra vero ecclesiam ab aliis etiam clericis; omnes tamen illud deponunt pro ritu elationis cadaveris (*De Profundis* etc.). Servanda est nempe **regula generalis**:

1/ *Dum procedunt* sive a sacristia ad functionem

---

(1) Quod etiam cantari nequit cum alba.

(2) S. R. C. 23 maii 1846, *Tuden.*, n 2915[8], ap. *Collat. Brug*, t. III, p. 127.

(3) Cf. decr. S. R. C. 21 jul. 1855, *Briocen.* n. 3035 ad I, a/. Cf. *Collat. Brug*, t. III, p. 127.

(4) Cf. decr. S. R. C. n. 2915[8]; 6 feb. 1858, Montis Pessulani, n. 3066[2] (ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 127).

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 676.

sacram, sive ab altari ad sacristiam, sive ab una functione ad aliam : a/ in ecclesia soli celebrans et ministri parati (in dalmatica, tunicella, pluviali aut saltem stola) assumunt biretum (SS. Sacramento non exposito) ; b/ extra vero ecclesiam omnes caput tegunt.

2/ *Dum stant* in actuali ministerio aliquem ritum peragentes, omnes, etiam celebrans, caput habent detectum.

3/ *Dum sedent* assumunt biretum, nisi sit expositum Sanctissimum.

II. Domum defuncti ingreditur celebrans cum clerico deferente aspersorium et aliis de clero, quotquot locus permittit. Si crucifer cum ceroferariis non impediantur (v. g. ubi cæremonia peragitur ad ecclesiæ foras) se sistant ad caput defuncti vel saltem « ex adverso » sacerdotis, juxta regulam generalem (1).

Parochus vero seu celebrans stans ad pedes defuncti, detecto capite *antequam cadaver efferatur, illud* ter *aspergit aqua benedicta* nihil dicens ; *mox dicit* (inchoat) sine cantu (2) *antiphonam* **Si iniquitates,** *cum psalmo* **De profundis** *etc. In fine :* **Requiem æternam dona ei Domine et lux perpetua luceat ei** (in singulari). Repetit antiphonam totam : **Si iniquitates observaverit, Domine : Domine, quis sustinebit?**

Deinde cadaver effertur, parochusque de domo procedens, statim gravi voce cantans *intonat* prima verba *antiphonæ* **Exultabunt Domino.** *Et cantores inchoant* in cantu *psalmum 50* **Miserere mei Deus,** *clero alternatim prosequente psalmum.* Et repetitur in fine *ad ingressum ecclesiæ* antiphona integra : **Exultabunt Domino ossa humiliata.**

Ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur psalmi Graduales **Ad Dominum cum tribularer** *etc., vel alii psalmi ex Officio Mortuorum et in fine cujuslibet psalmi*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 673.

(2) Decr. S. R. C. 11 apr. 1902, *Augustana,* ap. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 331.

dicitur: Requiem æternam dona ei (in singulari) Domine, *etc., qui psalmi devote, distincte, gravique voce recitari* in cantu *debent.*

Mens Ritualis est ut hæc omnia cantentur: indicatur enim notatio musicalis. Ast « ubi psalmi, qui juxta Rituale Rom. in associatione defuncti sunt canendi per viam, alternatim recitari solent a sacerdotibus: potestne hæc consuetudo licite retineri? ». Respondit S. R. C. (1) « servetur, quantum fieri posset, Rituale Romanum ».

Ordinatur processio ad ecclesiam, *præcedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint.* Tum sequitur clerus regularis *et* dein *sæcularis, binique procedunt, prælata cruce* ecclesiæ tumulantis inter duos ceroferarios (2), *devote psalmos ut* supra *decantantes;* ultimo loco, *parocho* seu celebrante *præcedente feretrum luminibus* stipatum. *Inde sequuntur alii funus comitantes et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio* (3).

C. CALLEWAERT.

---

(1) Decret. S. R. C. 9 jun. 1899, *Resolutionis dubiorum,* n. 4029[5].

(2) Licet Rituale ceroferarios in casu non expresse memoret, consuetudo et Auctores generatim eorum præsentiam requirunt. Cf. KUNZ *Die liturgischen Verrichtungen der Ministranten,* p. 247, et Auctores ibidem citatos, quibus adde v. g. VAN DER STAPPEN, *De admin. Sacram.* q. 257, A, 1. Dicunt tamen *Ephem. Liturgicæ,* 1900, p. 140 « absque ceroferariis ».

(3) De ingressu ecclesiæ vide *Collat. Brug*, t. III, p. 59 ss.

Documents de Jurisprudence.

I

Fabriques d'église et bureaux de bienfaisance.

I.

Quêtes dans les églises pour les pauvres. — Droit du bureau de bienfaisance. — Droit de la fabrique et des œuvres charitables.

TRIB. CIV. DE TOURNAI, 19 mars 1907.

En matière de quêtes et collectes faites dans les églises, aucun monopole charitable n'a été constitué au profit des bureaux de bienfaisance; au contraire, il existe deux droits, celui des fabriques et celui des bureaux de bienfaisance, droits coexistants et se limitant l'un l'autre, tout en tendant au même but, le soulagement des pauvres.

(Bureau de bienfaisance d'Estaimpuis
c. Lefebvre, président de Saint-Vincent de Paul) (1).

Attendu que l'action tend à faire dire pour droit, que le demandeur, Bureau de bienfaisance d'Estaimpuis, a seul qualité pour faire quêter pour les pauvres dans l'église paroissiale de cette commune; à faire condamner le défendeur à rendre compte au demandeur des sommes recueillies par lui ou sous sa direction, depuis sept ans, au moyen des collectes faites dans ladite église, et à lui verser le produit de ces collectes, évalué à deux mille huit cent quatre-vingt-quatre francs; enfin, à faire faire défense au défendeur de continuer à l'avenir lesdites collectes;

Attendu que le défendeur oppose à l'action deux fins de non-recevoir,....

---

(1) *Rev. cath. de droit.*, 1907-1908, t. X, p. 53 ss. Ce jugement est entièrement basé sur l'avis conforme de M. Leschevin, procureur du Roi près du tribunal de Tournai. Nous regrettons de ne pas pouvoir reproduire *in extenso* cette savante dissertation. V. *Rev. cath. de droit, ibid.*, p. 41-52.

Nous avons cru bon d'ajouter certaines notes à l'énoncé du jugement.

Attendu que le défendeur soutient, au fond, que les collectes dont s'agit ont été faites, non dans l'intérêt de tous les pauvres d'Estaimpuis, mais au profit des seuls pauvres secourus par la Conférence de Saint-Vincent de Paul, et qu'en droit le Bureau de bienfaisance n'a pas le monopole des quêtes faites pour les pauvres dans les églises; concluant au débouté du demandeur dans son action;

Sur les fins de non-recevoir :...

Au fond :

Attendu que la question à examiner est celle de savoir qui a le droit de collecter, dans les églises, au profit des pauvres et spécialement si ce droit appartient exclusivement au Bureau de bienfaisance;

Attendu qu'historiquement, sous le régime de l'ancien droit français, il est établi que de tout temps des quêtes ont été faites pour les pauvres dans les églises; qu'une délibération du Conseil d'État des 27 février et 6 mars 1873 — (rapportée dans le *Dictionnaire de droit civil-ecclésiastique,* par André, à Paris, chez Migne, 1873, v° *Quêtes,* pp. 834 et suiv.) — le reconnaît en ces termes: « Considérant que depuis » l'an X, par une suite naturelle des anciennes traditions, » l'usage s'est maintenu de quêter dans les églises, pour les » pauvres de la paroisse; que pour démentir un état de » choses fondé sur des considérations morales des plus » élevées, et confirmé si unanimement par les mœurs publi- » ques, il faudrait un texte qui interdît aux fabriques de » recueillir les offrandes pour les pauvres... »; — Que Portalis dans son rapport à l'Empereur, en date du 16 avril 1806 (même source, pp. 834 et s.), le constate également: « J'en » atteste l'histoire de tous les temps: les Fabriques ont » toujours été en possession de recevoir les aumônes et de » les administrer »;

Attendu qu'il importe peu que, dans la tourmente révolutionnaire, ce droit ait été contesté et même rejeté jusqu'à ce point que, faire l'aumône devint un délit passible de peines sévères;

Attendu que la loi du 18 germinal an X sur l'organisation des cultes institue (art. 76) les fabriques d'église, pour veiller à la conservation et à l'entretien des temples, et à l'administration des aumônes;

Attendu que, par ces mots, il ne peut être question que de ce qui est donné pour les pauvres et par charité ; que tel est le sens donné à ladite disposition par Portalis en son rapport susvisé du 16 avril 1806 (1) ;

Attendu que l'arrêté ministériel du 5 prairial an XI, loin de créer, au profit des Hospices et Bureau de bienfaisance, le monopole des quêtes au profit des pauvres dans les églises, les autorise seulement à y faire des quêtes et à y placer des troncs ;

Attendu que le décret du 12 décembre 1806, rédigé sur le rapport de Portalis, réitéra simplement pour les administrateurs des Bureaux de bienfaisance, l'autorisation de faire par eux-mêmes des quêtes, et de placer un tronc dans chaque église paroissiale de l'Empire, et que l'article 2 porte que les Evêques détermineront le nombre de ces quêtes, les jours et les offices où elles se feront ;

Attendu que la portée de ce décret est d'autant plus grande, qu'il remplace un autre projet soumis au Conseil d'État et qui attribuait exclusivement aux commissions charitables, l'administration des aumônes, dévolue antérieurement aux Fabriques d'église, comme il ressort du rapport précité de Portalis du 16 avril 1806 (2) ;

Attendu enfin, que le décret du 30 septembre 1809, en son article 75 (3), stipule que tout ce qui concerne les quêtes dans les églises sera réglé par l'Évêque sur le rapport des marguilliers, sans préjudice des quêtes pour les pauvres, lesquelles

---

(1) Ce rapport de Portalis est une réponse péremptoire à ceux qui soutiennent que l'article 75 des organiques ne vise que les aumônes faites au profit de l'église. Tel est l'avis de M. DE CORSWAREM, *De l'administration des fabriques d'église*, p. 143, note (1). Hasselt, 1904. Cf. *Collat. Namurcen.*, M. L., *Des quêtes dans les églises*, t. VI, p. 279-291 ; MOULART, *Des Fabriques d'églises*, 9e édit., p. 121 ss.

(2) Voir l'avis de M. Leschevin, *l. c.*, p. 45 ; *Collat. Namurcen*, *l. c.*, p. 287 s.

(3) L'art. 75 doit être rapproché de l'art. 1 du décret, par lequel les fabriques sont chargées de l'entretien et de la conservation des temples, *de l'administration des aumônes*, etc. Les organiques comme le décret de 1809 ont reconnu aux fabriques la capacité de recueillir, d'administrer et de distribuer des aumônes. C'était rétablir une des attributions des anciennes fabriques et reconnaître le droit de l'Église de faire la charité.

devront toujours avoir lieu dans les églises, toutes les fois que les Bureaux de bienfaisance le jugeront convenable;

Attendu que ces textes consacrent nettement le droit pour les Fabriques de recueillir et d'administrer des aumônes, droit parallèle à celui des Bureaux de bienfaisance de faire aussi des quêtes pour les pauvres, dans les églises;

Attendu que l'arrêté du Roi Guillaume, du 22 septembre 1823, n'a rien innové dans cette matière, il n'a fait que s'en référer aux dispositions légales antérieures (1);

Attendu que si la jurisprudence a varié sur l'interprétation des dispositions législatives sur la matière, il est certain, cependant, que les arrêts les plus motivés se sont prononcés en faveur de la thèse soutenue par le défendeur;

Attendu, en effet, que l'arrêt de la Cour de cassation de Belgique, du 24 juillet 1862 (2), tout en décidant que les Bureaux de bienfaisance, étant les seuls représentants des pauvres d'une commune, ont exclusivement le droit, en cette qualité, de faire pour la généralité de ces derniers des quêtes dans les églises, n'a pas mis fin à la controverse, parce qu'il reconnaît que la règle générale, qu'il pose, peut recevoir des exceptions en faveur d'œuvres spéciales, d'institutions particulières de piété ou de charité et même au profit de certaines catégories de pauvres;

Attendu que déjà l'arrêt de la Cour de Liége, de 6 décembre 1862 (*Pas.* 1863, p. 37) proclame une thèse contraire à l'arrêt de la Cour de cassation, à savoir que les Évêques n'ont à respecter, dans leurs règlements, qu'une seule chose, le droit du Bureau de bienfaisance de faire quêter dans les églises, mais que, cette faculté légale respectée, l'Évêque a le droit de réglementer tout le reste, que les quêtes ont, en effet, une liaison intime avec l'exercice du culte;

Attendu que la jurisprudence française sur la même question, fondée sur les mêmes dispositions législatives que celles qui régissent la Belgique, est tout entière contraire à la thèse du demandeur;

---

(1) Article 1er de cet arrêté contenant des dispositions à l'égard des collectes dans les églises ou à domicile. Cf. Bon, *Législation des paroisses en Belgique*, 1e édit., p. 194 s.

(2) *Pas.* I, 394 ss.

Attendu qu'un avis du Conseil d'État du 24 mars 1880 (*Dalloz périodique,* 1881, p. 11), en réponse à la question posée par le ministre de l'Intérieur et des Cultes : « quelle est l'étendue des droits et prérogatives conférés aux Bureaux de bienfaisance par les lois et règlements en vigueur, en ce qui concerne les quêtes et souscriptions ? » déclare que les Bureaux de bienfaisance n'ont pas qualité pour revendiquer le montant des sommes que des particuliers auraient recueillies par voie de quêtes, collectes ou souscriptions dans l'intérêt des pauvres d'une commune ;

Attendu qu'un arrêt de la Cour de Caen du 12 janvier 1881 (*Dalloz,* 1882, p. 57) décide que les curés et les Bureaux de bienfaisance ont le droit de faire des quêtes dans les églises et que le produit de ces quêtes appartient, soit au Bureau de bienfaisance, si c'est lui qui les a organisées, soit au curé pour en distribuer le montant aux indigents, s'il les a faites ou permises, et qu'un arrêt de la Cour de cassation de France, du 2 août 1898 (*Dalloz*, 1898, p. 199), déclare de même : que si le Bureau de bienfaisance a qualité pour recevoir les dons qui lui sont offerts, et s'il a la faculté de faire quêter dans les édifices publics et dans les églises, aucune disposition législative ne lui confère le droit de revendiquer les sommes recueillies par les tiers dans l'intérêt des pauvres ;

Attendu qu'il résulte, tant des dispositions légales ci-dessus rappelées que de leur interprétation par des décisions judiciaires fortement motivées, qu'en matière de quêtes et collectes faites dans les églises, aucun monopole charitable n'a été constitué au profit des Bureaux de bienfaisance ; qu'au contraire, il existe deux droits, celui des fabriques et celui des Bureaux de bienfaisance, droits coexistants et se limitant l'un l'autre, tout en tendant au même but, le soulagement des pauvres ;

Attendu que cette thèse sauvegarde la liberté de la charité et de l'aumône, acte essentiellement libre, dont la loi et ses interprètes doivent favoriser l'essor, but qui sera plus sûrement atteint en laissant à celui qui veut faire l'aumône, la faculté de choisir le dispensateur de ses largesses, plutôt que de lui imposer un administrateur officiel de sa libéralité, ce qui aurait plus souvent pour effet de tarir la source même de l'aumône ;

Attendu — surabondamment — que, même en adoptant l'interprétation donnée aux lois sur la matière par la Cour de cassation de Belgique, le Bureau de bienfaisance demandeur ne serait pas fondé à revendiquer le produit des collectes dont s'agit, parce qu'elles n'ont pas été faites pour la généralité des pauvres d'Estaimpuis, mais bien au profit d'une société de bienfaisance dont le but et les moyens d'action, même étrangers à la charité, sont nettement déterminés, pour une catégorie de pauvres secourus par cette Société privée, après admission selon des formes prévues par un règlement, et moyennant l'existence de certaines conditions formellement stipulées (*Pandectes belges*, v° Collectes, n° 84 et *Législation civile des cultes*, par de Corswarem, n° 134. Hasselt, 1904).

Par ces motifs,

Le Tribunal, entendu M. Leschevin, Procureur du Roi, en son avis conforme donné à l'audience publique du 26 février dernier, déboutant les parties de toutes conclusions non expressément rencontrées, déclare le défendeur non fondé en ses fins de non-recevoir, — et statuant au fond, dit le demandeur non fondé en son action, l'en déboute et le condamne aux frais et dépens de l'instance.

(Du 19 mars 1907. — *Prés.* M. Soil-de-Moriamé, président. — *Concl. conf.* M. Leschevin, proc. du Roi. — *Plaid.* MM. Asou et Wibaut).

Observations.

1° C'est la première fois qu'une décision judiciaire belge proclame d'une façon aussi catégorique le droit des fabriques de quêter pour les pauvres dans les églises, concurremment avec le bureau de bienfaisance. A l'encontre de cette thèse, les adversaires invoquent le principe de la spécialité des services, en vertu duquel les bureaux de bienfaisance, étant les seuls représentants légaux des indigents de la commune, ont le monopole de la bienfaisance publique. Il a été fait bonne justice de ce sophisme qui suppose ce qui est à

démontrer (1), qui ne tient aucun cas des dispositions législatives sur la matière et qui méconnaît le caractère des institutions de bienfaisance et celui des fabriques. Aucun texte n'a attribué aux bureaux de bienfaisance le monopole des aumônes et n'a établi en leur faveur un droit exclusif de quêter pour les pauvres dans les églises. La loi, d'autre part, a reconnu explicitement aux fabriques le caractère d'établissement charitable et religieux, en lui attribuant la double mission d'administrer les biens affectés à l'exercice du culte et celle de gérer les libéralités qui lui sont faites pour les pauvres. Il y a là en présence deux services parfaitement distincts : l'un de la société civile, l'autre de la société religieuse ; l'un, œuvre de la bienfaisance publique au profit de la généralité des indigents, l'autre, une œuvre de charité chrétienne au profit des pauvres de la paroisse. C'est pourquoi, il ne peut être question de quêtes rivales organisées pour le même objet.

Au moment, où la réforme de la bienfaisance publique est à l'ordre du jour, il est opportun d'attirer l'attention des jurisconsultes sur la nécessité de fixer d'une façon plus équitable et plus conforme à notre droit public les relations des bureaux de bienfaisance et des fabriques d'églises. Pourquoi ne pas reconnaître formellement à la société religieuse la capacité de recevoir des fondations avec destination charitable, de faire des collectes pour les pauvres, en un mot, *le droit* de faire la charité, qu'elle exerce si généreusement *en fait*. Et, si l'on maintient la faculté des bureaux de bienfaisance de quêter dans nos églises — faculté qui se concilie difficilement avec nos principes constitutionnels — il faut que cette faculté soit dûment réglée et limitée par la législation future, en tenant compte du droit de l'Évêque en matière de quêtes et du droit de police du curé. Ainsi, il est inadmissible que des membres du

(1) Mgr Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 121 ss.; 422 ss.

bureau de bienfaisance, qui affichent hautement leur hostilité à la religion, fassent appel à la charité des fidèles réunis dans nos temples, pour soutenir une œuvre dont ils se serviront comme d'un moyen de propagande antireligieuse.

2° Subsidiairement le tribunal a jugé, d'accord avec la Cour de Cassation (1), que les bureaux de bienfaisance n'ont pas qualité pour revendiquer le produit des quêtes faites dans les églises paroissiales et leurs annexes, au profit d'une œuvre spéciale ou d'une institution particulière de piété ou de charité, ou même au profit d'une certaine catégorie de pauvres (2).

Conséquemment nous croyons que l'Évêque ou le curé sont en droit d'ordonner des collectes à l'église pour les pauvres de la paroisse. Ce point cependant n'a jamais fait l'objet d'une décision judiciaire.

2.

Les considérations qui précèdent feront comprendre ce qu'il y a de contraire aux droits de l'église, aux droits des donateurs et testateurs, aux lois qui régissent la matière, dans un arrêté royal daté du 8 décembre 1905 (3). Il y est question d'un legs fait à l'église de St-Nicolas à Liége, à charge de faire célébrer des services religieux et de distribuer annuellement par M. le doyen *aux pauvres de son choix,* mais *habitant la paroisse* une somme de cent francs etc.

La fabrique est autorisée à accepter à condition que cette somme annuelle et à perpétuité soit remise au bureau de bienfaisance ; « considérant que les bureaux » de bienfaisance sont exclusivement chargés de faire » la répartition des secours à domicile aux indigents » assistés par la bienfaisance publique ; qu'il est con-

(1) Arrêt cité du 24 juillet 1862.

(2) *Collat. Namurcen., l. c.*, p. 280; *Rev. cath. de droit, l. c.*, p. 58; DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 143.

(3) *Moniteur*, p. 6553 s.

» traire aux lois du 7 frimaire an V et du 3 juin 1839
» d'admettre l'intervention de tiers dans les distribu-
» tions de biens à faire aux indigents par ces établis-
» sements, et qu'en conséquence la clause doit être
» réputée non écrite par application de l'article 900 du
» Code civil ».

Le clergé paroissial fait la charité aux pauvres de la paroisse, il a le droit de collecter à leur profit dans l'église et à domicile ; mais les fabriques d'église sont incapables de gérer une fondation avec charges charitables au profit de ces mêmes indigents, sous prétexte que le bureau de bienfaisance est exclusivement chargé de faire la répartition des secours à domicile à la généralité des pauvres. Étrange contradiction et confusion inexplicable.

3.

Enfin, voici une décision encore plus sujette à critique. Il est fait donation d'immeubles à une fabrique d'église, à charge de faire célébrer 52 messes avec *de profundis* etc..., et d'habiller un enfant pauvre pour sa première communion.

Un arrêté royal du 28 septembre 1905 (1) autorise la fabrique à accepter la libéralité à condition de payer annuellement et à perpétuité au bureau de bienfaisance une somme de 40 francs pour habiller un enfant à la première communion.

On se demande avec étonnement comment il rentre dans les attributions exclusives du bureau de bienfaisance d'habiller les enfants pauvres, le jour de leur première communion.

---

(1) *Moniteur*, p. 5204 s.

II

Décisions diverses en matière de dons et legs.

I. **Bureau de bienfaisance. — Distribution de pains à faire aux pauvres ayant assisté à des obits. — Validité.** — Le testateur avait disposé comme suit : « Je veux que le dit bureau de bienfaisance fasse distribuer à l'issue de ces obits, une somme de 25 francs aux pauvres qui y auront assisté. » Le bureau de bienfaisance avait manifesté l'intention de faire participer tous les pauvres de la commune indistinctement à cette libéralité. Le bureau de bienfaisance a été autorisé par arrêté royal du 28 septembre 1905 (1) a accepter le dit legs *aux conditions imposées;* « considérant que si » l'article 15 de la constitution interdit de contraindre » personne à concourir aux actes et cérémonies d'un » culte, il ne s'oppose, ni par son texte, ni par son » esprit, à ce qu'un testateur fasse dépendre la parti- » cipation à ses libéralités de l'assistance à certains » services religieux ; que, les indigents n'ayant aucun » droit à ces libéralités, ne peuvent se plaindre que des » conditions y soient jointes, qu'ils restent libres d'as- » sister ou de ne pas assister aux services religieux » fondés ; que, seulement dans ce cas, ils perdent le » droit de prendre part aux distributions charitables ; » qu'ainsi la liberté de chacun, du testateur et des » gratifiés est sauvegardée » (2).

C'est un conseil à donner aux personnes qui mani-

(1) *Moniteur*, p. 5206 s.

(2) La *Rev. cath. de droit*, 1905-1906, t. VIII, p. 210, cite un arrêté royal du 19 juin 1879 qui a rejeté comme contraire à la loi une disposition semblale. Le motif allégué est que les articles 6 et 15 de la Constitution ne permettent pas de consacrer un privilège en faveur des personnes qui professent une religion déterminée ; dès lors, la participation aux exercices d'un culte quelconque ne peut être invoquée comme un titre pour l'obtention des secours publics, ni constituer une cause d'exclusion. Les considérants invoqués par l'arrêté du 28 sepembre 1905 sont la réfutation de ces allégations.

festent leur intention de faire des libéralités aux indigents le jour de leurs funérailles, d'ajouter a ces dispositions testamentaires une clause analogue à celle dont il question plus haut.

II. **Donation à un hôpital. — Charge de faire chaque semaine le chemin de la croix. — Expression d'un simple vœu.** — Une personne avait fait donation à l'hôpital de Meerhout de certains immeubles, à charge par le dit hôpital de faire chaque semaine le chemin de la croix avec tout le personnel ou tous les habitants, pour le salut des âmes des personnes désignées dans l'acte. Un arrêté royal en date du 5 octobre 1905 (1) a déclaré que cette clause devait être considéré comme l'expression d'un simple vœu ; « considérant, dit un » arrêté du 11 décembre 1901 (2) qu'une telle clause est » contraire à l'article 15 de la Constitution, qui défend » de contraindre n'importe qui à concourir aux actes » et aux cérémonies d'un culte quelconque ; qu'au » surplus, étant dépourvue de sanction, elle ne peut » être considérée que comme l'expression d'un simple » désir. »

Il est cependant en tout conforme à l'équité et au droit ecclésiastique que la communauté qui dirige l'établissement assume l'obligation de remplir pieusement la volonté du disposant et qu'elle invite les pensionnaires, bénéficiaires des libéralités, à se joindre à elle, dans l'exercice du chemin de la croix.

Nous croyons avec la *Revue catholique de droit* (3) que les considérations invoquées dans l'arrêté, ne pourraient s'appliquer au cas où la clause obligerait les pensionnaires d'un hospice, à assister, au moins par délégation, à certains services anniversaires. Pareille

---

(1) *Moniteur*, p. 5310 s.

(2) *Collat. Brug*, t. VII, p. 536 ss.; *Rev. cath. de droit*, 1905-1906, t. VIII, p. 211 s.

(3) *Rev. cath. de droit, l. c.*, p. 211-212.

obligation constitue plutôt un devoir de convenance qu'un acte de participation au culte et affecte la communauté des bénéficiaires et non chaque membre en particulier.

III. **Fabrique d'église. — Revenus d'un immeuble attribués aux vicaires comme supplément de traitement. — Expression d'un simple vœu.** — Un généreux bienfaiteur avait fait donation d'une maison à la fabrique de l'église de Saint-Nicolas a Liége. Il avait stipulé, que lorsque la pleine propriété sera acquise à la fabrique avantagée, celle-ci devra payer la moitié du revenu de l'immeuble, déduction faite de la somme requise pour rémunérer la célébration d'un anniversaire de première classe..., au quatrième vicaire de la dite église de Saint-Nicolas, dès que cette place sera créée; qu'en attendant la création de cette place, cette somme sera partagée entre les trois vicaires en fonction à titre de supplément de traitement. D'après un arrêté royal du 3 janvier 1907, cette clause doit être considérée comme l'expression d'un simple vœu (1).

Cette décision administrative nous semble illégale. Aucun texte de loi, aucun motif plausible ne peut être allégué pour la justifier; à moins de prétendre que la compétence des fabriques est restreinte aux seuls services obligatoires que la loi leur impose (2).

Défendre d'affecter des immeubles à la dotation des fondations en faveur de l'entretien des ministres du culte est contraire à l'article 15 du Concordat, à l'article 73 de la loi du 18 germinal an X. M. Bara lui-même dans une circulaire du 20 septembre 1880 faisait la distinction entre fondations de services religieux et fondations en faveur des ministres du culte.

« Les fondations de cette dernière espèce, dit-il, ne

---

(1) *Moniteur*, p. 157 s.

(2) *Collat. Brug.*, t. II, p. 542; Trib. de Namur, 21 Mars 1898 dans la *Pasicr.* III, 195 et *Collat. Brug.*, t. III, p. 475 ss.

sont soumises quant à leur montant à aucune restriction »; et conséquemment si elles sont faites sous forme de services religieux, le fondateur peut assigner à l'officiant un honoraire supérieur au tarif (1). Un jugement du tribunal de Namur du 21 mars 1898 a reconnu la légalité d'une fondation faite à la fabrique à condition de payer tout ou partie des revenus au curé, à titre de supplément de traitement (2).

IV. **Donation. — Fabrique d'église. — Acceptation provisoire. — Décès du donateur précédant l'approbation du gouvernement. — Validité de la donation** (3). Un jugement récent du tribunal civil de Bruges, du 1er mai 1907 a confirmé la thèse soutenue par la généralité des auteurs et la mieux appuyée par la jurisprudence (4). En voici les conclusions :

La loi du 30 juin 1865 (5) est applicable aux fabriques d'églises. C'est précisément en vue d'empêcher la caducité de la donation entre vifs, dans le cas où le donateur venait à décéder avant que l'autorité compétente n'ait statué sur la demande en ratification, que le législateur a prescrit, dans l'article 2 de la loi prémentionnée, que la libéralité faite par actes entre vifs sera toujours acceptée, sous la réserve de l'approbation de l'autorité compétente, et que cette acceptation liera, sous la même réserve, le donateur, dès qu'elle lui aura

---

(1) DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 444, nº 464; jugement cité de Namur.

(2) *Collat. Brug.*, t. III, p. 475 ss.

(3) Trib. de Bruges 8 août 1881; jugement du trib. de Turnhout 22 juin 1899 confirmé par Cour d'appel de Bruxelles 11 fév. 1901, ap. *Collat. Brug.* 1901, t. VI, p. 485 ss.; trib. de Tongres, 3 mars 1903, ap. *Collat. Brug.* 1906, t. XI, p. 531 ss. En sens contraire trib. de Namur, 13 janv. 1879, ap. *Pas.* 1879, III, 328. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.* ed. 7, t. II, nº 1106, 2º, p. 410; DE CORSWAREM, *o.-c.*, p. 418 ss.

(4) *Rev. cath. de droit*, 1907-1908, t. X, p. 108 ss.

(5) Qui a modifié l'art. 76, 3º de la loi communale, conformément à l'art. 47 de la loi du 19 décembre 1864 sur les fondations des bourses d'études.

été notifiée. Ce but ne serait évidemment pas atteint si l'acceptation définitive, faite à la suite de l'approbation de l'autorité compétente, ainsi que la notification de cette acceptation devaient intervenir du vivant du donateur.

La notification de l'approbation définitive ou plutôt de l'approbation de l'autorité compétente, prévue par la loi, n'a en vue que de porter à la connaissance du donateur la décision de l'autorité supérieure et de permettre d'en faire la transcription au bureau des hypothèques, à la suite de l'acte contenant donation, ainsi que de l'acceptation provisoire et de la notification de celle-ci ; elle ne constitue nullement un élément essentiel de la donation et peut se faire aussi utilement aux héritiers du donateur qu'au donateur lui-même (1).

Ces conclusions du tribunal sont conformes à l'avis émis par M. le Substitut du procureur du roi M. le chevalier van Elewyk (2). Cet avis constitue une étude juridique originale et parfaitement documentée, basée sur les travaux préparatoires des lois du 30 juin 1865 et du 19 décembre 1864 et sur certains actes du gouvernement signés ou rédigés par des ministres qui prirent une part active à l'élaboration de ces lois. M. van Elewyk a de même parfaitement mis en lumière le caractère juridique de l'acceptation définitive exigée par la loi.

A. De Meester.

---

(1) Mgr Moulart, *des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 511 ; de Corswarem, *o. c.*, p. 402, n° 417.

(2) *Rev. cath. de droit, l. c.*, p. 88-98.

Circa loca Tridentinæ legi subjecta et ab ea exempta.

Ut notiones suprà, p. 462 s. propositæ, de loco subjecto, non subjecto et exempto melius intelligantur, intimius sunt enucleandæ, ac latius est inquirendum, uti ibidem monuimus, *primò* circa modum quo decretum *Tametsi* in aliquem locum introducatur, et *secundò* circa rationem qua ab illa eximantur hæretici.

I/ Quomodo Lex Tridentina introducatur.

Lex Tridentina introducitur

A/ per **promulgationem**, non quidem qualemcumque sed sub determinata forma peractam. Nimirum oportet ut fiat

1°/ *in singulis paræciis*, sub quibus intellige non modò parochias strictè canonicas, sed etiam quasi-parochias, necnon et missiones, quemadmodùm explicite decrevit C. S. O., 5 Dec. 1883 (1); posset etiam intelligi parochia *secundum linguas et ritum*, ita ut lex possit promulgari in aliquo territorio prò fidelibus talis ritus et linguæ, quin censeatur promulgata pro fidelibus alterius ritus vel linguæ (2). Hanc conditionem publicationis in singulis paræciis faciendæ statuit ipsa Synodus Tridentina, præscribens ut « decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos » (3). Etiam voluit ut in singulis *ecclesiis parochialibus* (4) locum habeat promulgatio : cui condi-

(1) *N. R. th.*, t. XVI, p. 126 s ; collato N. R. th., XIII, p. 548 ss., ex quo apparet antea multos auctores contrariam sententiam tenuisse. Cf. Bassibey, *De la clandestinité dans le mariage*, Paris, 1903, n. 4.

(2) Cf. decr. S. C. de P. F. 11 Apr. 1887, apud Bassibey, o. c., n. 4.

(3) Sess. XXIV, cap, 1 *De Reformatione matrimonii*.

(4) Non debet ergo publicatio fieri in filialibus ecclesiis ejusdem parochiæ. Decr. S. C. de P. F., 7 Julii 1670 ad 4^{m}, apud *Collectanea*, n. 1389.

tioni censetur satisfactum per affixionem edicti publicationis ad valvas ecclesiæ.

Non sufficit igitur, seclusa speciali S. Sedis venia, promulgatio Tridentinæ legis pro tota diœcesi facta in ecclesia cathedrali vel in synodo diœcesana; imo tantopere urget necessitas eam legem in singulis parochiis promulgandi ut, si uni paræciæ in qua lex est promulgata adjungatur altera parochia vel alterius parochiæ pars, in qua non fuerit promulgata, hæc maneat in sua libertate (1): quodsi parochia, in qua publicatio fuit rite facta, dismembratur, nova parochia efformata non indiget iterata promulgatione (2).

Facienda est promulgatio lingua vernacula, parochianis nota (3), et, si viva voce fieri contingit, coram frequenti concursu populi. Descripta clausula, teste Pallavicini (4), est introducta ad minuenda numero invalida matrimonia heterodoxorum, quatenus nempe « illi suis in regionibus Decreti promulgationem non permisissent, adeoque non fuisset expleta conditio, sub qua Synodus imperabat ut illud cunctos obstringeret » (5).

2°/ *Jussu Ordinarii*, adeo ut non foret valida promulgatio facta a parocho propria auctoritate; oportet ut ex mandato Episcopi procedat, vel ex speciali commissione S. Sedis (6).

---

(1) Cf. Feye, *De Imped. matrim.*, n. 301; Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio*, n. 902; Wernz, *Jus Decretalium*, IV, n. 159 nota 98.

(2) Cf. AA. citatos, ll. cc.; Instr. C. S. O. 14 Dec. 1859 et Decr. C. S. O. 30 Jan. 1884, apud *Collectanea* S. C. de P. F., nn. 1403 et 1412; Decr. C. S. O. 23 Nov. 1898, ad 1m, apud *N. R. th.*, t. XXXI, p. 186 s.; *Causa Limburgensis*, 19 Jan. 1889, apud *N. R. th.*, t. XXI, p. 341 ss. Cf. tamen resp. S. C. de P. Fide 7 Julii 1670, apud Gasparri, o. c., n. 888 et 902.

(3) Cf. decisiones relatas a Wernz, o. c., n. 159, sub IV.

(4) *Historia Concilii Tridentini*, l. XXII, cap. VIII, n. 10

(5) Cf. Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, l. VI, c. 6, n. 9; Feye, *De matrimoniis mixtis*, Lovanii, 1847, p. 96 ss.; Leinz, *Der Ehevorschrift des Concils von Trient*, Paderborn, 1888, p. 23 ss.

(6) Potest nempe S. Pontifex parocho vel missionario munus committere promulgationem faciendi. Cf. Rosset, *De Sacramento matrimonii*, n. 2081, nota 2.

3°/ Proposito decreto *tanquam decreto Concilii Tridentini,* vel saltem S. Pontificis aut Concilii œcumenici: quo pacto non procederet promulgatio legis clandestinitatis quasi esset lata ab Episcopo, vel a Concilio particulari, nisi apostolica confirmatio accesserit (1).

Quod spectat promulgationis factæ *probationem*, de ea constat sive attestatione Episcopi, aut parochi, aut etiam alterius personæ fide dignæ, sive genuinis documentis factum contestantibus (2); præsumitur autem peracta ex observatione diuturna præscriptionum *Ritualis Romani* de sacramento matrimonii, ac formæ Tridentinæ tanquam formæ ex conciliari decreto ad valorem injunctæ (3).

Nota promulgationem decreti Tridentini, de venia S. Sedis, posse fieri *restrictive et partialiter*, v. gr. quoad necessariam præsentiam *testium* et non quoad requisitam assistentiam parochi. BASSIBEY, o. c., n. 13.

B/ Per **legitimam consuetudinem.**

Quod ex ipsa descripta consuetudine non tantum *præsumatur* promulgationis factum, sed etiam formalis publicationis defectui suppleatur, ita ut ex ea vim accipere queat in aliqua parochia lex clandestinitatis, non secus ac si formaliter fuisset promulgata, id eruendum videtur, tum a contrario ex vi deobligatoria desuetudinis, de qua infrà, tum ex pluribus decisionibus S. Sedis (4).

Supponitur autem consuetudinem esse legitimam,

---

(1) Ita *Bened XIV,* o. c., l. XII, c. 5, n. 7-13; Decr. S. C. de P. F., anni 1858, apud *Collectanea* S. C. de P. F., n. 1429, sub fine.

(2) Exempla vide apud *N. R. th.*, t. XXI, p. 347, in *Voto* pro *Causa Limburg.* anni 1889; *Lintzer Quartalschrift,* 1904, p. 855; *Der Katholik,* 1903, t. XXVII, p. 168 ss., et t. XXVIII, p. 141 ss.

(3) Cf. resp. S. C. C. 2 Dec. 1634, apud WERNZ, o. c., n. 160, in textu; resolutiones S. C. C., citatas l. c., in nota 105; citatum *Votum* in *Causa Limburg*, l. c., p. 351 s.; BENED. XIV, o. c., l. XII, c. 5, n. 6.

(4) Citantur apud WERNZ, o. c., n. 160, nota 110, necnon in *Voto* in *Causa Limburg.*, l. c., p. 351 ss. Quibus accedit Constitutio Pii X, 18 Jan. 1906, apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 286.

consuetis conditionibus stipatam, et signanter eam esse inductam in executionem decreti Tridentini, vel decreti æquivalentis, præscriptam conditionem ad valorem matrimonii urgentis (1). Hanc consuetudinis vim propugnant Auctores non pauci (2).

Consuetudine igitur vel præsumitur legis Tridentinæ publicatio vel ipsa lex introducitur, et ideo indifferenter provocatur ad usum tanquam ad criterium peractæ promulgationis, vel tanquam ad modum supplendi promulgationis defectui.

Quod autem attinet *tempus* ad intentam consuetudinem requisitum, in illo determinando non conveniunt Auctores, nec inter se concordes videntur decisiones Romanæ, aliis, antiquioribus scilicet, exigentibus aliquod vel diuturnum tantùm temporis spatium, aliis potius postulantibus tempus « quod excedit memoriam hominum » (3).

Profectò si alicubi datur consuetudo *immemorialis*, indubitanter viget decretum clandestinitatis, quatenus

---

(1) Ita ad hoc non sufficit formam Tridentinam observari quemadmodum in Anglia et Scotia: « Sane ibidem, uti observat *Votum* in memorata *Causa Limburg.*, l. c , p. 353, boni catholici celebrant sua matrimonia coram parocho et duobus saltem testibus; at probe sciunt fideles illam formam celebrationis matrimonii ad valorem actus in Anglia et Scotia non requiri; ergo deest opinio necessitatis, quæ ad consuetudinem introducendam omnino est necessaria ».

(2) Carrière, *De matrimonio*, II, n. 1181; Bassibey, o. c., n. 15; Leitner, *Lehrbuch des Kath. Eherechts*, Paderborn, 1902, p. 300; De Becker, *De Sponsalibus et matrim.*, ed. 1903, p. 113 s.; Gasparri, o. c., n. 899; *N. R. th*, t. XXIII, p. 150 ss , cum subnexis decretis; Wernz, o. c., n. 160, nota 109, ac in *Voto Causæ Limburg.*, l. c., p. 351 ss.

Contrà Scherer. *Handbuch der Kirchenrechts*, II, p. 207 s.; Aichner, *Comp. Juris eccles.*, Brixinæ 1905, p. 686, nota 1; Heiner, *Grundriss des Kath Eherechts*, 1905, p. 159.

(3) Cf. Wernz, o. c , n. 160, nota 107. Ita, in decr. C. S. O , 10 Jan. 1866: « Decretum Conc. Trid. diu dicitur observatum tanquam ejusdem Concilii decretum quando, a tempore *quod excedit hominum memoriam*, in parochia vim legis obtinuisse compertum est, ita ut matrimonia contracta præter formam a Tridentino præscriptam irrita semper habita fuerint ».

vel certò præsumitur ex ea promulgationis factum, vel quatenus æquivalet formali promulgationi (1); potest autem existentia legis etiam ex recentiori usu deduci, quemadmodum decisum est in *Causa* Mulhausen anni 1887 (2), ast, uti videtur, non absque recursu ad S. Sedem (3).

C/ **Per formale decretum S. Sedis.**

Hujusmodi decretum nuperrime est editum, in Constitutione scilicet Pii X, 18 Jan. 1906, in gratiam Imperii Germanici, decernens caput *Tametsi,* in universo hodierno Imperio Germanico, omnes catholicos adstringere, inde a Paschatis festo anni 1906, « quamvis in pluribus locis, sive *per expressam publicationem*, sive *per legitimam observantiam* nondum fuerit promulgatum et inductum » (4).

Additum est suprà : « *quin per inobservantiam catholicorum in desuetudinem abierit* ». Nimirum

Principium juxta quod lex Tridentina, in aliqua regione, *desuetudine* abrogari possit, exhibet Pius VIII, in Brevi 8 Oct. 1903 ad Archiep. Moguntinum (5), illudque confirmat C. S. O., in decreto 11 Martii 1868

---

(1) Hoc sensu potest dici non admitti, stante consuetudine immemoriali, probationem in contrarium, potius quam sensu a Wernz, l. c., nota 106, intento, quasi, in casu, præsumptio in favorem promulgationis factæ sit præsumptio juris et de jure.

(2) *N. R. th.*, t. XXIII, p. 150 ss.

(3) De Becker, o. c., p. 131 s., provocans ad *Votum* Consultoris, in *Causa Limburg.* (*N. R. th.*, XXI, p. 352 s.), censet sufficere usum *decennalem.*

(4) Tenor constitutionis refertur apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 285 ss. Quædam autem loca in quibus, ante memoratam Constitutionem, certissimè non vigebat, nequidem pro catholicis, decretum *Tametsi*, enumerantur apud Leitner, *Die Tridentinische Eheschliessungsform nach der Konstitution Pius X,* Regensburg, 1906, p. 24.

(5) « Probe enim novit Fraternitas tua hujus generis matrimonia (inter hæreticos clandestinè inita) rata et firma consistere iis in locis in quibus Concilii Tridentini decretum vel nunquam publicatum fuit, vel nunquam observatum, tanquam ejusdem Concilii decretum, vel, si quandoque observatum fuit, *longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit* ».

pro Japonensibus (1); ægre autem determinatur quantum temporis intervallum ad id requiratur (2), et in casu particulari foret recurrendum Romam (3).

Sedulò autem nota solam esse attendendam inobservantiam *catholicorum,* ac, ad tramites decreti C. S. O., 6 Julii 1892, « nullum temporis spatium sufficere ut lex Tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam *hæreticorum* » (4).

II/ Qua ratione a lege Tridentina eximantur hæretici.

A/ Tanquam principium inconcussum supponimus hæreticos et quoscumque acatholicos baptizatos, quales infrà determinantur, *generatim* et *regulariter* obnoxios esse legibus Ecclesiæ, non excepta lege clandestinitatis.

Eorum subjectionem legibus Ecclesiæ vindicatam videsis apud *Collat. Brug.,* t. V, p. 227 s.; quod autem spectat specialem legem clandestinitatis, abundant testimonia et declarationes, quæ ex ordine refert Feye, *De matrimoniis mixtis*, p. 100-112, quibus adde decretum anni 1663, ad 3m: « hæreticos quoque, ubi decretum dicti capitis primi est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii... contracta, nulla atque irrita esse » (5). Ipsum etiam Concilium Tridentinum hæreticos habuisse uti clandestinitatis legi de se obnoxios luculenter apparet ex facto suprà memorato juxta

---

(1) *Collectanea* S. C. de P. F., n. 1408.

(2) Qui postulant observantiam immemorialem ad legem inducendam, a fortiori requirunt immemorialem inobservantiam ad derogandum legi.

(3) Cf. Feye, *De Impedim. matrim.*, n. 302.

(4) *Collectanea* S. C. de P. F , n. 2193. Hanc tamen clausulam in alium sensum interpretatur Bassibey, o. c., n. 17, quasi unicè dicatur « que le temps par lui-même et la seule inobservation sont insuffisants pour créer l'exemption, qu'il faut toutes les autres conditions de la coutume contra legem ». Sed hoc valet etiam pro catholicis. Quid igitur restringitur principium ad acatholicos?

(5) Ibidem, n. 1388, cf. etiam Bassibey, o. c., n. 44.

Pallavicini, quatenus nempe clausula de necessitate promulgationis in singulis paræciis ea præcise intentione fuerit introducta, ut, ex defectu hujus necessariæ conditionis apud hæreticos, minueretur apud illos numerus matrimoniorum irritorum: quod evidenter supponit generalem hæreticorum subjectionem, coram Patribus Concilii, fuisse extra dubium positam (1).

B/ Ex alia parte falsum est principium hæreticorum subjectionem absolutè urgens (2), ac dantur loca in quibus a lege Tridentina observanda, licet pro catholicis vigente, *exempti sunt hæretici*, sive *primò* quia ad eos, attentis peculiaribus adjunctis, non fuit extensum decretum clandestinitatis, sive *secundò* quia cum eis in dicta lege fuit dispensatum.

Prioris speciei exemptionis notissimum documentum existit celebris Constitutio Benedicti XIV, *Matrimonia*, diei 4 Nov. 1741, edita in gratiam regionum Fœderatorum Ordinum dominio subjectarum. Quæ Constitutio saltem principaliter (3) constituit *declarationem*, uti ex

---

(1) Non desunt Canonistæ, quibus favet *Pastor Bonus*, 1905, p. 351 ss., qui vellent hæreticos a lege clandestinitatis observanda excusari, saltem quoad matrimonia inter se ineunda, ex eo quod communi laborant impotentia illam legem observandi, siquidem non valent coram parocho catholico accedere, qui et ipse eorum nuptiis prohibetur assistere. Atvero, præterquam quod invocata impotentia eos non excusaret a præsentia duorum testium, in hunc sensum non videtur inclinare mens S Sedis. Cf. LEINZ, o. c., p. 18-15; LEITNER, *Lehrbuch der kath. Eherechts*, p. 311 s.; WERNZ, o c., n. 166, nota 145; AICHNER, o. c , p. 691.

(2) Hanc doctrinam rejicit Pius VII in Breve 8 Oct. 1803 ad Archiep. Moguntinum.

(3) Nimirum si rejicienda est opinio canonistarum qui exhibent Constitutionem *Matrimonia* ceu *dispensationem* juri derogatoriam, uti ex citandis textibus liquebit, non videtur consentiendum illis qui, cum FEYE, *De Imped. matrim* , n. 308, GASPARRI, o. c., n. 976, ROSSET, o c , n. 2103, eam habent uti meram ac simplicem ex integro *declarationem*; sed potius dicendum est cum Consultore Causæ actæ die 27 Jan. 1872, quem sequitur WERNZ, o. c., n. 167, nota 151, Decretalem Bened. XIV principaliter quidem et magna ex parte constituere declarationem, sed eam decretum continere juri derogans, « ita ut illa fuerit non solum declaratio... sed etiam constitutio *(statuit)*... si forte non in quavis paræcia earum regionum ratio declarationis militaret ». A. S. S., t. VII, p. 64 s.

ipsius tenore, ex tenore Constitutionis *Singulari Nobis*, diei 9 Febr. 1747 (1), necnon ex Litteris Pii VII 27 Junii 1805 (2) indubitanter liquet (3).

Specimen *alterius specici* exemptionis, *per viam dispensationis*, exhibetur in Brevi Pii VIII, diei 25 Martii 1830, dato in gratiam diœcesum Coloniensis, Trevirensis, Paderbornensis et Monasteriensis (4).

Porro quod spectat *prioris speciei exemptionem*, si ex modò invocatis documentis constat eam nonnunquam obtinere, ægerrimè determinantur rerum adjuncta a quibus pendet dicta exemptio, ita ut illis positis a lege clandestinitatis ipso facto non attingantur hæretici. En quid, salvo meliori judicio, in hac re prudenter statui posse videtur :

a/ Quotiescumque reperitur, in aliquo loco, hæreticos, *antequam promulgatum est vel usu inductum decretum Tridentinum*, constituisse *distinctam societatem*, a catholica communitate segregatam, ac propriis ministris munitam, videtur tenendum ad heretodoxos non extendi

---

(1) « Ex verissimis siquidem argumentis conjecturisque probatum est Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quæ disceptationi a Nobis anno 1741 solutæ occasionem dedere », par. 17. *Parvum Bullarium*, Mechliniæ, VII, p. 28.

(2) « Ce principe (de l'exemption des hérétiques en certains endroits) a été établi par un décret de notre prédécesseur Benoit XIV au sujet des mariages mixtes contractés en Hollande et dans la Belgique confédérée. Le décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration, comme porte son titre (c'est-à-dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité) on comprend que... ». Textus integer refertur apud Feye, *De Imped. matrim.*, n. 311.

(3) In eumdem sensum editæ sunt deinceps resolutiones Romanæ, inter quas, decretum C. S. O 6 Julii 1892 ad 1m, pro civitate Colmar; collatis decretis 2 Martii 1842 et 5 Julii 1848 ad 1m : de quibus infrà recurret sermo.

(4) Hoc Breve relatum videsis apud Leinz, o. c , p. 27 ss , et Flye, *De matrim. mixtis*, p. 107 s.: ex textibus autem ibidem citatis compertum est ibidem agi de *dispensatione* qua valida declarantur in illis regionibus matrimonia mixta, idque vel ex eo quod sola valida dicuntur matrimonia *deinceps ineunda*, quodque pro conjugiis ante 1830 clandestine contractis opportunæ tribuantur facultates Episcopis ad ea *in radice sanandа*.

legem Tridentinam, quatenus nempe promulgatio facta *solas* affecerit parochias et communitates *catholicas:* in hoc haud obscurè conveniunt recentiora saltem (1) decreta ac resolutiones Sedis Apostolicæ.

Ita præ cæteris epistola Pii VII 27 Jan. 1805 (2); epistola S. C. de P. F. ad Episcopum Nicopoleos 11 Jan. 1817 (3); decreta C. S. O. 2 Martii 1842 ad 2m (4) et 5 Julii 1848 ad 1m (5), solutio C. S. O. 22 Nov. 1852 et 24 Jan. 1853 in causa Trevirensi (6);

---

(1) Additur: « saltem recentiora », propter difficultatem quam facessit Causa Ulmensis, anni 1742, ubi, testante WERNZ, n. 167, nota 146. « S. C. C. sententiam tulit pro nullitate matrimonii mixti ibidem clandestine celebrati; at, uti ipse pergit, certissimè civitas Ulmensis jam diu fere integra defecerat a fide catholica atque Lutherani habuerunt suas ecclesias cum ministris, cum ibidem in parochia catholica paucis fidelibus constituta decretum Tridentinum promulgaretur ».

(2) « Cet empêchement (de clandestinité) vient du Concile de Trente; mais la disposition du même Concile n'a lieu que dans les pays où son fameux décret... a été publié, et, même dans ce cas, il n'a lieu qu'à l'égard des personnes pour lesquelles on l'a publié. Le décret du Concile de Trente n'y ayant pas été publié (il s'agit de Baltimore), sa disposition de la nécessité de la présence du curé ne peut y avoir lieu, et aussi par une autre raison qui est que, quand même cette publication y eût été faite, ou ne l'aurait faite que dans les paroisses catholiques, s'agissant d'un pays *originairement* acatholique, de sorte qu'on ne pourrait jamais en déduire la nullité d'un mariage mixte, c.-à-d. entre un catholique et une hérétique, *à l'égard de laquelle la publication n'est pas censée être faite* » l. c.

(3) « Quamvis in regionibus antiquæ Turcicæ dominationis feratur in ecclesiis et societatibus catholicis, nempe saltem inter catholicos et græcos ibi commorantes, citatum Tridentinum decretum esse publicatum... tamen nunquam fuit publicatum et observatum, in illis regionibus, in societatibus schismaticis aut hæreticis *ibidem ex multo tempore conflatis et constitutis.* Atque ideo matrimonia ibidem inita aut a schismaticis et hæreticis inter se aut inter unam partem catholicam et aliam hæreticam aut schismaticam coram pastore hæretico aut schismatico habenda erunt rata ac valida ». GASPARRI, o. c., n. 891.

(4) Declarantur, juxta exposita, valida matrimonia in (pseudo) paræciis protestanticis inita: exponitur autem *ante* publicatum decretum efformatas fuisse societates protestanticas. *N. R. th.*, XXIV, p. 496 s.

(5) Item declaratur hæreticos non esse obnoxios legi Tridentinæ Argentorati « ubi jam *ante* Concilium Tridentinum abrogatus est cultus catholicus », et instauratus protestantismus. Ibidem, p. 498 ss.

(6) « Matrimonium mixtum coram ministro acatholico celebratum Confluentibus in diœcesi Trevirensi an. 1821, fuerat a curia Trevirensi

Litteræ C. S. O. 18 Martii 1884 (1) et rescriptum S. C. de P. F. 6 Febr. 1889 (2).

Accedunt etiam Auctores non pauci (3). Favet tandem propositæ mentis Concilii interpretationi memorata observatio Card. Pallavicini circa rationem qua moti sunt Patres Tridentini ut inducerent clausulam de necessitate promulgationis in singulis paræciis faciendæ.

b/ Non contendimus, præter hanc primam hypothesim, non dari rerum adjuncta ob quæ exempti censentur hæretici ac legi non obnoxii; sed variæ quæ ab Auctoribus proponuntur hujusmodi opiniones, in præsenti statu jurisprudentiæ Romanæ, et attentis documentis suprà relatis, meritò habentur ad minus ceu dubiæ.

Id signanter valet de sententia illorum qui putant sufficere quod hæretici post decreti *Tametsi* publica-

---

irritum declaratum ob clandestinitatem anno 1851; sed in altera instantia curia Coloniensis pro validitate stetit Re delata ad C. S. O., imprimis scriptum fuit ad Episcopum Trevirensem die 22 Nov. 1852: Emin. Inquisitores generales, antequam in re tanti momenti quidquam discernant, in comitiis diei 24 hujus mensis habitis decreverunt litteras ad amplitudinem dandas esse. ut certò innotescat — num Confluentibus fuerit decretum Conc. Trid. rite promulgatum in singulis parochiis; — utrum *tempore ejusdem promulgationis,* in ea civitate extarent hæretici, qui *suos haberent ministros et ecclesias,* vel potius *subinde* supervenerint. Cum vero Episcopus Trevirensis respondisset affirmative ad primam quæstionem; ad aliam vero acatholicos recentioribus tantùm temporibus propriam ibi parochiam erexisse, C. S. O, die 24 Jan. 1853, resolvit: Infirmata sententia curiæ archiepiscopalis Coloniensis, confirmandam esse sententiam curiæ episcopalis Trevirensis ». GASPARRI, o. c. n. 894.

(1) « Animadvertendum vero hanc doctrinam (de exemptione hæreticorum ejusque communicatione) minime valere nisi pro iis locis, in quibus hæretici *jam tempore publicationis decreti Tridentini*, in separatam et per se consistentem communitatem seu quasi-parochiam coaluerant, et ideo decreto in paræciis catholicis publicato non comprehendebantur ». *N. R. th.*, XXVI, p, 574.

(2) Hoc rescriptum adhibet tenorem supra relatum epistolæ ad Ep. Nicopoleos.

(3) Ita PLANCHARD. *N. R. th.*, XXIV, p. 502 s.; WERNZ, *Jus Decr.*, IV, n. 167, ac in *Voto* Causæ Limburg., apud *N. R. th.*, XXI, p. 343 s.; DE BECKER, o. c., p. 120 s.; LEITNER, o. c., p. 306; *Lintzer Quartalschrift,* 1904, p. 854 s.; BASSIBEY, o. c., n. 46.

tionem in societatem a catholica communitate distinctam convenerunt, ac etiam de sententia opinantium cum BASSIBEY, o. c., n. 47 et cum GASPARRI, o. c., n. 895, satis esse quod « in territorio, in quo prius non erant nisi catholici, et in cujus parochiis *decretum publicatum fuerit, deinceps* catholici in hæresim aut schisma declinaverunt, vel, expulsis catholicis, hæretici aut schismatici illorum locum occupaverunt, ita ut modò societates religiosæ hæreticorum aut schismaticorum cum templo et ministris habeantur potius quam catholicorum ».

Quodsi ibidem contendat *Gasparri* ejusmodi præcise fuisse conditionem Fœderatorum Ordinum, pro quibus suam Declarationem dedit Benedictus XIV; respondemus nullatenus constare de juridica ratione ob quam laudatus Pontifex hæreticos Hollandiæ declaraverit exemptos; nec desunt Auctores qui eam reducunt ad illam rerum conditionem de qua sub a/ (1).

Cæterùm practice, quidquid sit de quæstione theoretica, non licet, quantumvis alterutra hypothesis sub b/ descripta verificetur, non licet, inquam, hæreticos, in locis in quibus unquam inducta fuit lex Tridentina nec desuetudine est abrogata, ab hac lege immunes habere *absque recursu ad S. Sedem*, quæ *declaret* exemptionem obtinere. Quæ declaratio hucusque, *etiam in casu de quo sub a/*, est impetranda (2), licet ad cautelam dum-

(1) Ita WERNZ, o. c., n. 167, nota 151: quatenus minirum S. Sedes non attenderit promulgationem decreti *Tametsi*, forsitan factam sub Philippo II, sed solùm novam promulgationem saltem æquivalenter per usum factam post religiosam perturbationem; quodque *ante* hanc novam promulgationem hæretici jam efformaverint distinctas communitates.

In eumdem sensum explicat PLANCHARD, *N. R. th.*, XXIV, p. 502 s. decr. C. S. O. 6 Julii 1892, pro civitate Colmar.

(2) Circa hunc recursum, cf. textus allatos apud FEYE, *De matrim. mixtis*, p. 122 s., coll. p. 108; LEINZ, o. c., p. 50 ss.; BASSIBEY, o. c., n. 48. Hic autem recursus maximè urget si de hoc unicè constat hæreticos, *post* promulgatum decretum, constituisse societatem distinctam. Cf. hic decr. C. S. O. 5 Julii 1848, ad 2m, collato eodem decreto, ad 1m, *N. R. th.*, XXIV, p. 498 s. Cf. etiam supra citatam causam Trevirensem.

taxat, ad hoc ut *authentice* constet de exemptione: ita securius vitantur errores et deceptiones quæ facile irreperent in dijudicandis variis facti circumstantiis.

Nota. 1°/ Idem actus Pontificius, hæreticorum matrimonia valida decernens, potest habere rationem declarationis simul et dispensationis, quemadmodùm id notavimus pro Decretali Benedictina anni 1741, sicuti etiam obtinet in nuperrima Constitutione Pii X *Provida,* juxta dicta apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 290 (1).

2°/ Quando hæretici *declarantur* a lege Tridentina exempti, quatenus ad eos non extendatur nec eos afficiat, exempti sunt *absolute et simpliciter*, ita ut, ad tramites notionis datæ suprà, p. 462, immunitas attingat tum matrimonia acatholicorum inter se tum etiam matrimonia mixta: exemptio namque unius partis hæreticæ, propter individuitatem contractus, communicatur alteri parti catholicæ (2).

Contrà quando heterodoxi subtrahuntur legi *per viam dispensationis*, *potest,* uti jam notavimus, p. 462 s., esse exemptio *restricta et secundum quid*, adeo nempe ut vel sola valeant matrimonia hæreticorum inter se, quin per communicationem privilegii matrimonia mixta convalescant, vel etiam sola matrimonia mixta (3).

---

(1) Decernitur integrum Imperium Germanicum deinceps esse exemptum pro hæreticis, idque simpliciter: jamvero exemptio illa reipsa existebat pro quibusdam regionibus, pro quibus proinde Constitutio *Provida* est *declaratio;* alibi vero certissimè subjecti erant hæretici, et pro hisce locis Constitutio importat *dispensationem.*

(2) Principium communicationis exemptionis ab una parte ad alteram statuitur a Benedicto XIV, *Syn. Diœc.*, l. VI, c. 6, n. 12, et occurrit in variis documentis quæ affert Feye, *De Imped. matrim.*, n 317. Quibus adde declarationem S. C. de P. F. in memorato rescripto diei 6 Febr. 1889: « Quod in tertia quæstione, de exemptione a lege Tridentina conjugi catholico per hæreticum communicata, ex Benedicto XIV l. c. memorasti, id tenendum quidem est donec a S. Sede aliter fuerit dispositum ».

(3) Cf. suprà, p. 462, exempla citata: quo loco etiam observavimus immunitatem hæreticorum, via dispensationis, *posse* quidem restringi in ordine ad sola matrimonia mixta, *de facto* tamen probabilius non restringi.

3°/ Nomine *hæretici* indifferenter veniunt hæretici vel schismatici; non intelliguntur autem hæretici individualiter, sed *illi soli qui ad sectam aliquam pertinent.*

Hujusmodi sunt, ad tramites rescripti C. S. O. diei 6 Aprilis 1859: « 1/ illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in hæresi educantur ac hæresim profitentur; 2/ qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3/ qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur; 4/ apostatæ ab Ecclesia catholica ad hæreticam sectam transeuntes; 5/ qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis sint ». Apud FEYE, l. c., n. 319, cf. etiam BASSIBEY, o. c. n. 40-42.

A. DE SMET.

De Munere Confessarii

quoad usum Communionis quotidianæ.

Ad normam decreti *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione, duplex indicari potest confessarii munus: *cohortandi* videlicet et *dirigendi*.

I. Munus cohortandi.

Sub n. 6 ita statuit ac declarat decretum: inspectis fructibus quotidianæ Communionis « idcirco *Parochi, Confessarii et concionatores*, juxta probatam Catechismi Romani doctrinam (P. II, c. 63), *christianum populum* ad hunc tam pium ac tam salutarem usum **crebris admonitionibus multoque studio** cohortentur ».

Sub n. 7: « Communio frequens et quotidiana **præsertim** *in religiosis Institutis* cujusvis generis **promoveatur... Quam maxime quoque promoveatur** in clericorum *Seminariis*, quorum alumni altaris inhiant servitio; item *in aliis christianis omne genus ephebeis* ».

Summatim recolamus quæ olim scripsimus (1). Distinguenda est *propositio doctrinæ facta omnibus* et *cohortatio ad singulos* directa.

In concionibus ad populum et similiter in scriptis, in explicatione catechismi in scholis, in exhortationibus generalibus et meditationibus, quæ fiant in religiosis Institutis, in Seminariis et in christianis omne genus ephebeis, oportet vera doctrina proponatur *integra, sine ulla restrictione aut timore*. Sic enim *docentur* fideles et simul inducuntur ad praxim communionis frequentioris. Efficacius tamen promovebitur usus per *cohortationes ad singulos* directas: hujusmodi porro actio spectat præcipue ad confessarium: in qua tamen, ut vel parum

(1) *Collat. Brug.*, t. XII (1907), p. 300 sqq.

cogitanti patet, *quadam discretione ac moderatione* uti debet. Discretio in hoc consistet ut discernat inter pœnitentes et pœnitentes, eisque pro singulorum conditione ac statu doctrinam decreti accommodet; minime vero impedire potest quominus frequenter ac magno zelo promoveat usum frequentis ac quotidianæ communionis, præsertim in religiosis Institutis, seminariis et christianis omne genus ephebeis.

Hæc de munere cohortandi sufficiunt. Unum tamen addere liceat, cogente nos clarissimo viro, cui apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 300 sqq. contradiximus.

Nimirum in nota ad p. 303 adduximus ex articulo cl. L. Le Roy, ap. *Revue ecclésiastique de Liège,* t. II (1906-1907), p. 262, verba quibus improbat *intensivam* quam vocat prædicationem, quæ eo tendit ut quantocius universaliter in Ecclesia instauretur quod in primitiva Ecclesia in usu erat quoad frequentem Communionem. Hujusmodi reprobatio, ut ibidem diximus, aperte contrariatur decreto *Sacra* et *Instructioni* sacerdotalis eucharistici Fœderis.

Nunc autem recepimus ejusdem Auctoris *Additamenta ad « Revue Ecclésiastique, Mars 1907 »*, excerpta ex eodem periodico t. III, p. 10 sqq. (Juillet 1907). Porro retractat suum assertum et saltem temperat hisce verbis: « Vitandum omnino est, ne ex zelo inordinato, qui scilicet non est secundum scientiam, in prædicationem de frequenti Communione irrepant defectus quibus minus utilis aut etiam reprehensibilis fieret, unde eam *intensivam* vocavimus ». Unde quando dicit Auctor « prédication intensive », monemur eum significare minus utilem aut etiam reprehensibilem propter defectus ex inordinato zelo oriundos. Intensivam hoc sensu prædicationem et nos reprehendimus.

Nonnullos defectus commemorat cl. Auctor, quibus hunc censemus omnino addendum: ne videlicet in scriptis aut concionibus restringatur doctrina decreti, puta exaggerando potestatem confessarii aut rectitu-

dinem in intentione requisitam, ita ut difficilior evadat usus frequentis ac quotidianæ Communionis, nec jam « omnibus christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat » (sub 1°).

In litteris S. C. Indulg. 10 Aprilis 1907 (1) SS. D. N. Pius X « *accurate determinat* — ita cl. Auctor (2) — objectum concionum in decursu exercitiorum habendarum ad populum fidelem » occasione Triduanarum supplicationum. At citantur hæc tantum verba : « *Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiæ Sacramenti præstantia, et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum* ». Cur non additur ex eisdem litteris hæc dispositio pro ultima die supplicationum : « In concione tamen oratores ad ferventiorem erga sanctissimum Sacramentum pietatem hortentur fideles, *speciatim vero ad frequentiorem cœlestis convivii participationem, juxta probatam Catechismi romani doctrinam, uti innuit S. Congregationis Concilii memoratum Decretum sub n. VI* ». Sic *accurate determinatur* objectum concionum, et simul commendatur *intensiva* (sensu genuino) prædicatio, quin timendum sit ne fiat *intensiva* sensu Auctoris.

II. Munus dirigendi.

Ut distincta sit disquisitio, duo inquirimus : *utrum confessario vera competat potestas concedendi* frequentem et quotidianam communionem ; deinde *qualis directio in hoc negotio ei jure attribui possit.*

A/ De potestate concedendi.

Quoad hanc, ut olim monebamus (3), perspicua est doctrina decreti *Sacra* sub 5° : « *Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat* ».

Nota diligenter agi de frequenti *ac quotidiana* com-

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 430 sqq.
(2) *Rev. eccl. de Liège*, t. III, p. 12 ; separatim, p. 7.
(3) *Ibid.*, p. 304 sq.

munione. Sane vox *oportet* sensu obvio ac genuino indicat *aliquam necessitatem*, sed qualem indicet necessitatem contextus declarat, qui eam multum temperat ac restringit: agitur de *mero consilio;* — consilium *intercedat:* unde nec stricte præscribitur sequendum; — quo spectat hoc consilium? Juxta verba decreti, non ut quotidiana communio fiat simpliciter cum prudentia et merito, sed ut *majori* prudentia fiat *uberiorique* merito augeatur. Est igitur *necessitas majoris prudentiæ et uberioris meriti.* Temperatur necessitas maxime hoc addito, quod videntur plures non satis attendisse: « *Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiæ reperiatur et recta mente accedat* ». Supra sub 1° declaratum est quod « *nemo, qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit* ». Nemo *prohiberi* potest, ne quidem a Confessario suo; hic autem non tantum non habet jus *prohibendi* eum qui habet dispositiones requisitas, sed et *caveat* ne *quemquam avertat.*

Conclusio est: Confessarius post decretum *Sacra* jam *non habet potestatem concedendi* Communionem frequentem ac quotidianam; sed tantummodo potest pœnitentibus in hoc pio exercitio bene exequendo consilium dare pro viribusque invigilare, ne quis sine recta piaque mente ad S. Mensam accedat (1).

Sequitur manifesta hæc *altera conclusio*: decretum *Sacra Tridentina Synodus* sub n. 5 *mutat disciplinam in Ecclesia receptam*, quam np. plura decreta S. Sedis, signanter decretum *Cum ad aures* jussu Innocentii XI editum 12 Februarii 1679, firmaverant quamque scriptores communiter propugnaverant, np. *communionis frequentiam judicio confessarii esse relinquendam* (2).

---

(1) Instructio Episcoporum Borussiæ 8 Dec. 1906 sub 4, cit. apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 305; item apud *Revue ecclésiastique de Liège*, t. II, p. 277, cujus explicatio aperte contradicit laudatæ Instructioni.

(2) Cf. R. P. D. Bastien, O. S. B., *De frequenti quotidianaque Commu-*

Ut hæc mutatio clarius perspiciatur, juvat hanc præsentem legem brevi conspectu conferre cum superioribus decretis Ecclesiæ et theologorum placitis (1).

De quotidiano vel frequenti accessu occurrit imprimis votum *Concilii Tridentini*, Sess. XXII, cap. 6, relatum initio decreti *Sacra*: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent » (2).

Ad rem nostram propius facit Sess. XXIII, cap. 18 de reform.: « Curet episcopus, ut singulis diebus missæ sacrificio intersint [seminarii alumni], ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; et *juxta confessoris judicium* sumant corpus Domini nostri Jesu Christi ».

Catechismus Concilii Tridentini (3) hortatur fideles ad frequentem usum Eucharistiæ: « Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis vel diebus id magis expediat, *certa omnibus regula præscribi non potest* ». Deinde magnopere excitat parochos ut fideles ad S. Communionem, etiam quotidianam, multo studio cohortentur. Cf. Decretum *Sacra*, sub 6°.

Succedit celebre decretum Innocentii XI *Cum ad aures*, cui plures excessus dederunt occasionem, de quo infra agemus. Hoc decretum, uti jam monuimus, firmat disciplinam circa frequentiam communionis: nimirum nihil certe de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu posse constitui, sed frequentem ad Sacram

---

nione ad normam decreti « Sacra Tridentina Synodus ». Romæ, Desclée, Lefebvre et Socii, 1907, p. 107.

(1) Cf. R. P. Vermeersch, S. J., *De religiosis Institutis et Personis supplementa et monumenta periodica*, t. II, p. 77 sqq , coll. *Collat. Brug.*, t. X, p. 218 sqq., 325 sqq.

(2) Ad normam hujus voti, utiliter allaborabunt sacerdotes ut ubique instauretur praxis saluberrima missæ quotidianæ, quam instantissime commendavit Illmus ac Revmus Waffelaert, Episcopus Brugensis, et *in Missa*, quod solemne erat christianis primitivæ Ecclesiæ, sacramentali perceptione Eucharistiæ fideles communicent.

(3) P. II, De Eucharistia, n. 63.

alimoniam percipiendam accessum *Confessariorum judicio esse relinquendum* (1).

Ecclesia igitur laudat usum communionis quotidianæ, at quales requirantur dispositiones non determinat, sed relinquit judicio Confessarii determinandam Communionis frequentiam.

Quod *doctrinam attinet theologorum*, hæc communiter tenent principia: re absolute spectata et solo attento fine institutionis SS. Sacramenti, summopere optandum esse ut fideles singuli quotidie communicent; practice tamen loquendo et spectatis singulis fidelibus hoc relinquendum esse judicio prudentis Confessarii. Hinc, pro varia indole, alii confessarii potius inclinarunt ad frequentem ac quotidianam communionem facilius concedendam, alii vero ad usum minus frequentem.

Theologi videlicet statuerunt regulas varias quibus confessarii dirigerent pœnitentes quoad communionis frequentiam. Ecclesia vero non determinavit ipsa regulas practicas sequendas, sed declaravit, uti v. g. S. Pœnitentiaria 19 Nov. 1885 « spectare ad confessarium id singulis permittere *juxta regulas a probatis Auctoribus traditas et præsertim a S. Alphonso* ». Similiter S. C. de propaganda fide 25 Maii 1892 laudavit regulas a R. P. Lehmkuhl expositas, non quasi legem absolutam et taxativam, sed veluti normam confessariis tradendam.

Quia « quæstiones super hac re diebus nostris adauctæ sunt et non sine acrimonia exagitatæ », SS. D. N. Pius Pp. X « quæstionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam » S. Congregationi Concilii « examinandam ac definiendam commisit ». Et ecce solutio, quam ratam habuit, confirmavit et edi jussit Summus Pontifex: non tantum laudatur usus communionis quotidianæ, sed ab Ecclesia offertur omnibus et singulis fidelibus cujusvis ordinis aut conditio-

(1) De disciplina religiosorum agimus infra.

nis; non jam remittitur quoad applicationem practicam ad regulas a probatis Auctoribus traditas, sed *expresse determinantur dispositiones requisitæ*, « ita ut nemo, qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi possit » (sub 1°). Jam igitur non « spectat ad confessarium id singulis permittere », sed *ipsa Ecclesia permittit* seu concedit quotidianam communionem fidelibus omnibus et singulis, qui sunt in statu gratiæ et recta piaque mente accedunt.

Ex hisce liquido patet mutatio disciplinæ: ipsa Ecclesia concedit rite dispositis *jus ad* Communionem quotidianam, adeoque confessario subtrahitur potestas concedendi frequentem vel quotidianam Communionem. Ut tamen *bene utatur jure suo* pœnitens, oportet confessarii intercedat consilium.

***

Mirum cuipiam videbitur hanc conclusionem non fuisse acceptam omnibus. Et tamen contradicit cl. Le Roy apud *Revue eccl. de Liège*, t. II, p. 268 et iterum t. III, p. 14 ss. (separatim p. 9 ss). Sic ait (t. II, p. 268) postquam citavit P. Génicot ante decretum scribentem: « Tertium principium, *quatenus affirmat rem ad confessarium spectare*, est omnino rectum. Constat ex C. Trid. sess. 23, c. 18 De reform. et ex variis decretis, maxime Innoc. XI (17 Febr. [lege *12* Febr.] 1679) et Leonis XIII (17 Dec. 1890) qui pro Religiosis id etiam decernit... *Nous pensons qu'il n'y a rien à retrancher à cette doctrine* ». Contendit nimirum decretum *Sacra Tridentina Synodus* explicari legitime posse per decreta anteriora S. Sedis, suamque interpretationem confirmat doctrina Emin. Cardinalis Gennari, scribentis ante decretum præcitatum.

Jamvero hæc methodus interpretandi impingit in sanæ interpretationis regulas, quatenus pars decreti explicatur per illas præcise decretorum præcedentium dispositiones, quibus recentius decretum derogare in-

tendit. Hoc constat ex expositione statim facta. Ad hujus confirmationem examinemus breviter argumenta cl. adversarii. Ne longiores simus, retineamus tantum apologiam Auctoris, np. *Additamenta* cit. supra, ubi tamen videtur emollire sententiam prius propositam.

1°/ *Decreta Innocentii XI et Alexandri VIII.*

En thesis: Hæc duo et decretum *Sacra* « ad fovendam Tridentini Concilii disciplinam de Sacra Communione fidelium lata, *amice ad invicem cohærere* ne in unam vel alteram partem a recto tramite declinetur, *hoc indubium esse debet!* » *Esse debet!* Quare? En rationes: 1/ « Nonne ab eadem Suprema Auctoritate prodierunt, et eadem S. Sedis voluntate edita et communita fideli observantiæ universalis Ecclesiæ æqualiter commendantur »? — Sed Auctor ipse offert responsum paulo supra: fatetur enim, et jure meritissimo, « Decreto « Sancta » (1) plura dirempta fuisse quæ post priora decreta hæserant dubia et controversa », et « modificationes non repugnari fieri in normis disciplinaribus, quæ in variis adjunctis variæ esse solent ». Probandum igitur esset modificationem non fuisse factam; at supra ostendimus disciplinam esse mutatam per decretum *Sacra*. 2/ At videtur quod nulla facta sit mutatio: « Nonne, pergit Auctor, Decretum ultimum « *Sancta* » declaratur a S. Congregatione editum ad priora decreta efficacius urgenda »? — Hoc negamus omnino. Memorantur duo decreta in introductione historica (2), sed

(1) Nescimus cur A. semper citet decretum *Sancta;* ubique legimus initium *Sacra*.

(2) « Ad hæc Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum hujus Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures,* diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI approbante, errores hujusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cujusvis cœtus, mercatoribus atque conjugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, juxta singulorum pietatem et sui cujusque Confessarii judicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus Noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad Sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit ».

ubi statuit ac declarat S. Congregatio, id est in decreto proprie dicto, ne mentionem quidem facit decretorum Innocentii XI et Alexandri VIII.

Decreto np. *Cum ad aures* damnantur errores quidam et compescuntur abusus, puta « Communionem quotidianam jure divino esse præscriptam », usum ministrandi Communionem etiam feria VI in Parasceve, distribuendi eam in Oratoriis privatis, accipiendi in Communione « plures formas, ac particulas, vel grandiores solito » etc.; dein idem decretum declarat « omnes cujusvis cœtus, mercatoribus atque conjugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, juxta singulorum pietatem et sui cujusque Confessarii judicium ». Hujus declarationis pars prior continetur in declaratione Decreti *Sacra,* sub 1°: Communio frequens et quotidiana... *omnibus Christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat* ». At additum: « *juxta singulorum pietatem et sui cujusque Confessarii judicium* » non memoratur, imo ei contradicit decretum *Sacra* (1).

Decreto *Sanctissimus Dominus Noster* proscripta fuit propositio Baii, et etiam nunc manet proscripta. Sed nihil dicitur de præsenti quam tractamus quæstione.

2°/ Decretum *Quemadmodum.*

Hoc decretum expresse confirmatur in decreto *Sacra,* sub 7°, quo exemplo S. Congregatio simul ostendit quomodo loquatur, quando vult urgere anterius aliquod decretum (2).

« Quo spectat autem, petit R. P. Vermeersch (3),

---

(1) *Juxta singulorum pietatem:* Juxta decretum *Cum ad aures* confessarius in judicio ferendo attendat oportet ad conscientiarum puritatem et frequentiæ fructum, et ad pietatem processum; et conjugatos admoneat ob SS. Eucharistiæ reverentiam vacandum esse continentiæ. Hæc autem non quadrant cum decreti *Sacra* declarationibus.

(2) 7°: « Communio frequens et quotidiana in religiosis Institutis cujusvis generis promoveatur; *pro quibus tamen firmum sit* decretum *Quemadmodum* die 17 mensis Decembris anni 1890 a S. Congr. Episc. et Reg. latum ».

(3) *l. cit.*, p. 85.

*

confirmatio decreti *Quemadmodum?* Eo potissimum, ni fallimur, ut in Institutis mulierum et laicorum Superiores provinciam istam non usurpent etiam ad frequentiores obtinendas subditorum communiones, verum omnem directionem Confessariis relinquant ».

Qualis autem sit directio Confessariis relinquenda, relate ad frequentiam Communionis, statuitur sub 8°: Quæ in regulis aut constitutionibus vel calendariis reperiuntur normæ circa numerum communionum habendæ sunt « tamquam mere *directivæ*, non tamquam præceptivæ... frequentior vel quotidianus accessus... libere iisdem patere semper debebit, *juxta normas superius in hoc decreto traditas* ».

Quomodo ex decreto *Quemadmodum* argui possit in præsenti quæstione, attingere non valemus. Ceterum cl. adversarius in altero articulo: *Additamenta*, de isto decreto jam non loquitur.

3°/ *Appellatio ad scripta Decreto anteriora.*

Hoc principium: ad interpretandum Decretum *Sacra* legitime appellatur ad scripta isto anteriora, admitti nequit. Esto Emin. Cardinalem GENNARI, ad quem libenter appellat cl. LE ROY, merito recenseri inter promotores præcipuos Decreti citati; esto scriptum ejusdem, quoad nonnulla, etiam ad litteram concordare uni alterive dispositioni decreti. Hoc tamen indubium est in regulis quas tradit Emin. Auctor plura inveniri quæ non sunt conformia Decreto postea edito, inter quæ præcise sunt quædam de munere confessarii et de dispositionibus requisitis apud pœnitentem (1). Jamvero

(1) Exemplo sit regula 4ª: « S'il s'agit de pénitents qui manquent des dispositions dont nous avons parlé ci-dessus (exemption de tout attachement au péché véniel; méditation quotidienne; préparation prochaine et action de grâces), mais qui se trouvent cependant en état de grâce et ont une intention droite, il n'y a alors pour le confesseur ni obligation, mais ni défense non plus de permettre la communion fréquente ou quotidienne ». Traduction de Dom BASTIEN. *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples*, Maredsous, 1904. Appendice IV, p. 415.

cl. Le Roy utitur ad explicandum decretum iis quæ huic non sunt conformia.

Nolumus heic inquirere utrum scriptum Emin. Card. GENNARI revera contineat omnes restrictiones factas apud *Revue eccl. de Liége*, t. II, p. 265 ss. Consultius erit urgere argumentum, quod fugit cl. LE ROY, et est sequens: Notum est Card. GENNARI dirigere et edere periodicum *Il Monitore Ecclesiastico*. Jamvero ibi invenimus plura, quæ confirmant doctrinam a nobis superius traditam et implicite retrahunt quæ urget cl. Le Roy ex ejusdem scripto anni 1900. Sic t. XVIII (1906-1907), p. 136: *De consilio confessarii pro communione quotidiana*. Declaratio sub 5°: *oportet ut consilium confessarii intercedat*, « significat quod in se *non erit absolute necessarium* consilium confessarii, *neque peccaret qui istud non exquireret*: utile tamen est illud exquirere, si np. volunt recipere communionem cum majori prudentia et uberiori merito... Vox *consilium* indicat *simplicem approbationem*, *non autem veram permissionem* ». — Deinde t. XIX, p. 32 (Martii 1907) *circa intentionem rectam* hæc ponitur conclusio: « Communio frequens et quotidiana tunc solum non debet consuli, quando fit *cum fine primario non recto*, ad quem habetur plena advertentia et consensus. Sed quando intentio primaria est recta, *licet ei adjungantur fines secundarii leviter illiciti*, tamquam *causæ impulsivæ*, consulendum erit ut semper magis purificetur intentio, rejiciendo fines illicitos, *at non sunt dissuadendi fideles a communione quotidiana*, quæ est medium potentissimum purificandi integre intentionem et acquirendi veram perfectionem christianam ».

En exemplum interpretationis, in qua ne mentio quidem fit opusculi anno 1900 vulgati de Communione frequenti.

B/ **Directio confessarii.**

Munus confessarii est, ut supra notabamus ex Instructione Episcoporum Borussiæ, *pœnitentibus in pio exercitio quotidianæ Communionis bene exequendo consi-*

lium dare, pro viribusque invigilare ut fiat juxta normas in decreto traditas (n. 1-4). Videlicet invigilabit ne quis sine recta piaque mente ad S. Mensam accedat; adjuvabit pœnitentes ut in dies puriorem reddant illam intentionem, ut « a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim sese expediant »; curabunt « ut sedula ad Sacram Communionem præparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia ». Verbo directio confessarii eo spectabit ut Communio quotidiana sit vere medium vitæ christianæ ac perfectæ (1).

Unde non detrahitur pœnitens *directioni* sui confessarii, nec pessumdantur regulæ quas de ea tradunt magistri vitæ spiritualis. Utique detrahitur *potestati* confessarii accessus frequens ac quotidianus, non quidem a nobis, sed a Sancta Sede in decreto *Sacra*.

Restat aliquid dicendum *de recta piaque mente*. Hanc explicat ipsa S. Congregatio sub 2°: *negative*: « non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat », — *positive*: « sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere ».

Ut *recta* sit mens, conformis sit operi ponendo. Opus autem non est humanum aut naturale, sed supernaturale; proinde non sufficit finis humanus, at requiritur finis supernaturalis (2). Scite animadvertit R. P. VERMEERSCH (3): « Dum fines isti (humani) sunt amovendi, sedulo secernenda est tentatio et scrupulus a vero vanitatis vel humani respectus motu. Sæpe etiam erit prudenti directori inspiciendum quid in intentione prævaleat: facile enim cum intentione substantialiter pura

---

(1) Cf. nostrum opusculum: *Het Brood des Levens*, nieuwe uitgave, Lescrauwaet, Brugge, 1907, p. 127 sqq.

(2) Pro uberiori explicatione remittimus ad commentarium nostrum: *Het decreet over de dagelijksche Communie*, Brugge, Lescrauwaet, 1907. Prostat ibidem editio gallica. Cf. etiam *Het brood des levens*, p. 110 ss.

(3) *l. cit.*, p. 85.

miscetur aliquid humanum. In qua re, hoc videtur sufficere, ut aliquis serio existimare possit, omisso etiam motivo minus bono, nihilo minus ipsi potius esse ut communicet ».

Non requiritur intentio omnino pura (1), nec mensurari debent dispositiones plus minusve perfectæ, ut iis aptetur Communio plus minusve frequens; sed, qui recta mente accedit, prohiberi nequit, et caveant confessarii ne quemquam avertant qui recta mente accedit.

In introductione decreti probantur placita eorum qui docebant « nullum *Ecclesiæ præceptum esse circa majores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem* ». Audiatur etiam *Instructio* pro Sodalibus Sacerdotalis Eucharistici Fœderis (2) sub II : populo « persuadeant *nullam perfectiorem ad licitam quotidianam communionem quam ad hebdomadariam aut menstruam aut annualem requiri dispositionem,* i. e. statum gratiæ et piam rectamque intentionem »....

Vel paululum cogitanti apparet hanc esse mentem Ecclesiæ : Olim res erat relicta judicio confessarii, cui Ecclesia veluti normam tradidit regulas a probatis Auctoribus propositas ; at confessarii, pro varia indole, strictiores vel benigniores se ostenderunt : « Virus jansenianum haud penitus evanuit... et quæstiones super hac re diebus nostris adauctæ sunt et non sine acrimonia exagitatæ, quibus confessariorum mentes atque fidelium conscientiæ perturbantur ». — Nunc verò dirimitur quæstio de dispositionibus requisitis : regulæ statuuntur, non jam veluti norma Confessariis tradenda, sed tamquam *lex absoluta et taxativa,* quæ

---

(1) Hic perperam applicatur adagium : *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu* (Cf. *Revue eccl. de Liége,* t. II, p. 274), quasi intentio communicantis esset mala, quia non omni caret defectu, puta quia fini supernaturali miscetur aliquid humani.

(2) Citamus juxta Bastien, *op. cit.,* p. 198. Invenies textum gallicum apud *Collat. Brug.,* t XII, p. 49, et adnotationes p. 294 ss. — Mirum est cl. Le Roy adhuc silentio premere hanc instructionem.

viam occludat rigorismo janseniano et controversiis, et simul praxim confessariorum ad uniformitatem reducat.

***

Ex hisce apparet quam merito reprobaverimus sequens assertum : « Il est certain aussi que les âmes sont animées à divers degrés de ces bonnes dispositions, de ces pieuses intentions ; *et le directeur spirituel sera amené de la sorte à accorder la Communion fréquente dans une mesure différente, selon celle de ces dispositions* » (1).

Additamenta supra cit. de hac quasi norma sic habent : Hæc verba « conclusio sunt deducta ex præcedentibus... Dein advertatur verba illa per se enuntiare factum obvium, non statuere normam ». — Sed, quæso, quomodo hæc cohærent ? An simul *conclusio* logice deducta et *factum* obvium ? Si agatur de facto obvio enuntiando, ut quid præcedentia ex quibus deducenda conclusio ?

Verba citata, quidquid dicat cl. Auctor, continent revera *et factum et normam.* Factum est cuique obvium, np. hoc : dispositio necessaria np. recta mens, vario gradu perfectionis existit in variis pœnitentibus. Hoc autem factum adhibetur tamquam medium probandi hanc normam : confessarius concedet communionem plus minusve frequentem juxta mensuram dispositionum. Ut hæc norma sit conclusio logice deducta ex præcedentibus, necessario supponi debent probata hæc duo : np. frequentiam communionis esse relictam judicio confessarii, — eamque mensurandam esse juxta gradus dispositionum. Hæc autem duo non tantum non fuerunt probata in præcedentibus, sed imo — sine ulla hæsitatione loquimur — sunt aperte falsa, ut supra ostendimus.

---

(1) *Revue eccl. de Liége,* t. II, p. 277. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 306 in nota.

Fidenter appellamus sacerdotes quotquot sunt devoti erga Ecclesiam et Vicarium Christi : Renuntient generose proprio sensui et usui recepto, excludant vanos timores, vires conferant in unum omnes, idipsum sentientes, ut instauretur ubique, adjuvante Corde Jesu amantissimo, cui est optatissima, pia ac salutaris praxis Communionis frequentis ac quotidianæ, quatenus cum Pontifice nostro Pio valeamus *Instaurare omnia in Christo!*

H. Mahieu.

Consultatio

Quær. De mandato Rev^mi D. Episcopi Brugensis, a die 16 Augusti usque ad diem 20 septembris inclusive, loco orationis imperatæ *pro Papa*, dicitur ab omnibus sacerdotibus, salvis rubricis, collecta *de Spiritu Sancto* pro confratribus exercitia spiritualia obeuntibus. (*Calendar. liturgic.* ad diem 15 Aug.). Quid est faciendum iis in missis in quibus (v. g. diebus infra octavam Nativitatis B. M. V.) jam a rubricis præscribitur dicenda oratio *de Spiritu Sancto*: **Deus qui corda?**

Resp. Juxta regulam « non fit bis de eodem » omittenda est oratio imperata. Ut patet, non licet bis recitare orationem **Deus qui corda,** nec sufficit pro oratione imperata mutare textum sumendo formulam orationis « ad postulandam gratiam Spiritus Sancti » **Deus cui omne cor patet** (quæ invenitur post missam votivam de Spiritu Sancto); nam licet orationes ita non sint eædem quoad textum, sunt tamen de eodem objecto, quales repetere non licet in eadem missa.

C. Callewaert.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE MODERNISTARUM DOCTRINIS

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pascendi dominici gregis mandatum Nobis divinitus officium id munus in primis a Christo assignatum habet, ut traditæ sanctis fidei depositum vigilantissime custodiat, repudiatis profanis vocum novitatibus atque oppositionibus falsi nominis scientiæ. Quæ quidem supremi providentia pastoris nullo plane non tempore catholico agmini necessaria fuit: etenim, auctore humani generis hoste, nunquam defuere *viri loquentes perversa* (1), *vaniloqui et seductores* (2), *errantes et in errorem mittentes* (3). Verumtamen inimicorum crucis Christi, postrema hac ætate, numerum crevisse admodum fatendum est; qui, artibus omnino novis astuque plenis, vitalem Ecclesiæ vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur. Quare silere Nobis diutius haud licet, ne muneri sanctissimo deesse videamur, et benignitas, qua, spe sanioris consilii, huc usque usi sumus, officii oblivio reputetur.

Summus Pontifex depositum fidei tueri debet

semper

maxime autem hac ætate,

(1) Act. XX, 30.
(2) Tit. I, 10.
(3) II. Tim. III, 13.

quum errorum fautores sint in gremio Ecclesiæ.

Qua in re ut moram ne interponamus illud in primis exigit, quod fautores errorum jam non inter apertos hostes quærendi sunt modo; verum, quod dolendum maxime verendumque est, in ipso latent sinu gremioque Ecclesiæ, eo sane nocentiores, quo minus perspicui. — Loquimur, Venerabiles Fratres, de multis e catholicorum laicorum numero, quin, quod longe miserabilius, ex ipso sacerdotum cœtu, qui, fucoso quodam Ecclesiæ amore, nullo solido philosophiæ ac theologiæ præsidio, immo adeo venenatis imbuti penitus doctrinis quæ ab Ecclesiæ osoribus traduntur, Ecclesiæ ejusdem renovatores, omni posthabita modestia animi, se jactitant; factoque audacius agmine, quidquid sanctius est in Christi opere impetunt, ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam, ausu sacrilego, ad purum putumque hominem extenuant.

vere tamen Ecclesiæ adversarii quovis alio perniciosiores,

quia ipsi intimiores,

quia fidem ipsam penitus corrumpere conantur,

quia insidiosius agunt.

Homines hujusmodi Ecclesiæ Nos hostibus adscribere, etsi mirantur ipsi, nemo tamen mirabitur jure, qui, mente animi seposita cujus penes Deum arbitrium est, illorum doctrinas et loquendi agendique rationes cognorit. Enimvero non is a veritate discedat, qui eos Ecclesiæ adversarios quovis alio perniciosiores habeat. — Nam non hi extra Ecclesiam, sed intra, ut diximus, de illius pernicie consilia agitant sua: quamobrem in ipsis fere Ecclesiæ venis atque in visceribus periculum residet, eo securiore damno, quo illi intimius Ecclesiam norunt. Adde quod securim non ad ramos surculosque ponunt; sed ad radicem ipsam, fidem nimirum fideique fibras altissimas. Icta autem radice hac immortalitatis, virus per omnem arborem sic propagare pergunt, ut catholicæ veritatis nulla sit pars unde manus abstineant, nulla quam corrumpere non elaborent. Porro, mille nocendi artes dum adhibent, nihil illis callidius, nihil insidiosius: nam et rationalistam et catholicum promiscue agunt, idque adeo simulatissime, ut incautum quemque facile in errorem pertrahant; cumque temeritate maxime valeant, nullum est consecutionum genus quod horreant aut non obfirmate secureque obtrudant. Accedit præterea in illis, aptissime ad fallendos animos, genus vitæ cummaxime actuosum, assidua ac vehemens ad omnem eruditionem occupatio, moribus plerumque austeris quæsita laus. Demum, quod fere medicinæ fiduciam tollit, disciplinis ipsi suis sic animo

sunt comparati, ut dominationem omnem spernant nullaque recipiant frena; et freti mendaci quadam conscientia animi, nituntur veritatis studio tribuere quod uni reapse superbiæ ac pervicaciæ tribuendum est. — Equidem speravimus hujusmodi quandoque homines ad meliora revocare: quo in genere suavitate primum tamquam cum filiis, tum vero severitate, demum, quanquam inviti, animadversione publica usi sumus. Nostis tamen, Venerabiles Fratres, quam hæc fecerimus inaniter: cervicem, ad horam deflexam, mox extulerunt superbius. Jam si illorum solummodo res ageretur, dissimulare forsitan possemus: sed catholici nominis e contra securitas agitur. Quapropter silentium, quod habere diutius piaculum foret, intercipere necesse est; ut personatos male homines, quales reapse sunt, universæ Ecclesiæ demonstremus.

Reprehensi fuerunt sed inaniter.

quare publice loquendum est.

Quia vero modernistarum (sic enim jure in vulgus audiunt) callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem sejunctas, ut nimirum ancipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes; præstat, Venerabiles Fratres, doctrinas easdem uno heic conspectu exhibere primum, nexumque indicare quo invicem coalescunt, ut deinde errorum caussas scrutemur, ac remedia ad averruncandam perniciem præscribamus.

Encyclicæ argumentum: I errores eorumque nexus, II causæ, III remedia

Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas ac veluti in se commiscere; philosophum nimirum, credentem, theologum, historicum, criticum, apologetam, instauratorem: quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consequutionesque pervidere velit.

I. Modernistarum errores

Jam, ut a philosopho exordiamur, philosophiæ religiosæ fundamentum in doctrina illa modernistæ ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi hujus humana ratio *phænomenis* omnino includitur, rebus videlicet quæ apparent eâque specie qua apparent: earumdem prætergredi terminos nec jus nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut ut per ea quæ videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiæ objectum directe nulla-

A. Qua philosophi modernistæ docent *agnosticismum* quasi ratio humana cognosceret tantum phænomena, et ne Deum quidem;

tenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subjectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistæ penitus e medio tollunt, et ad *intellectualismum* amandant; ridendum, inquiunt, systema ac jamdiu emortuum. Neque illos plane retinet quod ejusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit* (1); itemque: *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit* (2); ac demum: *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit* (3). — Qua vero ratione ex *agnosticismo*, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistæ transeant, qui contra totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis jure, ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiæ intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eamdem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit; novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam; in quarum finibus non nisi *phænomenis* possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitæ mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in cælum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

quem errorem damnavit Synodus Vaticana;

ex agnosticismo transeunt ad *atheismum* scientificum et historicum, sed quo jure non concipitur.

Hic tamen *agnosticismus*, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque

Docent *immanentiam vitalem;*

religionis ceu facti vitalis explicatio reperienda est

(1) *De Revel.* can. I.
(2) Ibid. can. II.
(3) *De Fide* can. III.

ad revelationem ob rejecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quærenda: et quoniam religio vitæ quædam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiæ religiosæ* principium asseritur. Vitalis porro cujuscumque phænomeni, cujusmodi religionem esse jam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis objectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quæ initium est ac fundamentum cujusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Hæc porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiæ ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia,* ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, hæc divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad hæc modernistæ: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim præter fines adest *incognoscibile.* Coram hoc *incognoscibili,* sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subconscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, prævertente mentis judicio, peculiarem quemdam commovet *sensum:* hic vero divinam ipsam *realitatem,* tum tamquam objectum tum tamquam sui caussam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo conjungit. Est porro hic *sensus* quem modernistæ fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

in vita hominis;

fides collocanda est in *sensu* quodam intimo ex divini indigentia orto, latente primo in *subconscientia,* qui movetur ab *incognoscibili divina realitate* quam attingit.

Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In ejusmodi enim *sensu* modernistæ non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus,

Sensus ille religiosus in conscientia apparens ipsis est *revelatio;*

aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia apparentem; quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu*, animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei Deus objectum sit æque et caussa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quælibet, pro diverso adspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc conscientiæ ac revelationis promiscua significatio. Hinc lex, qua *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus æquanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive hæc doceat sive de sacris disciplinave statuat.

inde plures confusiones

Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consequutiones historico-criticas, quas inde illi eruunt. — Nam *Incognoscibile*, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phænomeno aliquo arcte inhærens, quod, quamvis ad campum scientiæ aut historiæ pertinet, ratione tamen aliqua prætergreditur; sive hoc phænomenon sit factum aliquod naturæ, arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus, cujus ingenium acta verba cum ordinariis historiæ legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab *Incognoscibili* allecta quod cum phænomeno jungitur, totum ipsum phænomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quædam phænomeni *transfiguratio*, per elationem scilicet supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inductura. Secundum, phænomeni ejusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata, quod fides illi, loci temporisque adjunctis exempto, tribuit quæ reapse non habet: quod usuvenit præcipue, quum de phænomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistæ eruunt canones; qui, alteri additi jam ex agnosticismo habito, critices historicæ fundamenta constituunt. Exemplo res illustrabitur; sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi,

Ast quia Incognoscibile in phænomeno inhæret, totum hoc fides permeat vita sua

et transfigurat

et defigurat.

Regulæ critices inde deductæ illustrantur exemplo e Christi natura petito.

aiunt, scientia atque historia nil præter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex ejus historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica *transfigurata* est a fide: ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide *defigurata* est: ergo removenda sunt ab illa sermones, acta; quidquid, uno verbo, ingenio, statui, educationi ejus, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet. — Mira equidem ratiocinandi ratio: sed hæc modernistarum critice.

Religiosus sensus e subconscientia erumpens, primo rudis, adolevit ut forma humanæ vitæ;

Religiosus igitur *sensus*, qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiæ* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quæ in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, ejusmodi *sensus*, paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanæ vitæ, cujus, ut diximus, quædam est forma. Habemus igitur religionis cujuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illæ *religiosi sensus* meræ explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimæ naturæ viri, cujusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiæ*, non aliter, nata est. — Stupent profecto, qui hæc audiant, tantam ad asserendum audaciam, tantum sacrilegium! Attamen, Venerabiles Fratres, non hæc sunt solum ab incredulis effutita temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures, hæc palam edisserunt; talibusque deliramentis Ecclesiam se instauraturos jactant! Non heic jam de veteri errore agitur, quo naturæ humanæ supernaturalis ordinis veluti jus tribuebatur. Longius admodum processum est: ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo æque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana Synodo jure summo sancitum fuit: *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quæ naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit* (1).

et ex ejus explicatione oritur religio quævis, etiam catholica.

Est error veteri deterior.

a Vaticana synodo jam damnatus.

(1) *De Revel.* can. III.

Huc usque tamen, Venerabiles Fratres, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse præstat. — In *sensu* illo, inquiunt, quem sæpius nominavimus, quoniam *sensus* est non cognitio, Deus quidem se homini sistit; verum confuse adeo ac permixte, ut a subjecto credente vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eumdem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exiliat ac secernatur. Id nempe ad intellectum pertinet, cujus est cogitare et analysim instituere; per quem homo vitalia phænomena in se exsurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat. Hinc vulgata modernistarum enunciatio: debere religiosum hominem fidem suam *cogitare*. — Mens ergo, illi *sensui* adveniens, in eumdem se inflectit, inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulæ cujusdam diagraphen collustret ut nitidius efferat: sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In ejusmodi autem negotio mens dupliciter operatur: primum, naturali actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari; secundo vero, reflexe ac penitius, vel, ut aiunt, *cogitationem elaborando*, eloquiturque cogitata *secundariis* sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quæ *secundariæ* sententiæ, si demum a supremo Ecclesiæ magisterio sancitæ fuerint, constituent *dogma*.

Intellectus autem munus est ut cogitet et analysi subjiciat sensum religiosum

primò actu spontaneo et formulis simplicibus, dein reflexe, cogitationem elaborando sententiis *secundariis* quæ constituent *dogma*.

Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam præcipuum, videlicet ad originem dogmatis atque ad ipsam dogmatis naturam. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quæ, quodam sub respectu, necessariæ sunt fidei; nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit. Ipsum tamen dogma *secundariis* proprie contineri formulis affirmare videntur. — Ejus porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quænam intercedat relatio inter *formulas religiosas* et *religiosum* animi *sensum*. Id autem facile intelliget, qui teneat *formularum* ejusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suæ fidei rationem reddat. Quamobrem mediæ illæ sunt inter credentem ejusque fidem: ad fidem autem quod attinet, sunt inadæquatæ ejus objecti notæ, vulgo *symbola* vocitant; ad cre-

Dogmatum porro natura hæc est ut sint fidei *symbola* et credentis *instrumenta*

dentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam, qua *symbola*, imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandæ, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta*, sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Objectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet adspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam *evolutionem* dogmatis expeditum est iter. — Sophismatum profecto coacervatio infinita, quæ religionem omnem pessumdat ac delet!

unde non possunt veritatem absolute continere et accommodationi sunt obnoxiæ;

Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistæ ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis aperte consequitur. — Nam inter præcipua doctrinæ capita hoc illi habent, quod ab *immanentiæ vitalis* principio deducunt: *formulas religiosas*, ut *religiosæ* reapse sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque ipsam vivere *sensus religiosi*. Quod non ita intelligendum est, quasi hæ formulæ, præsertim si mere imaginativæ, sint pro ipso religioso sensu inventæ; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam numeri vel qualitatis: sed ita, ut eas *religiosus sensus*, mutatione aliqua, si opus est, adhibitâ, *vitaliter* sibi adjungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut *formula primitiva* acceptetur a corde ab eoque sanciatur; itemque sub cordis ductu sit labor, quo *secundariæ formulæ* progignuntur. Hinc accidit quod debeant hæ formulæ, ut vitales sint, ad fidem pariter et ad credentem accommodatæ esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa hujusmodi accommodatio cesset, amittunt illæ primigenias notiones ac mutari indigent. — Hæc porro formularum dogmaticarum cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibrio ac despectui; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tamquam devio itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et

imo debent mutari ut vitam vivant sensûs religiosi et accommodatæ mancant ad fidem et ad credentem.

Quare ipsi dogmata despiciunt.

formulis notione carentibus casso labore ac tenacissime inhærens, religionem ipsam dilabi permittat. — *Cæci* equidem *et duces cæcorum,* qui superbo scientiæ nomine inflati usque eo insaniunt ut æternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant: novo invecto systemate, *quo, ex projecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles, incertæ nec ab Ecclesia probatæ adsciscunt, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur* (1).

B. Modernistæ qua CREDENTES admittunt objectivam *divini realitatem* sed tantum ex privata *experientia;*

Atque hæc, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. — Jam si, ad credentem progressus, nossé quis velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus *realitatem* divini ut fidei objectum admittat, hanc tamen ab illo *realitatem* non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut objectum sensus est et affirmationis atque ideo phænomenorum ambitum non excedit: utrum porro in se illa extra sensum existat atque affirmationem hujusmodi, præterit philosophus ac negligit. E contra modernistæ credenti ratum ac certum est, *realitatem* divini reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem hæc credentis assertio nitatur; reponent: in privata cujusque hominis *experientia.* — In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: in *sensu religioso* quendam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quæ ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia præstantiorem: quam si quis, ut rationalistæ, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adjunctis, quæ ad experientiam gignendam requirantur. Hæc porro *experientia,* cum quis illam fuerit assequutus, proprie vereque credentem efficit. — Quam hic longe

(1) Gregor. XVI Ep. Encycl., « *Singulari Nos* » 7 kal. jul. 1834.

absumus a catholicis institutis! Commenta ejusmodi a Vaticana Synodo improbata jam vidimus. — His semel admissis una cum erroribus ceteris jam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse juverit, ex hac *experientiæ* doctrina, conjuncta alteri de *symbolismo*, religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiæ hujusmodi occurrant? occurrisse vero non unus asserit. Quo jure autem modernistæ veritatem experientiæ abnuent, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistæ denegant; quin immo, subobscure alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuipiam quo tandem ex capite, secundum illorum præcepta, foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia *sensus religiosi,* vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religioso sensui* hominique credenti respondeat, quidquid de hujus perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistæ contendere forte possint, catholicam, utpote vividiorem, plus habere veritatis; itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quæ christianismi exordiis respondeat plenius. — Has consecutiones omnes ex datis antecedentibus fluere, nemini erit absonum. Illud stupendum cummaxime, catholicos dari viros ac sacerdotes, qui, etsi, ut autumari malumus, ejusmodi portenta horrent, agunt tamen ac si plene probent. Eas etenim errorum talium magistris tribuunt laudes, eos publice habent honores, ut sibi quisque suadeat facile, illos non homines honorare, aliquo forsan numero non expertes, sed errores potius, quos hi aperte asserunt inque vulgus spargere omni ope nituntur.

inde sequitur religionem omnem, etiam ethnicam, esse veram,

Est aliud præterea in hoc doctrinæ capite, quod catholicæ veritati est omnino infestum. — Nam istud de *experientia* præceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistæ sic traditionem intelligunt, ut sit *originalis experientiæ* quædam cum aliis communicatio per prædicationem, ope

et *traditionis* notionem perverti, quasi sit originalis experientiæ communicatio.

formulæ intellectivæ. Cui formulæ propterea, præter vim, ut aiunt, *repræsentativam, suggestivam* quandam adscribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad *sensum religiosum* forte torpentem excitandum, instaurandamque *experientiam* aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad *sensum religiosum* primo gignendum et *experientiam* producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos qui nunc sunt per prædicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem. — Hæc vero experientiæ communicatio radices quandoque agit vigetque; senescit quandoque statim ac moritur. Vigere autem, modernistis argumentum veritatis est: veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit: religiones omnes quotquot extant veras esse, nam secus nec viverent.

Distant fides et scientia: hæc in solis phænomenis, illa in divino, in Incognoscibili tantum versatur;

Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistæ statuant inter fidem et scientiam; quo etiam scientiæ nomine historia apud illos notatur. — Ac primo quidem tenendum est, materiam uni objectam materiæ objectæ alteri externam omnino esse ab eaque sejunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum: scientia versatur in phænomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quæ scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam nunquam esse posse discidium: si enim suum quæque locum teneat, occurrere sibi invicem nunquam poterunt, atque ideo nec contradicere. — Quibus si qui forte objiciant, quædam in aspectabili occurrere natura rerum quæ ad fidem etiam pertineant, uti humanam Christi vitam; negabunt. Nam, etsi hæc phænomenis accensentur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo, *transfigurata* ac *defigurata* fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta et in divini materiam translata. Quamobrem poscenti ulterius, an Christus vera patrarit miracula vereque futura præsenserit, an vere revixerit atque in cælum conscenderit; scientia agnostica abnuet, fides affirmabit; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus philosophos alloquens, Christum scilicet unice contemplatus secundum *realitatem*

quod et humanæ Christi naturæ applicandum est.

historicam; affirmabit alter ut credens cum credentibus loquutus, Christi vitam spectans prout *iterum vivitur* a fide et in fide.

Scientiæ a fide omnino solutæ fides subjecta dicitur triplici ex capite.

Ex his tamen fallitur vehementer qui reputet posse opinari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subjectam. Nam de scientia quidem recte vereque existimabit; secus autem de fide, quæ, non uno tantum sed triplici ex capite, scientiæ subjici dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta *divina realitate* quamque de illa habet *experientiam* qui credit, cetera omnia, præsertim vero *religiosas formulas,* phænomenorum ambitum minime transgredi, atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere; quamdiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, judicia scientiæ atque historiæ numquam, velit nolit, effugiet. — Præterea, quamvis dictum est Deum solius fidei esse objectum, id de divina quidem *realitate* concedendum est, non tamen de *idea* Dei. Hæc quippe scientiæ subest; quæ, dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei jus habet, eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extrarium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere; videlicet, ut quidam tradit quem magistrum sequuntur, eisdem subdi. — Accedit demum quod homo dualitatem in se ipse non patitur: quamobrem credentem quædam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali ne discrepet idea, quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, ut ut scientiæ extranea prædicetur, eidem subesse. — Quæ omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quæ Pius IX decessor Noster tradebat, docens (1): *Philosophiæ esse, in iis quæ ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non præscribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri.* Modernistæ negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt, quæ Gregorius IX item decessor Noster de quibusdam suæ

Errores illi jam reprobati a Pio IX et Gregorio IX.

(1) Brev. ad Ep. Wratislav. 15 jun. 1857.

ætatis theologis scribebat (1): *Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate; cœlestis paginæ intellectum... ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando, ad ostentationem scientiæ, non profectum aliquem auditorum... Ipsi, doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, et ancillæ cogunt famulari reginam.*

Hinc fit ut a modernistis plura quæ contrarie videantur scribi prout juxta fidem aut juxta scientiam scribunt.

Quod profecto apertius patebit intuenti quo pacto modernistæ agant, accommodate omnino ad ea quæ docent. Multa enim ab eis contrarie videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos æstimet ancipites atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit; ex opinione scilicet quam habent de fidei atque scientiæ sejunctione mutua. Hinc in eorum libris quædam offendimus quæ catholicus omnino probet; quædam, aversa pagina, quæ rationalistam dictasse autumes. Hinc, historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem injiciunt; ad concionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia et Patres nullo loco habent; catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastoralem a scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes (2), despicientiam præceptorum catholicorum, sanctorum Patrum, œcumenicarum synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiæ subjiciendam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiæ opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat: ipsi vero, veteri ad hunc finem theologia sublata, novam invehere contendunt, quæ philosophorum delirationibus obsecundet.

Hic jam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad moder-

---

(1) Ep. ad Magistros theol. paris., non. jul. 1223.

(2) Prop. 29 damn. a Leone X, Bull. « *Exsurge Domine* » 16 maii 1520. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

nistas in theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus: sed paucis absolvendum. — Agitur nimirum de concilianda fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subjectâ. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quæ usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat: principia inquimus *immanentiæ* et *symbolismi*. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens;* a credente additur *hoc principium Deum esse:* concludit ipse *Deus* ergo *est immanens in homine.* Hinc *immanentia theologica.* Iterum: philosopho certum est *repræsentationes objecti fidei esse tantum symbolicas;* credenti pariter certum est *fidei objectum esse Deum in se:* theologus igitur colligit: *repræsentationes divinæ realitatis esse symbolicas.* Hinc *symbolismus theologicus.* — Errores profecto maximi: quorum uterque quam sit perniciosus, consequentiis inspectis patebit. — Nam, ut de *symbolismo* statim dicamus, cum symbola talia sint respectu objecti, respectu autem credentis sint instrumenta; cavendum primum, inquiunt, credenti, ne ipsi formulæ ut formula est plus nimio inhæreat, sed illa utendum unice ut absolutæ adhærescat veritati, quam formula retegit simul ac tegit nititurque exprimere quin unquam assequatur. Addunt præterea, formulas ejusmodi esse a credente adhibendas quatenus ipsum juverint; ad commodum enim datæ sunt non ad impedimentum: incolumi utique honore qui, ex sociali respectu, debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam judicarit, quamdiu scilicet idem magisterium secus quidpiam non edixerit. — De *immanentia* autem quid reapse modernistæ sentiant, difficile est indicare; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo; quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturæ ut causæ primæ cum causæ secundæ; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticæ significationis; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohæret aptius.

C. Modernistæ ut THEOLOGI docent *immanentiam theologicam,*

et *symbolismum theologicum,*

Huic vero *immanentiæ* pronunciato aliud adjicitur, quod a *permanentia divina* vocare possumus: quæ duo inter se eo fere modo differunt, quo *experientia* privata ab *experientia* per

et quandam *permanentiam divinam* quasi omnes chri-

stiani viverent vitam Christi continuatam.

traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit: sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquiunt, et Sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil præter hominem novit, cujus conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est: cavet lex immanentiæ, quæ externas, ut aiunt, *applicationes* respuit: cavet item lex evolutionis, quæ ut germina evolvantur tempus postulat et quandam adjunctorum sibi succedentium seriem: cavet demum historia, quæ talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Quî vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt; christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est: ergo et christianorum vita. Si igitur hæc vita, decursu ætatum, Ecclesiæ et Sacramentis initium dedit: jure omnino dicetur initium hujusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse etiam Scripturas sacras, divina dogmata. — His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supellex: sed ei perabundans, qui profiteatur, scientiæ, quidquid præceperit, semper esse obtemperandum. — Horum ad cetera quæ dicemus applicationem quisque facile per se viderit.

In specie docent

De origine fidei deque ejus natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, præcipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, libri quos sanctos nominamus; de his quoque quid modernistæ doceant, inquirendum.

dogma oriri ex impulsione qua credens, elaborando in cogitatis producit vitaliter formulas, secundarias.

— Atque ut dogma initium ponamus, hujus quæ sit origo et natura jam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cujus qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor in rimando totus expoliendoque primigeniam mentis *formulam,* non quidem in se illam secundum logicam explicationem, sed secundum circumstantia, seu, ut minus apte ad intelligendum inquiunt, *vitaliter.* Inde fit ut, circa illam, *secundariæ* quædam, ut jam innuimus, sensim enascantur formulæ; quæ postea in unum corpus coagmen-

tatæ vel in unum doctrinæ ædificium, cum a magisterio publico sancitæ fuerint utpote communi conscientiæ respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendæ sunt probe theologorum commentationes: quæ ceteroqui, quamvis vitam dogmatis non vivunt, non omnino tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia componendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam præparando. — De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine Sacramenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionibus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum; altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus, quæ Sacramenta dicimus. Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam; quæ vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem concepeirint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic Sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil præterea. Clarius profecto dicerent, si Sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit (1): *Si quis dixerit hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

Sacra et sacramenta oriuntur ex impulsione ad sensibile quiddam tribuendum religioni et ad hanc proferendam; sunt nuda symbola.

De librorum etiam sacrorum natura et origine aliquid jam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen *experientiarum,* non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quæ in quapiam religione sunt habitæ. — Sic prorsus modernistæ docent de libris nostris tum veteris tum novi testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant: quamvis experientia sit præsentis temporis, posse tamen illam de præteritis æque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui

Libri sacri sunt sylloge experientiarum extraordinariarum;

(1) Sess. VII, *de Sacramentis in genere,* can. 5.

credit vel exacta rursus per recordationem in modum *præsentium vivit,* vel futura per præoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalem.* — Quæremus, quid tum de inspiratione? Hæc, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementiâ, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poëtica inspiratione; quare quidam ajebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua præterea inspiratione modernistæ addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, quum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed hæc illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi præceptis judicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet jus theologo detur ea per *immanentiam* divina prædicandi; qui demum inspiratio coarctari possit? Generalem utique modernistæ sacrorum librorum inspirationem asseverant: catholico tamen sensu nullam admittunt.

in his loquitur Deus in tantum per immanentiam et permanentiam vitalem; inspiratio est tantum vehementior impulsio scribendi,

quam, verbo tenus, extendunt ad singulas partes

Largiorem dicendi segetem offerunt, quæ modernistarum schola de Ecclesia imaginatur. — Ponunt initio eam ex duplici necessitate oriri, una in credente quovis, in eo præsertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet; altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate,* ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiæ collectivæ* seu consociationis conscientiarum singularium; quæ, vi *permanentiæ vitalis,* a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis, a Christo. — Porro societas quæpiam moderatrice auctoritate indiget, cujus sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quæ, in religioso cœtu, doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina; *disciplinaris, dogmatica, cul-*

Ecclesia, orta ex necessitate primò communicandi fidem, dein commune bonum tuendi,

est partus *conscientiæ collectivæ;*

item auctoritas

tualis. — Jam auctoritatis hujus natura ex origine colligenda est; ex natura vero jura atque officia repetenda. Præteritis ætatibus vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare *autocratica* merito habebatur. Sed hæc nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest; quam subjectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, quum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine, æque atque vita, una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiæ officium inest democraticis utendi formis; eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta. — Hæc omnia modernistæ ratiocinantur: qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiæ cum credentium libertate componendam.

non a Deo sed ex eadem conscientia collectiva vitaliter emanat, eique subest

et ideo modernis democraticis formis uti debet.

Sed enim non intra domesticos tantum parietes habet Ecclesia, quibuscum amice cohærere illam oporteat; habet et extra. Non una namque ipsa occupat mundum; occupant æque consociationes aliæ, quibuscum commercium et usus necessario intercedat. Quæ jura igitur, quæ sint Ecclesiæ officia cum civilibus consociationibus determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiæ natura, qualem nimirum modernistæ nobis descripsere. — In hoc autem eisdem plane regulis utuntur, quæ supra pro scientia atque fide sunt allatæ. Ibi de *objectis* sermo erat, heic de *finibus*. Sicut igitur *ratione objecti* fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus; sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, hæc spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subjici; licuit de *mixtis* quæstionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed jam hæc a

Quoad relationes Statum inter et Ecclesiam, ex hujus natura determinandas,

alter ab altera, ratione finis, est dissociandus,

philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, jus atque officium habet, Ecclesiæ auctoritate neglecta, ejus optatis, consiliis præceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi quæ civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi præscribere prætextu quolibet, abusus ecclesiasticæ potestatis est, toto nisu rejiciendus. — Ea nimirum, Venerabiles Fratres, unde hæc omnia dimanant, eadem profecto sunt, quæ Pius VI decessor Noster, in Constitutione apostolica *Auctorem fidei,* solemniter damnavit (1).

sicut etiam catholicus a cive.

Sed modernistarum scholæ satis non est debere Statum ab Ecclesia sejungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquiunt, phænomenica scientiæ subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt; ratiocinationis tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accidat credentem, intimis religionis actibus haud contentum, in externos exilire, ut puta administrationem susceptionemve Sacramentorum; necesse erit hæc sub Status dominium cadere. Ecquid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum hæc nisi per externos actus non explicetur; Statui, tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi e protestantibus *liberalibus* cultum omnem sacrum externum, quin etiam externam quamlibet religiosam consociationem e medio tollunt, religionemque, ut ajunt, *individualem* invehere adnituntur. — Quod si modernistæ nondum ad hæc palam progrediuntur, petunt interea ut Ecclesia quo ipsi impellunt sua se sponte inclinet seseque ad civiles formas aptet. Atque hæc de auctoritate *disciplinari.* — Nam de *doctrinali* et *dogmatica* potestate longe pejora sunt ac perniciosiora quæ sentiunt. De magisterio

Ecclesia in temporalibus negotiis subest Statui.

Auctoritas disciplinaris debet se aptare ad civiles formas;

(1) Prop. 2. *Propositio, quæ statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiæ ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: hæretica.* — Prop. 3. *Insuper, quæ statuit Romanum Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia: hæretica.*

Ecclesiæ sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque, qua utantur, formula. Utraque autem hæc unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cujus sit reperire ac determinare formulam, quæ communi conscientiæ rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro conjunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eamdem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistæ collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earumdem conscientiarum commodum mandatum habeat; consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiis pendere, ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere quominus impulsiones quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticæ viam præpedire qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissæ non usus est sed abusus. — Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quemlibet, auctore inscio, notare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum. — Quare heic etiam medium est quoddam iter reperiendum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint jura. Interea temporis catholico sic est agendum, ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. — Generatim vero sic de Ecclesia præscribunt: quoniam ecclesiasticæ potestatis finis ad spiritualia unice pertinet; externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane negligitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi; et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere.

doctrinalis vero debet se conformare communi conscientiæ;

a conscientiis singularibus pendet,

libros auctore inscio proscribere non potest,

adhæsionem internam exigere nequit,

ab externo apparatu abstinere debet.

Porro ut totam hanc de fide deque vario ejus germine materiam absolvamus, restat, Venerabiles Fratres, ut de utrorumque explicatione postremo loco modernistarum præcepta audiamus. — Principium hic generale est: in religione, quæ vivat, nihil variabile non esse, atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod in eorum doctrinis fere

Evolutionis lege omnia subsunt

caput est, videlicet ad *evolutionem*. Dogma igitur, ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua hæc omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. Neque hoc mirum videri queat, si ea præ oculis habeantur quæ sunt de horum singulis a modernistis tradita. Posita igitur evolutionis lege, evolutionis rationem a modernistis ipsis descriptam habemus. Et primo quoad fidem. Primigenia, inquiunt, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quæ ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; nimirum non novitate formarum extrinsecus accedentium, sed ex pervasione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam. Dupliciter autem progressio ipsa est facta: *negative* primum, elementum quodvis extraneum, ut puta ex familia vel gente adveniens, eliminando; dehinc *positive*, intellectiva ac morali hominis expolitione, unde notio divini amplior ac lucidior *sensusque religiosus* exquisitior evasit. Progredientis vero fidei eædem sunt causæ afferendæ, quam quæ superius sunt allatæ ad ejus originem explicandam. Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium præstantissimus est Christus); tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam præsetulerunt, quod fides divinitati tribuebat; tum quia novas nec ante habitas *experientias* sunt nacti, religiosæ cujusque temporis indigentiæ respondentes. — Dogmatis autem progressus inde potissimum enascitur, quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendæ. Adde his nisum quemdam perpetuum ad melius penetranda quæ in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera prætereamus, de Christo factum est: in quo, divinum illud qualecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur. — Ad evolutionem cultus facit præcipue necessitas ad mores traditionesque populorum sese accommodandi; item quorundam virtute actuum fruendi, quam sunt ex usu mutuati. — Tandem pro Ecclesia evolutionis causa inde oritur, quod componi egeat cum adjunctis historicis cumque civilis regiminis publice invectis formis. — Sic illi de singulis. Hic autem, antequam procedamus, doctrina hæc de *necessitatibus* seu *indigentiis* (vulgo *dei bisogni*

fidei primigenia forma rudis evolutione vitali intrinsece progressum accepit

negative et positive,

ex iisdem causis quibus orta est, et influxu hominum extraordinariorum.

Dogmata, cultus, Ecclesia evolvuntur pariter juxta doctrinam *de indigentiis*,

quæ est basis methodi eorum historicæ.

significantius appellant) probe ut notetur velimus; etenim, præterquam omnium quæ vidimus, est veluti basis ac fundamentum famosæ illius methodi, quam historicam dicunt.

Evolutio tamen evenit ex conflictione et pacto inter duas vires:

In evolutionis doctrina ut adhuc sistamus, illud præterea est advertendum quod, etsi indigentiæ seu necessitates ad evolutionem impellunt; his tamen unis acta, evolutio, transgressa facile traditionis fines atque ideo a primigenio vitali principio avulsa, ad ruinam potius quam ad progressionem traheret. Hinc, modernistarum mentem plenius sequuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus, quarum altera ad progressionem agit, altera ad conservationem retrahit. — Vis conservatrix viget in Ecclesia, contineturque traditione. Eam vero exerit religiosa auctoritas; idque tam jure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri; tam re, auctoritas namque, a commutationibus vitæ reducta, stimulis ad progressionem pellentibus nihil aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentiis respondens latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum præcipue qui vitam, ut inquiunt, propius atque intimius attingunt. — En hic, Venerabiles Fratres, doctrinam illam exitiosissimam efferre caput jam cernimus, quæ laicos homines in Ecclesiam subinfert ut progressionis elementa. — Ex convento quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur. Nam privatorum conscientiæ, vel harum quædam, in conscientiam collectivam agunt; hæc vero in habentes auctoritatem, cogitque illos pactiones conflare atque in pacto manere. — Ex his autem pronum est intelligere, cur modernistæ mirentur adeo, quum reprehendi se vel puniri sciunt. Quod eis culpæ vertitur, ipsi pro officio habent religiose explendo. Necessitates conscientiarum nemo melius novit quam ipsi, eo quod propius illas attingunt, quam ecclesiastica auctoritas. Eas igitur necessitates omnes quasi in se colligunt: unde loquendi publice ac scribendi officio devinciuntur. Carpat eos, si volet, auctoritas; ipsi conscientia officii fulciuntur, intimâque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi sed laudes. Utique non ipsos latet progressiones sine certaminibus haud fieri, nec sine victimis certamina:

conservatricem nempe quam exerit auctoritas

et progressionis fautricem quæ in privatorum conscientiis sita est.

Modernistæ pro officio habent necessitates conscientiarum publice exponere et, si carpantur, pro victimis habendi sunt.

sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetæ et Christus. Nec ideo quod male habentur, auctoritati invident: suum illam exsequi munus ultro concedunt. Queruntur tantum quod minime exaudiuntur; sic enim cursus animorum tardatur: hora tamen rumpendi moras certissime veniet, nam leges evolutionis coërceri possunt, infringi omnino non possunt. Instituto ergo itinere pergunt: pergunt, quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatæ demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt: tum quia tenent, auctoritatem stimulandam esse non evertendam; tum quia necesse illis est intra Ecclesiæ septa manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent: quod tamen quum ajunt, fateri se non advertunt conscientiam collectivam ab ipsis dissidere, atque ideo nullo eos jure illius se interpretes venditare.

Sed jam olim reprobatæ sunt doctrinæ de evolutione religionis

Sic igitur, Venerabiles Fratres, modernistis auctoribus atque actoribus, nihil stabile nihil immutabile in Ecclesia esse oportet. Qua equidem in sententia præcursoribus non caruere, illis nimirum, de quibus Pius IX decessor Noster jam scribebat: *Isti divinæ revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat* (1). — De revelatione præsertim ac dogmate nulla doctrinæ modernistarum novitas; sed eadem illa est, quam in Pii IX syllabo reprobatam reperimus, sic enunciatam: *Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat* (2): solemnius vero in Vaticana Synodo per hæc verba: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris*

revelationis et dogmatis;

(1) Encycl. « *Qui pluribus* » 9 Nov. 1846.
(2) Syll. Prop. 5.

intelligentiæ specie et nomine recedendum (1): quo profecto explicatio nostrarum notionum, etiam circa fidem, tantum abest ut impediatur, ut imo adjuvetur ac provehatur. Quamobrem eadem Vaticana Synodus sequitur: *Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum et sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia* (2).

non tamen impeditur explicatio nostrarum notionum circa fidem.

(Continuabitur).

(1) Const. « *Dei Filius* » cap. IV.
(2) Loc. cit.

Instructio S. R. et U. Inquisitionis

AD REVERENDISSIMOS

LOCORUM ORDINARIOS FAMILIARUMQUE RELIGIOSARUM

MODERATORES.

Recentissimo Decreto « *Lamentabili sane exitu* » diei 3 Julii c. a. ab hac S. Congregatione S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, jussu D. N. Pii Papæ X, notati atque proscripti sunt præcipui quidam errores qui nostra ætate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate abreptis, sparguntur, et altioris scientiæ fuco et specie propugnantur.

Quum autem errores occulti serpere, et, quod maxime luctuosum est, incautos animos, juvenum præsertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evellantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, Decreto supra laudato monita quædam adjungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat, consequendum.

Memores igitur imprimis sint ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum sæcularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lyceis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a juvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, præsertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici juris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque rejicerent.

His autem pro zelo, quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adjicere non omittant consilia ac remedia quæ pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna judicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Datum Romæ ex Ædibus S. O. die 28 Augusti 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

DECRETUM

De Sponsalibus et Matrimonio

JUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPÆ X
A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM

Ne temere inirentur clandestina conjugia, quæ Dei Ecclesia justissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1, Sess. XXIV de reform. matrim.* edicens: « Qui aliter quam præsente parocho » vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia » et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere » attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum » omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos » et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium præcepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis parœciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinæ legis caruerint, hodieque careant, et hæsitationibus atque incommodis veteris disciplinæ adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Sæpe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo præsente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cujus in parœcia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est judicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt objecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Hæc dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra ætate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disjunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in jure circa formam celebrandi connubii. Com-

plures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, præsertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicæ Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europæ plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quæ ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quæ secum pericula ferant ejusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertæ puellæ decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adjunctis permotus SS^mus^ D. N. Pius PP. X pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quæ opportuna æstimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad jus canonicum in unum redigendum constituti, nec non E^morum^ Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem sæpius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SS^mus^ Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatæ, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio præsentibus litteris constituit atque decernit ea quæ sequuntur.

De sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quæ contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime præest parœciæ canonice erectæ; sed in regionibus, ubi parœciæ canonice erectæ non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho æquiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quæ contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, juxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quæ infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

§ 1° a die tantummodo adeptæ possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem adsistunt,

§ 1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de jure servandis;

§ 2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quæ ab ea excuset.

§ 4° Quoad *vagos,* extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut

matrimonium coram sponsæ parocho celebretur, nisi aliqua justa causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiæ et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense jam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1°. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui ejus vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario præscriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2°. Præterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, conjugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3°. Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum conjugium in præscriptis libris quam primum adnotetur.

X. — Parochi qui heic hactenus præscripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpæ puniantur. Et insuper si alicujus matrimonio adstiterint contra præscriptum § 2i et 3i num. V, emolumenta *stolæ* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1°. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex hæresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2°. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3°. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Præsens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per ejus transmissionem ad locorum Ordinarios: et quæ in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschæ Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Præsentibus valituris de mandato speciali SS^mi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romæ die 2ª mensis Augusti anni 1907.

✠ VINCENTIUS Card. EP. PRÆNEST., *Præfectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris

—

I

Interpretare Ps. XXIII: *Domini est terra* etc.

II

Expone quid intelligatur nomine *hierarchiæ* in Ecclesia catholica.

III

Breviter expone systema *positivismi moralis.*

IV

Dijudica illud systema.

V

Utrum peregrini possint a superiore loci ubi accidentaliter degunt dispensari in legibus communibus, pro quibus relaxandis ille habet potestatem.

VI

Quænam signa crucis sunt facienda a celebrante ab initio missæ usque ad *Introitum?* Eorum significationem expone.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Paucis expone quomodo in rituali Levitico (Lev. I-VII) sacrificia dividantur ratione rei oblatæ et ratione finis intenti.*

Prænota: Lex seu thora sacrificiorum *Lev.* I-VII respicit solùm cultus publici sacrificia ritualia ante portam tabernaculi vel in templo Hierosolymitano (1) per ministerium sacerdotum offerenda; non agit de sacrificiis extra-ritualibus neque de sacrificiis improprie dictis (2).

Respondetur. I. Ratione rei oblatæ seu materiæ, sacrificia in rituali Levitico (*Lev.* I-VII) dividuntur in sacrificia cruenta animalium et in sacrificia incruenta rerum inanimatarum.

1° **Sacrificia cruenta animalium.** Animalia offerebantur:

a/ in sacrificiis *holocaustis* (c. I). Lex diversas victi-

---

(1) Lex de unicitate sanctuarii ubique in S. Scriptura inculcatur. Quoad objectiones contra originem ejus mosaicam motas cf. DE BROGLIE, *La loi de l'unité de sanctuaire en Israël. Compte-rendu du Congrès scientifique international des catholiques; 2° section: Sciences religieuses*, p. 69 ss., 297, Paris 1891; — VAN HOONACKER, *Le lieu du culte dans la législation rituelle des Hébreux*, Gand 1894.

(2) De sacrificiis extra-ritualibus (*Jud.* VI, 18 ss, 26, 28; XIII, 19; *II Sam.* XXIV, 18-25; *I Reg.* XVIII, 30 ss. etc.) et improprie dictis cf. VAN HOONACKER, *Le Sacerdoce lévitique dans la loi et dans l'histoire des Hébreux*, Londres-Louvain 1899, p. 9, 13, 15 s., 239, 252 ss., 264. Quæstionem utrum hæc legislatio de sacrificiis tota simul nata sit, vel potius partes plures ei successive accreverint, hic intactam relinquimus. Vide VAN HOONACKER, *o. c.*, passim; — DE HUMMELAUER, *Commentarius in Exodum et Leviticum*, Parisiis 1897, p. 355 ss.; — GIGOT, *Special introduction to the study of the old Testament*, New-York 1901, p. 23 ss.

mas modumque immolationis breviter recenset. Victima erat aut pecus v. 2 aut avis v. 14; si pecus, erat aut bos vv. 3-9, aut ovis sive capra vv. 10-13; si avis, erat columba vel turtur vv. 14-17. Victima semper erat masculus et « immaculata » i. e. ab omni vitio vel defectu expers, v. g. v. 3, 10.

b/ in sacrificiis *pacificorum* (c. III). Eorum victima erat aut bos vv. 1-5; aut minus aliquod quadrupedum, et quidem aut ovis vv. 6-11, aut capra vv. 12-16. Aves, quæ in holocaustis I, 14 adhibebantur, a pacificis excludebantur quæ in tres dividendæ erant partes Deo, sacerdoti, fidelibus tribuendas: vix autem decenter dividi poterant tam exigica animalia. Non tantum mares, ut in holocaustis adhibebantur, sed femellæ etiam (vv. 1, 6) tanquam hostiæ pacificorum offerebantur, at semper hostia « immaculata » requirebatur (vv. 1, 6).

c/ In sacrificiis *pro peccato* (c. IV-V, 13). Peccatum Pontificis (qua talis) vitulo immaculato v. 3, peccatum universi populi pariter vitulo v. 14, peccatum autem principis hirco de capris v. 23, peccatum verò hominis plebei capra v. 28 vel etiam agna immaculata v. 32 expiandum erat. « Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures aut duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato et alterum in holocaustum » V, 7. Imo pauperibus quandoque permittebatur sacrificium incruentum: « Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam » sed absque oleo et thure « quia pro peccato est » v. 11.

d/ In sacrificiis *pro culpa seu delicto* (V, 14-VI, 7) immolandus erat « aries immaculatus de gregibus » (V, 15, 18; VI, 6).

2° **Sacrificia incruenta rerum inanimatarum** c. II. Tres classes recensentur: alia sacrificia constabant *soleth* i. e. tenuissima farina vv. 1-3; alia *opere pistorio* sc. panibus seu placentis azymis coctis sive in clibano sive in sartargine, sive in craticula. Simila autem sive

cocta, sive non cocta, oleo conspergebatur et sale condiebatur (vv. 4-10). Pars cum thure super altare cremabatur; pars reliqua sacerdotum erat. Tertia classis constabat *primitiis frugum* cum oleo et thure vv. 14-16.

Sacrificia incruenta generatim cruenta sacrificia comitabantur v. g. sacrificia holocausta et pacifica; attamen seorsim quandoque offerebantur (1).

Notandum occurrit non quæcumque animalia sed tantum boves, oves, capras, turtures et columbas offerri potuisse; pariter in sacrificiis incruentis solam similam seu farinam oleo conditam fuisse oblatam. Ratio hujus delectus in fundamentali sacrificiorum significatione quærenda videtur. Scil. ea animalia eæque res inanimatæ offerri debebant, integre vel partim saltem in honorem Dei destruendæ, quæ vitæ humanæ sustentandæ apud Hebræos maxime usuveniebant, adeoque præ cæteris aptæ erant ad vitam humanam repræsentandam. In sacrificiis enim victimæ ipsi offerenti substituebantur: sacrificium nihil aliud erat quam oblatio vitæ humanæ, per victimam symbolice figuratæ, facta Deo ad hujus supremum dominium in res omnes creatas, speciatim in vitam humanam, recognoscendum. Hanc apud Hebræos fuisse fundamentalem sacrificii significationem ex ipsa victimæ ad altare holocaustorum adductione, maxime autem e manuum super victimam impositione, necnon e sanguinis victimæ effusione vel rei inanimatæ destructione egregie colligitur (2).

II. Ratione **finis** sacrificia *Lev.* I-VII dividuntur in quinque species diversas jam indicatas. Recensentur enim:

1° Sacrificium *holocaustum* (hebr. *olah*, apud LXX

---

(1) Cf. Van Hoonacker, *Le Sacerdoce lév.* etc., p. 411.

(2) Cf. Ills Lambrecht, *De Sanctissimo Missæ Sacrificio*, Lovanii 1875, p. 101 ss.; — J. B. Pelt, *Histoire de l'Ancien Testament*, Paris 1904, t. I, p. 255 ss.; — Orelli, *Realencyclopaedie für protestantische Theologie und Kirche*, t. XIV (Leipzig, 1904) p. 386 ss.; — Schanz apud Wetzer und Welte, *Kirchenlexicon*, t. IX (Freiburg i. B. 1895), p. 868 ss.

ὁλοκαύτωμα vel ὁλοκαύτωσις vel ὁλοκάρπωμα fl. *brandoffer;* germ. *Steigopfer*, vel *Ganzopfer)* hoc nomine appellatum quia victima integre (1) super altare holocausti comburebatur « in odorem suavissimum Domino » (I, 13, 17). « Hoc dicebatur *holocaustum*, quasi totum incensum... Et ideo totum comburebatur ut, sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem et omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei esse offerenda » (2). Erat igitur omnium sacrificiorum perfectissimum et excellentissimum (3). Juxta *Num.* XV, 8-12 omne sacrificium holocaustum sibi incruentum sacrificium adnexum habebat. Præscriptum erat holocaustum quotidianum *Lev.* VI, 8-13: præter holocaustum quotidianum matutinum, quod interdiu sicut et aliæ victimæ comburebatur, holocaustum vespertinum per totam noctem producendum erat. Ignis in altari semper ardere debebat.

2° Sacrificium *pacificorum* [heb. *zebah* (mactatio) vel *schelamim*, nomen plenum: *zebah schelamim:* sacrificium restitutionis seu gratiarum actionis; fl. *vredeoffer* vel *heiloffer;* germ. *Gemeinschaftsopfer* vel *Friedensopfer*]. Hostiæ pacificæ offerebantur vel in gratiarum actionem seu potius, ut ait S. THOMAS (4) « ex debito beneficii vel accipiendi (5) vel accepti », vel ex obligatione voti, vel demùm sponte (*Lev.* VII, 11-21).

Rite observat PELT (6): « La partie caractéristique de ce sacrifice est le repas solennel qui lui fait suite. Après la combustion des parties grasses, la poitrine était consacrée au Seigneur par la cérémonie de « l'a-

(1) Sola pelle excepta quæ sacerdotibus competebat.

(2) Cf. S. THOM, *S. Theol*, 1ª, 2ᵃᵉ, q. CII, a. 3 ad 8ᵐ.

(3) Omne Sacrificium holocaustum comitabatur sacrificium incruentum *Num.* XV, 8-12.

(4) *o. c.*, q. CII, a. 3 ad 8.

(5) Cf. v. g. *Jud.* XX, 26; *I Reg.* XIII, 9; *II Reg.*, XXIV, 25.

(6) *o. c.*, p. 260.

gitation » et, avec l'épaule droite, était assignée aux prêtres. Tout le reste de la chair était mangé par ceux qui avaient offert le sacrifice, en un festin religieux auquel étaient conviés tous les membres et les serviteurs de la famille, ainsi que les lévites pauvres » (1).

Sacrificia pacificorum supremum Dei dominium attestabantur: in ipsis enim Deo oblata est adeps « quæ operit vitalia » et sanguis, i. e. « flos carnis » (*Lev.* 3, 16 ss.), et hoc modo offerentes confitebantur omnia bona, et præprimis ipsam vitam, Deo referenda esse.

3° Sacrificium *pro peccato* IV-V, 13 (heb. *hatath*, ἁμαρτία, τὸ περὶ ἁμαρτίας; fl. *zondoffer;* germ. *Sündopfer*). Patet hujus sacrificii a reliquis sacrificiis differentia: non consumitur totum super altare, uti holocaustum; non habet annexum epulum sacrum, uti pacificum. Item pauperes qui loco victimæ V, 11 similam offerunt, non addunt oleum et thus (2).

Sanguis victimæ pro peccato Pontificis IV, 3-11 vel totius communitatis IV, 13-21 in tabernaculum testimonii inferebatur (3), adeps super altare holocausti comburebatur, pellis et reliquum corpus extra castra cremabantur. At verò ubi sanguis non ferebatur in tabernaculum testimonii, uti v. g. in sacrificio oblato pro peccato principis IV, 22-26 vel etiam pro peccato hominis privati IV, 27-35, victima sacerdotibus cedebat, excepto sanguine quo prius tingebantur cornua altaris holocausti et dein ad basin ejus effundebatur, excepta pariter adipe quæ super altare cremanda erat.

Finis hujus sacrificii erat ipsa peccati expiatio: victimam peccato onustam homo reus sibi ipsi substituebat, atque ad Deum placandum seu ut peccatum ipsi « dimitteretur » vitam animalis in Dei honorem destruebat.

---

(1) *Lev.* III, VII, 11-21.

(2) Cf. *Num.* V, 15.

(3) « Ce sang est porté d'autant plus près de Dieu que la faute à expier est plus grande, soit en raison du nombre des coupables, soit en raison de leur dignité ». Pelt, *o. c.*, t. I, p. 259.

Vita enim animalis symbolum erat propriæ suæ vitæ. Vita autem hæc in sanguine (1) et in adipe quæ « vitalia » seu intestina cooperiebat, præcipue sedem habere reputabatur. — Sacrificium pro peccato offerendum erat ubi quis peccaverat « non sponte, nesciens, ignorans » (2). Peccata ex mera malitia seu ex contemptu Legis commissa morte mulctabantur.

4° Sacrificium *pro delicto* (heb. *ascham*, τὸ ὑπὲρ ἀγνοίας; fl. *schuldoffer,* germ. *Schuldopfer*). Sanguis victimæ circa altare effundebatur, adeps super altare cremabatur et reliqua victima sacerdotibus tradenda erat VII, 1-10. Sicut in sacrificio pro peccato victima *delictum* expiare seu potius pro eo *satisfacere* debebat. Hoc sacrificium offerendum erat ubi ex ignorantia (i. e. non ex mera malitia) jus tertii (sive sanctuarii, sive sacerdotum, sive hominis privati) læsum fuerat. Insuper reus sex quintas damni illati restituere debebat V, 16; VI, 5.

5° *Oblatio* seu *munus* (heb. *mincha*, δῶρον, προσφορά; fl. *spijsoffer,* germ. *Speisopfer*) c. II. Ordinarie pars tantum rei oblatæ cum integro incenso comburebatur (3), vinum apud altare effundebatur. Quod ex oblatione reliquum erat, sacerdoti competebat.

Hoc sacrificio supremum Dei dominium agnoscebatur, quatenus homo in Dei honorem eas substantias destruebat quæ vitæ humanæ sustentandæ proxime inserviebant (4).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. *Lev.* XVII, 11 : « Quia *anima carnis in sanguine est*: et ego dedi illum vobis ut super altare *in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit* ».

(2) *Num.* XV, 24-29.

(3) Oblationes quas sacerdotes pro seipsis offerebant, erant integre igne consumendæ.

(4) Pars super altare comburenda *memoriale* (heb. *azkarah*) vocabatur, quia Jehovæ memoriam offerentis exhibebat.

II

Q. *Expone notionem* indefectibilitatis *Ecclesiæ.*

R. 1. Definitur: Ecclesiæ necessitas permanendi, usque ad consummationem sæculi, in statu substantialiter eodem in quo fuit condita.

Necessitas permanendi: nomine enim indefectibilitatis non significatur tantum perpetuitas seu perpetua duratio, sed *necessitas* talis durationis, seu *impossibilitas* desitionis. « Perennitas rei dupliciter haberi potest: *contingenter* et *necessario.* Contingenter permanere dicitur quod ita durat ut sive ratione essentiæ suæ sive ratione finis propter quem exsistit *nulla* sit *exigentia* suæ durationis, ideoque absque ulla contradictione verificari possit ejus desitio. E contrario necessario perseverat quod ideo durat quia ejus essentiæ vel fini repugnat desitio. Necessitas rursus duplex distinguenda: *absoluta* et *hypothetica:* ea oritur ex ipsis rerum naturis per se spectatis, valetque in quavis hypothesi: hæc supponit aliquam contingentem hypothesim qua potest aliquid necessario esse cum rei alicujus natura. Hanc alteram (sc. hypotheticam) vindicamus perennitati Ecclesiæ, supposita nempe institutione Christi, quæ institutio finem quoque complectitur propter quem a Christo facta est » (1).

Usque ad consummationem sæculi: h. e. usque dum genus humanum in stadio viæ degat in terris. Inde intelligitur indefectibilitatem esse proprietatem Ecclesiæ quatenus hæc viget in hac terra.

In statu substantialiter eodem: non enim sufficit ut illa societas a Christo instituta quomodocumque permaneat in existendo, sed requiritur ut servet eamdem *essentiam,* easdemque *proprietates* (2) in quibus fuit ab Auctore

(1) Palmieri, *De Romano Pontifice,* Romæ, 1877, p. 27.

(2) Nomine *proprietates* designantur illæ perfectiones quæ ad essentiam consequi intelliguntur et quæ *necessario* cum illa essentia connectuntur.

suo constituta. Inde Ecclesia remanere debet vera *societas,* recta illa *auctoritate* quam instituit Christus et sub hac *forma regiminis* quam Ipse indidit; nec potest Ecclesia unquam fieri inepta ad attingendum *finem,* qui est sanctificatio hominum; nec potest deficere a *fide,* quum munus receperit docendi omnes gentes quæcumque mandavit Christus; nec amittere potest illas *proprietates,* quibus illam voluit insignitam esse Christus, v. gr. unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem (1).

2. Indefectibilitas Ecclesiæ obtinetur Dei providentia qua homines ita dirigit et eventus ita disponit ut de facto Ecclesia permaneat in statu substantialiter eodem. Indefectibilitas est quidem Ecclesiæ proprietas, non autem *nota:* quia de illa nequit constare nisi in consummatione sæculi.

3. Ex dictis constat indefectibilitatem Ecclesiæ importare *immutabilitatem* quoad essentialia: ita Ecclesia remanere debet societas *inæqualis,* h. e. constans præpositis et subditis; ejus regiminis forma debet remanere *monarchica,* ita tamen ut cum Summo Pontifice sint semper episcopi; depositum fidei, h. e. complexus veritatum a Deo revelatarum, est etiam immutabile, et sensus verus dogmatum est immutabilis (2); quoad cultum etiam et quoad præcepta morum habetur in Ecclesia immutabilitas substantialis.

Attamen quum Ecclesia hominibus constet et in illis

---

(1) « Indefectibilitas minime confunditur cum Apostolicitate, sumpta sub generali illa acceptione, juxta quam Ecclesia cujuscumque temporis debet esse eadem cum Ecclesia in Apostolis fundata; Apostolicitas enim sic sumpta dicit Ecclesiam, *quamdiu ea durat,* debere esse eamdem cum Ecclesia fundata in Apostolis; indefectibilitas dicit eam in hac identitate *duraturam esse usque ad mundi exitum* ». MAZZELLA, *De Religione et Ecclesia,* Romæ, 1885, n. 740.

(2) « Si quis dixerit, fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia: anathema sit ». *Conc. Vatic.* Sess. III; V. DENZINGER, *Enchiridion,* n. 1665.

vivat, quum diversis vicissitudinibus per decursum sæculorum sint homines subjecti, quum illorum cogitandi ac agendi modus sit obnoxius progressui et regressui, ideo etiam quædam mutabilitas in Ecclesia invenitur in exponenda doctrina et in condendis legibus et consequenter in actionibus fidelium. Quædam in exemplum adducamus: quum circa veritates revelatas exerceatur labor intellectualis, acquiritur perfectior cognitio veritatum revelatarum, etiam oriuntur hæreses: inde paulatim quædam explicite definiuntur credenda, quædam explicite damnantur; præterea ipsa scientia fidei, et præsertim scientifica dogmatum expositio subjicitur fluctuationi et fit ut in tali temporis spatio prævaleat una sententia, in alio alia. Quoad usum sacramentorum, v. gr. pœnitentiæ, diversus erat in primis Ecclesiæ sæculis ac nunc est. Quoad disciplinam ecclesiasticam multa decreta sunt a Concilio Tridentino; etiam nunc, sub ductu Pii X, adlaborant viri ad redigendas in unum et ad reformandas, si opus est, leges ecclesiasticas; Leo XIII justitiæ et charitatis præcepta ad conditionem opificum meliorem reddendam applicuit; Pius X magis quam unquam antea factum erat, promovit quotidianæ communionis praxim, determinavitque dispositiones ad illam requisitas.

In his omnibus apparet quomodo Ecclesia licet essentialiter immutabilis, vivat cum hominibus viventibus, et, aliquo vero sensu, sese accommodet temporum adjunctis, variisque hominum necessitatibus: sic etiam Dei manifestat perfectionem: qui quum in se ipso simplicissimus sit ac prorsus immutabilis, est tamen diversissimus in operibus suis et per innumerabilia et varia media illum infallibiter attingit finem quem ab æterno statuit esse obtinendum.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica differentiam legem æternam inter et naturalem.*

R. Concipi debet lex æterna ut actus Dei immanens, quo necessario et ab æterno vult creaturas omnes a se condendas ad finem convenienter ordinari; lex vero naturalis, ut participatio legis æternæ in creatura rationali. Aliis verbis: lex æterna est ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans; lex vero naturalis est ordinatio divina seu mandatum Dei creaturæ rationali per lumen rationis intimatum, ordinem rationalem servari jubens, perturbari vetans (1).

Differt proin lex naturalis a lege æterna (2).

1° Lex æterna est ordinatio *omnium creaturarum* in finem supremum, lex naturalis est ordinatio *creaturæ rationalis* in finem proprium.

Ex supradatis definitionibus consequitur legem æternam *universalem* esse, adeo ut non solum extendatur ad ordinem *moralem* seu operationes quibus entia rationalia in finem contendunt, sed etiam ad ordinem *physicum* seu operationes entium ratione carentium, imo ad ordinem *supernaturalem*, seu operationes quibus homo in filium Dei adoptivum elevatus ad finem æternæ vitæ tendit (3).

Respectu creaturarum rationalium lex æterna, in quantum est præceptiva, dicitur lex vera et proprie

---

(1) Cf. S. Thomas, *Summa theologica*, I-II, q 91, 93, 94; Suarez, *De legibus*, l. I, c. 1 et ss.; Meyer, *Institutiones juris naturalis*. P. I. *Jus naturæ generale*, p. 193 ss., n° 238 ss. Friburgi-Brisgoviæ, 1885; Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 2, p. 193 ss, n° 58; p. 196 ss, n° 60 ss. Brugis 1890; Van den Berghe, *Tractatus de legibus*, edit. 2, p. 14 ss, n° 15 ss. Brugis, 1904; Noldin, *Summa theologiæ moralis. De principiis*, edit. 6, p. 119 ss, n. 99 ss. Œniponte, 1906.

(2) Bouquillon, *o. c.*, p. 205, n° 64; Van den Berghe, *o. c.*, p. 20, n° 23; Meyer, *o. c.*, p. 199, n° 244.

(3) Noldin, *o. c.*, p. 120.

dicta; respectu entium irrationalium, in quantum est motiva et directiva, dicitur tantummodo lex per analogiam (1).

Plerumque, solum ad ordinem moralem, eumque naturalem considerari solet. Jam vero hanc legem æternam non secundum totum suum ambitum consideratam, sed secundum ea quæ ad debite ordinandam creaturam rationalem pertinent, homini communicavit seu promulgavit Deus per lumen rationis in creatione. Hæc autem participatio legis æternæ in rationali creatura vocatur lex naturalis, ordinem rationalem conservari jubens ut ordinate vivat homo erga Deum, erga seipsum, erga alios homines, hominumque communitatem.

2° Lex æterna est ordinatio in Deo ipso manens et a solo Deo cognosci potest; lex naturalis est ordinatio in creatura rationali expressa et lumine rationis cognoscitur.

Lex æterna qua talis essentialiter consistit in actu Dei immanente. Etenim nihil aliud est quam ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum; « est ipse Deus, divinus intellectus, spectatus a parte ordinis quem necessario pro essentiis rerum metaphysicis concipit propter semetipsum » (2). Unde censetur consummata et perfecta eo ipso quod in mente legislatoris stabilita est. Apposite S. Thomas (3): « lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia Verbum divinum est æternum », scilicet in Deo immanenter ab æterno prolatum (4). Unde « legem æternam nullus potest cognoscere, secundum quod in seipsa est, nisi solus Deus et beati, qui Deum per essentiam vident » (5). Inde sequitur quod lex æterna, etsi supremum fundamentum sit a

(1) Van den Berghe, *o. c.*, p. 14 s., n° 16.
(2) Feye, *Tractatus autogr. de legibus*, p. 34, n° 26.
(3) I-II, q. 91, a. 1 ad 2.
(4) Meyer, *o c.*, p. 195, n° 239.
(5) S. Thomas, I-II, q. 93, a. 2.

quo omnis vis quarumlibet legum repetatur, tamen *per se* subditos non habeat, nec ullam obligationem in hominibus nisi mediante lege divina aut humana pariat, cum eis non sit promulgata.

Ex altera parte, ut optime notat Meyer (1), « concipi debet lex naturalis tanquam manifestatio seu *externa promulgatio* ipsius legis æternæ in tempore facta et quidem *pro et in rationali creatura,* non tanquam aliquid huic extrinsecus superadditum, sed ita, ut ipsa natura rationalis *per inclinationem naturalem (divinitus impressam) ad suos proprios actus* sit legis æternæ participatio et promulgatio, quemadmodum est rationis divinæ creata quædam imago » (2).

3° Inde deducitur quod lex naturalis, quamvis objective legem æternam referat, *ratione sui* tamen temporalis est. Nam ipse actus creationis, quo creaturæ rationalis existentia actuatur, simul est actus legislationis quo lex naturalis qua talis fertur et promulgatur (3).

A. De Meester.

IV

Q. *Præmissa distinctione inter habitum entitativum et operativum, explica quodnam sit subjectum habitus operativi in genere.*

R. 1. Habitus communiter *definitur:* Qualitas difficile mobilis secundum quam subjectum bene vel male se habet sive quoad esse sive quoad operationem (4).

---

(1) p. 198, n° 243.

(2) S. Thomas, I-II, q. 91, a. 2.

(3) Meyer, *o. c.*, p. 199, n° 244.

(4) Ab habitu, *dispositio* (gesteltenis) differt in hoc tantum quod ea sit facile mobilis seu transitoria. Ita « si aliquis imperfecte habeat scientiam, ut de facili possit ipsam amittere, magis dicitur *disponi* ad scientiam, quam scientiam *habere*. Ex quo patet quod nomen *habitus* diuturnitatem quamdam importat; non autem nomen *dispositionis*. » 1-2, q. 49, a. 2. — Cfr. De Jaegher: *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, p. 192; *Revue des Sciences philosophiques et théologiques*, Janvier, 1907, p. 94 ss.

In illa definitione continetur notio habitus tum entitativi tum operativi.

Subjectum, qualecumque sit, per illam accidentalem supervenientem determinationem qui est habitus, se habet secundum certum modum sive convenientem sive non convenientem exigentiis naturæ suæ. Cum vero « natura ordinatur ad finem qui est operatio, vel certe aliquod operatum quod nonnisi operatione perficitur » (1) inde sequitur habitum semper importare respectum quemdam ad operationem.

Jamvero respectus ille potest esse plus minusve mediatus, prout habitus afficiat rem quæ ipsi operationi propius accedat. Propius autem accedit operationi, ipsa *potentia* operans quam *natura* potentiâ prædita.

Unde habitus qui immediate afficiunt substantiam, essentiæque rei insunt, ut sanitas, ægritudo, vocantur *substantivi* seu *entitativi;* qui vero proxime afficiunt ipsam potentiam activam, illamque ad determinatam operationem bene vel male disponunt, vocantur habitus *operativi.*

In doctrina theologica in qua de operationibus in debitum finem dirigendis agitur, præprimis de habitibus *operativis* sermo fit. Ideo de illorum subjecto nunc agimus.

2. *Habitus operativi præcipue subjectantur in homine, primario non in ejus corpore sed in anima; et quidem in potentiis; in superioribus simpliciter, in potentiis inferioribus secundum quid.*

Quod nunc per partes breviter evolvimus et probamus.

a) *Habitus operativi præcipue subjectantur in homine.*

Jam ex prædictis patet nihil esse susceptivum habitus, nisi id quod pluribus modis in seipso disponi potest vel diversimode ad agendum determinari. Quo magis autem et perfectius subjectum se *ad varia* dis-

(1) Cfr. Billot: *De virtutibus infusis,* Romæ, 1901, p. 18 s.

ponere valet, eo aptius est ad perfectiores habitus induendos, quibus ad quædam *determinata* peragenda, promptitudinem acquirat et facilitatem. Quæ vero natura sua *ad unum* determinantur, habitus acquirere vel nullo modo possunt, ut res inanimatæ, vel tantum modo imperfecto, ut bruta animalia, utpote quæ unice ex instinctu ducantur (1). *In homine*, cum perfecta libertate gaudeat qua inter diversa et opposita eligere valet, eo ipso perfectius inveniuntur habitus operativi (2).

b/ *Primario non in corpore sed in anima.*

Nullus habitus operativus est principaliter in corpore sicut in subjecto. Omnis enim operatio corporis est aut a naturali qualitate corporis, aut est ab anima movente corpus. Quoad illas operationes quæ sunt *a natura,* non disponitur corpus per aliquem habitum stricte dictum propter rationem supra datam; virtutes enim naturales sunt determinatæ ad unum; non sunt in potentia ad multa et diversa. Operationes vero quæ sunt *ab anima per corpus*, principaliter quidem sunt ipsius animæ, secundario vero ipsius corporis; et ideo habitus, cum proportionentur operationibus, principaliter sunt in anima, in corpore vero possunt esse secundario, inquantum scil. corpus disponitur et habilitatur ad prompte deserviendum operationibus animæ (3).

c/ *Et quidem in potentiis animæ; in superioribus, simpliciter; in inferioribus, secundum quid.*

Etenim anima non est immediatum principium operationis per suam essentiam. « Si ipsa essentia animæ esset immediatum operationis principium, semper habens animam actu haberet opera vitæ: sicut semper habens animam actu est vivum » (4). Ideo anima ope-

---

(1) « In brutorum potentiis aliquod vestigium habituum agnosci potest, quatenus contingit eas sub directione æstimativæ, aut maxime ex applicatione artis humanæ stabilem aliquam contrahere inclinationem ad unum ». De Jaegher, *o. c.*, p. 193.

(2) Cfr. S. Thom., 1-2, q. 50, a. 1.

(3) Ita ad verbum fere S. Thom., 1-2, q. 50, a. 1, in corpore.

(4) Cfr. S. Thom., 1ª pars, q. 77, a. 1, in corpore.

ratur per aliquid a se distinctum, per aliquas proprietates naturales, quæ sunt principia quibus proxime operationes peraguntur (1). Ita principium quo proximum actionis intelligendi est intellectus, volendi voluntas.

Jamvero habitus operativi sunt determinationes accidentales (2) quibus homo ad operari bene vel male pro naturæ exigentia ordinatur. Ergo subjectantur in *potentiis* animæ (3).

Porro in anima diversæ sunt facultates, superiores scil. et inferiores: in ipsis pro eorum diversa natura diversimode insunt habitus operativi. In qua re dijudicanda, semper præ oculis habendum est principium jam pluries enuntiatum: nullam potentiam esse susceptivam habitus nisi diversimode possit ad agendum ordinari, ita ut indeterminatio per habitus tolli possit. Unde in intellectu et voluntate, quum sint potentiæ rationales adeoque de se indeterminatæ (4), *simpliciter* subjectantur habitus operativi; in potentiis autem sensitivis possunt esse aliqui habitus, non secundum quod hæ vires sensitivæ operantur ex instinctu naturæ, quia sic ordinantur ad unum; sed secundum quod ex judicio rationis et voluntatis imperio operantur. Ideo dicuntur habitus

---

(1) « Operationis principia diverso titulo sunt tum suppositum, tum natura, tum operativa potentia, tum habitus. *Suppositum* nempe est operationis principium quod, unde habet operatio ut sit...; *natura* est operationis principium quo remotum, cujus virtute omnès actiones remote formantur, ut sint puta humanæ, animales, etc.; *potentia* vero est operationis principium quo proximum, unde tanquam a principio formali immediato unaquæque operatio sortitur propriam sibi definitam rationem ». De Jaegher, *o. c.*, p 193.

(2) « A potentiis distinguuntur operativi habitus, eo quod ii non, ut potentiæ, insunt naturæ per se (nisi forte inchoative); quodque non, ut potentiæ, ordinantur ad operari simpliciter, sed ad operari bene vel male pro naturæ exigentiâ ». De Jaegher, *o. c.*, p. 194.

(3) Cfr. S. Thom., 1-2, q. 50, a. 2.

(4) Scite animadvertit S. Thomas in III, D. 23, q. 1, a. 1: « Nec habitibus indiget voluntas humana secundum quod est naturaliter *determinata* ad bonum. Similiter etiam nec intellectus agens qui habet *determinatam* actionem, scilicet facere intelligibilia in actu ».

operativi in facultatibus inferioribus inesse *secundum quid* (1).

V

Q. *Utrum et quonam sensu communis notio virtutis recte definiatur: habitus operativus bonus.*

R. *De se, vi nominis, virtus dicit perfectionem seu ultimum potentiæ. Jamvero illud ultimum potentiæ, obtinetur in homine per habitum operativum bonum, quo potentia non solum absolute sed ut exsecutiva, in debitum finem dirigitur.*

Explicatur:

1. Nomen virtutis generatim sumptæ (gr. ισχυς, δυναμις) designare videtur, uti notat S. Thomas (2), potentiæ complementum, secundum quod res aliqua, per potestatem completam quam habet, potest sequi suum impetum vel motum. Quum autem complementum potestatis consideratur per ordinem ad operationem completam et perfectam, *virtute* designatur potentiæ perfectio qua subjectum aptum efficiatur ad operationem connaturalem complete et perfecte exercendam (3). Jamvero illud præcise obtinetur per habitum operativum bonum (4).

Attamen si omnis habitus operativus bonus est illud ultimum potentiæ de quo modo diximus, non vicissim omne ultimum potentiæ potest dici qualitas illa *acciden-*

---

(1) Cfr. S. Thom., 1-2, q. 50, a. 3. — Ill^m ac Reverend^m D. Waffelaert, *Tract. de Prudentia, Fortitudine ac Temperantia*, Brugis, 1889, p. XVI s. — Mazzella, *De Virtutibus Infusis*, Romæ, 1879, p. 3 ss.

(2) Q. Disp. De virtutibus in communi. a. 1; Pesch, *De Virtutibus*, Friburgi Br. 1896, p. 1.

(3) Illud apte describit R. P. Janvier, *Première Conférence sur la Vertu*, Lethielleux, Paris, 1906, p. 12: « La vertu ajoute un surcroît de vigueur, une provision d'énergie, un complément de souplesse aux forces agissantes qu'elle élève à leur dernier degré: virtus est ultimum potentiæ ».

(4) Cfr. supra, p. 642.

talis quæ vocatur habitus operativus. Ad hoc enim requiritur ut habeatur distinctio potentiam inter et virtutem, eam perficientem. Illa distinctio evidenter deficit v. gr. apud naturalia elementa, quæ nullo complemento ad perfectiorem operationem adduci possunt, quia *per seipsa* sunt ultimo ad actum perfecta. Sic pro eodem accipitur potentia et virtus ignis, caloris etc. (1). Quando vero sermo fit de potentiis quæ per se non determinantur ad unum, sed, uti potentiæ humanæ, bene vel male agere valent, tunc distinguitur *potentia* ab illo quo perficitur in ratione operationis, seu ab ipsa *virtute*.

Unde virtus in homine est aliquid accidentale, superveniens; nempe est qualitas perficiens potentiam activam ad bene agendum. Ergo recte definitur: habitus operativus bonus (2).

2. Nunc autem, si intimius inquirere velimus quonam sensu virtus dicatur habitus operativus bonus, dicendum est occurrere habitus operativos bonos duplicis speciei. Alii perficiunt potentiam absolute secundum intrinsecam suam rationem tantum, seu nihil aliud præstando quam habilitatem ad operationem rectam, quin illa habilitas in usum deducatur. Ita habitus intellectuales, ars et scientia, in quodam subjecto existere possunt, quamvis agens hic et nunc in operando ab iis habitibus sciens et volens abstineat. Illi habitus boni, *virtutes lato sensu* appellantur (3). Alii habitus non tantum perficiunt potentiam absolute quoad posse bene

---

(1) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 20 s.

(2) Cfr. Schiffini, *Tractatus de Virtutibus Infusis*, Romæ, 1904, p. 2 s.

(3) « Dit zijn immers zoovele genegenheden der ziel, die ons bekwaamheid geven om het zedelijk goed te doen; maar dewijl zij alleenlijk in het verstand gezeteld zijn, maken zij ons niet bereidveerdig en genegen om het zedelijk goed te doen, als de gelegenheid zich aanbiedt; en zoo zijn zij geene ware deugden ». Lambrecht, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, bl. 1261. — Ulterius de intima natura habitus præsertim intellectualis, utrum ab ipsis speciebus impressis distinguatur necne, disputatur apud philosophos. Cfr. v. gr. Meyer, *Institutiones Juris Naturalis*, Friburgi B., 1901, Pars I^{a}, p. 108.

agere, sed faciunt ut agens habilitate collata utatur (1), ita ut, si in determinata materia recte non agat, illud pro defectu habitus computetur. Sic pro defectu habitus temperantiæ reputabitur quando quis, alias temperatus hic et nunc gulæ indulget. Illi habitus operativi boni, vocantur *virtutes sensu stricto* et de his in doctrina theologica agitur.

Notandum remanet bonitatem seu rectitudinem operationis (2) elicitæ a facultate, virtute prædita, in hoc consistere, quod cum recta ratione concordat, seu quod ordinatur in ultimum finem qui Deus est (3).

---

(1) Hoc sensu dicitur supra: quo potentia ... *ut exsecutiva* in finem dirigitur. — Hæc magis evoluta videri possunt apud BILLOT, *o. c.*, p. 21.

(2) Agitur de rectitudine propria et formali quam, mediante habitu bono, ipsa operatio habet. Quodsi inquireretur in genere de variis commodis ob quæ virtutes, habitus operativi *boni* dicantur, sic breviter responderi potest cum S. Thoma, Q. Disp., *De Virtutibus in communi*, a. 1: « Habitibus virtutum ad tria indigemus. *Primo* ut sit uniformitas in sua operatione; ea enim quæ ex sola operatione dependent, facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. *Secundo* ut operatio perfecta in promptu habeatur; nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, præcedere inquisitionem de operatione..... *Tertio*, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur; quod quidem fit per habitum; qui cum sit per modum cujusdam naturæ operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem ».

(3) De bonitate quam secum fert virtus in genere, recte notat R. P. JANVIER, *o. c.*, p. 3: Nous disons qu'un être est bon, lorsqu'il est dans une disposition d'accord avec sa nature, lorsque se sont développés dans le sens de leurs aspirations foncières les éléments, les facultés, les activités qui le constituent dans son espèce et dans sa personnalité. *In hoc enim bonitas cujuscumque rei consistit, ut recte se habeat in ordine ad suam naturam* (1-2, q. 71, a. 1). C'est précisément le rôle de la vertu, elle perfectionne le sujet en lui-même; par elle, l'homme, si j'ose ainsi m'exprimer, devient homme jusqu'au bout, pleinement homme..... Ainsi donc, l'épanouissement intégral de la vertu est l'épanouissement total de la nature ».

Quum vero homo de facto elevetur ad ordinem supernaturalem, inde intelligitur unice *virtutem infusam*, qua homo ad suum finem supernaturalem sufficienter disponitur, veram notionem *virtutis* perfecte continere. Ideo accurate scribit *Nouv. Rev. théol.*, XXXVIII (1906), p. 20: « Pour être entière et achever de perfectionner l'homme, cette bonté morale qui est la vertu, ne doit pas seulement orienter l'énergie humaine vers l'hon-

Hoc sensu nemo male virtute utitur, scilicet actus cujus potentia, habitu seu virtute informata, est principium, semper bonus est (1).

Ergo tandem virtuti proprie dictæ, sive naturali sive supernaturali, convenire debet sequens definitio: Habitus afficiens potentiam rationalem (2) ad eliciendam operationem rectæ rationi consentaneam (3).

Scholion. Communis notio virtutis, quam modo exposuimus, etiam integre invenitur in virtutibus christianis supernaturalibus (4). Inde apparet quam longe a veritate aberraverint illi, qui sæculo elapso doctrinam proposuere, cui tributum nomen *Americanismi,* juxta quam, inter multa alia, virtutes christianæ in duas classes forent dispertiendæ: in passivas et activas. Contra illum errorem scripsit S. P. Leo XIII in litteris ad Card. Gibbons (5): « De qua quidem divisione vir-

---

nête et la faire agir de façon digne d'une nature douée de raison (ad quod consequendum sufficit virtus *naturalis*); elle doit en outre diriger cette vie raisonnable même dans le sens de sa vraie destinée (ad hoc vero requiritur virtus *infusa*). C'est alors qu'elle rendra l'homme simplement parfait. « Virtus est dispositio perfecti ad optimum ».

(1) Attamen quis posset male uti virtute tanquam *objecto,* v. gr. superbire de eo quod sit justus.

(2) Illam potentiam esse voluntatem vel aliquam potentiam secundum quod est a voluntate mota, facile eruitur ex supra dictis p. 644, et sic probat S. Thomas, 1-2, q. 57, a. 3: voluntas movet omnes alias potentias quæ aliqualiter sunt rationales, ad suos actus. Et ideo, quod homo actu bene agat, contingit ex hoc quod homo habet bonam voluntatem. Unde virtus quæ bene facit agere in actu, non solum in facultate, oportet quod vel sit in ipsa voluntate, vel in aliqua potentia secundum quod est mota a voluntate ». Sic v. gr. *fides* est in intellectu, ita tamen ut assensus sub imperio cadat voluntatis.

(3) Cfr. Schiffini, *o. c.*, p. 3. — Huic definitioni omnino convenit illa quam tradit catechismus, lectione 39ª: « eene genegenheid der ziel door dewelke de mensch wel doet ». Abstinemus nunc a quæstione utrum habitus naturalis et supernaturalis, qui uterque appellari potest « genegenheid », eamdem inclinationem ad proprium objectum conferat; de qua re infra.

(4) Cfr. *Nouv. Rev. theol.*, XXXVIII (1906) p. 18 ss.: Vertus naturelles et surnaturelles. — Meyer, *o. c.*, Pars. 1ª, p. 299.

(5) Cfr. *Collat. Brug.*, IV, p. 193 ss.

tutum quid sentiendum sit, res est in medio posita; virtus enim quæ vere *passiva* sit, nec est nec esse potest. « Virtus, sic S. Thomas (1-2, a. 1) nominat quandam potentiæ perfectionem; finis autem potentiæ actus est; et nihil est aliud actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii »; adjuvante utique Dei gratia, si virtutis actus supernaturalis sit » (1).

A. Soetaert.

VI

Q. *Expone argumenta quibus probatur decreta disciplinaria Concilii Tridentini contraria consuetudine abrogari posse* (2).

R. Jam hodie omnes admittunt decretis disciplinaribus Concilii Tridentini contraria consuetudine *immemoriali* derogari posse, sed argumenta mox exponenda ad hoc tendunt ut ostendatur contra præfata decreta saltem aliquas consuetudines *ordinarias* et consensui legali legislatoris innixas introduci posse. Quam opi-

---

(1) Hujus doctrinæ fautores, quum in re religiosa liberius procedere vellent, ideoque quadamtenus auctoritati R. Pontificis se subtrahere conarentur, inter virtutes passivas, sæculis elapsis uti aiebant magis accomodatas, ponebant imprimis virtutem obedientiæ. Immerito tamen. Virtus obedientiæ non est servitus. Nam, præterquam quod ad qualecumque malum committendum, nullà auctoritas nos cogere possit, in his etiam ad quæ exequenda ex virtute obedientiæ obligamur, superiores, modo auctoritatem rite exerceant, propriam nostram activitatem minime tollunt, magis vero sanant et ad debitum finem secure perducunt; rationem habent uniuscujusque subditi dispositionum et facultatum; ad eas exercendas et excolendas secundum æquum et justum conari debent ita ut verificetur quod habet S. Scriptura: vir obediens loquetur victorias.

(2) Circa hanc doctrinæ disputationem cf. Feye, *Tract. autogr. de legibus*, p. 281 ss., nº 267 ss; Bauduin, *De consuetudine in jure canonico*, p. 129 ss., nº 251. Lovanii 1888; Biederlack, *Die Gewohnheiten gegen die Disziplinardecreten des Trienter Konzils* in Zeitschr. f. kathol. Theologie, 1882, t. VI, p. 438 ss.; idem auctor in *Act. theolog. Œnipont.*, t. VI, p. 453 ss.; Wernz, *Jus Decretalium*. T. I. *Introductio*, nº 194, p. 262 ss. Romæ, 1898; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. I, p. XIV ss.

nionem patrocinantur Auctores antiquiores plures, recentiores autem fere unanimes.

Probatur.

Consuetudo, suis stipata conditionibus, abrogare valet quodvis jus humanum, ipsasque leges Conciliorum œcumenicorum. Ergo jus tridentinum eidem vi subversivæ consuetudinis subest, nisi contrarium probetur.

Atqui contraria probatio non colligitur ex defectu rationabilitatis, nec ex aliqua clausula reprobatoria aut abrogatoria, nec ex praxi Sanctæ Sedis. Ergo.

1° *Defectus rationabilitatis.*

Sane legislatio tridentina disciplinam ecclesiasticam scite et laboriose reformavit, et inde ab omnibus, ut codex juris novissimi, summa obsequentis animi veneratione est custodienda. Attamen a constitutis illis decretis effluxerunt jam plus quam tria sæcula, ita ut, mutatis temporum, locorum et personarum adjunctis, multa jam de facto nec ad unguem observentur, nec de jure ad litterám observari debeant. Ut paucis res pateat: regimen beneficiale in nulla regione prorsus idem remanere potuit; constitutio et administratio seminariorum mutata est; legislatio concursus ad parochias et synodorum provincialium et diœcesanarum alia ratione in praxi deducitur; legi de proclamationibus pro ordinandis aliis mediis suppletur etc. (1). Quis dicet quod hujusmodi ex mutatis adjunctis mutata praxis sit corruptela juris vel quod melius sit ad observantiam Concilii Tridentini redire, cum ipsa S. Congregatio, Concilii interpres, in quibusdam contrariam consuetudinem admiserit vel saltem toleraverit.

2° *Clausula reprobatoria vel abrogatoria.*

Ab adversariis in contrarium allatæ fuerunt Constitutiones Pii IV *Benedictus Deus* et *In principio*, vi qua-

(1) Ita consuetudo contraria decreto Tridentino Sess. XXIII, cap. 17 de ref., juxta quam generaliter admittuntur laici ad exercitium ordinum minorum, non obstantibus rigidioribus responsis S. C. C. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, p. XVI, sub. *b*.

rum irritas esse imo et reprobatas contrarias omnes consuetudines vigentes et futuras statuisset Summus Pontifex. Jam vero clausula abrogatoria vel reprobatoria contra omnes contrarias quæ in posterum introducerentur consuetudines in neutra constitutione reperitur. Decretum irritans *actus contrarios* etiamsi in citatis Constitutionibus ponatur adesse, tamen contra talem legem irritantem sicuti contra legem simpliciter prohibentem posso induci consuetudinem communiter et jure merito tradunt Auctores (1). Quinimo, dato quod Constitutiones Pii IV futuras respiciant consuetudines easque ut corruptelam juris reprobent; nihilominus, quia demum agitur de lege mere humana, consuetudo contrariis clausulis etiam solemnissimis omnino excludi non potest. Leges, utut sapienter conditæ, in ea conditione remanent ut mutari possint atque etiam debeant mutatis adjunctis. Quare rationes quæ inducebant legislatorem ad opponendas illas clausulas evanescere possunt ita ut consuetudines legitime succrescere possint (2).

3° *Praxis Ecclesiæ.*

Fatendum est quod in decisionibus causarum S. Congregatio Concilii multas hujusmodi consuetudines rejecerit (3), et quod sæpius ejus secretarii diserte affirmaverint non posse talem consuetudinem contra Tridentinum prævalere (4). At, primum, secretarii non

---

(1) Feye, *o. c.*, n° 268, p. 282 s.

(2) Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici,* edit. 3, t. I, p. 45. Ratisbonæ, 1899; Noldin, *Summa theolog. mor. De principiis,* ed. 6, p. 216. Œniponte, 1906; Aichner, *Compend. juris ecclesiastici,* ed. 9, p. 31 ss. Brixinæ, 1900; Van den Berghe, *De legibus,* ed. 2, p. 168, n° 191. Brugis, 1904.

(3) Nullam mentionem faciendam duximus decisionum S. Rotæ Romanæ; utpote quæ antiquiores nec ita evidentes, minoris momenti sint. Hoc tribunal quiescit. Consuetudo contra Tridentinum semper erit per modum exceptionis, et præcise munus est S. C. C. urgere executionem Tridentini. Inde rejecit tales consuetudines vel quia irrationabiles vel quia melius erat redire ad observantiam Tridentini.

(4) Feye, *o. c.*, n° 269 s. Duas tamen secretariorum opiniones contrarias reperit Feye in *Thesauro Resolutionum S. C. C.*

sunt ipsa Congregatio; nec plerumque agunt personam propriam *consultoris,* sed tantummodo *referentis,* cujus sc. munus est honeste referre et in summarium redigere eas rationes juris et facti ab advocatis partium allatas, quæ aliqua consideratione dignæ, nec juri aperte contrariæ æstimantur.

Deinde nulla existit declaratio sive particularis sive generalis S. C. C., qua absoluto et generali modo omnes consuetudines juri Tridentino contrarias reprobavit. Demum non desunt exempla quod ipsa Congregatio Romana hujusmodi consuetudines habuerit legitimas aut saltem tolerandas esse existimaverit (1). Imo ipse Pius VII in epistola ad Arch. Moguntinum, 8 octobris 1803, ipsaque Congregatio S. Inquisitionis decreto 11 martii 1868 (2) expressis verbis asserere non dubitaverunt matrimonia clandestina rata et firma consistere iis in locis, in quibus lex irritans cap. *Tametsi*, quondam rite publicata et observata, longo temporis intervallo in desuetudinem abiisset.

A. De Meester.

---

(1) Causa Aturensi 14 aug. 1863 quoad jus eligendi vice-parochos, ap. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, t. I, p. 420, nº 507; causa 20 junii 1879 quoad deputatos seminarii in Hollandia ap. *Act. S. Sedis,* t. XII, p. 492; causa 29 maii 1880 redditionis rationum et servitii chori ap. *Act. S. Sedis,* t. XIII, p. 543; causa Auxitana 9 junii 1881 administrationis sacramentorum canonicis et funerum, *ibid*, t. XIV, p. 447; causa nullius Montis Cassini, 16 julii 1904 in lege concursus, ap. *Monitore ecclesiastico,* 1904-1905, t. XVI, p. 294-295, etc.

(2) *Collectanea de P. F.*, nova edit., nº 1325. Romæ, 1907; in veteri edit. n. 1408. Cf. Wernz, *o. c*, t. IV, *Jus Matrimoniale,* nº 173, p. 265, nota 161, coll. p. 232, nota 108. Romæ, 1904.

E S. Congregatione Indicis.

Decreto d.d. 26 Julii 1907 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt sequentia opera:

Ernest Dimnet, *La pensée catholique dans l'Angleterre contemporaine*. Paris, 1906.

Edouard Le Roy, *Dogme et critique*. Paris.

Jean Le Morin, *Vérités d'hier? La theologie traditionnelle et les critiques catholiques*. Paris, 1906.

Albert Houtin, *La crise du clergé*. Paris, 1907.

Cœnobium, *Rivista internazionale di liberi studi*. Lugano, 1906-1907.

Bibliographia

A. Lehmkuhl, S. J. *Casus Conscientiæ ad usum confessariorum compositi et soluti*. Editio tertia ab auctore recognita, Friburgi B. 1907, 2 vol., Pr. 12,80 m.

L. Manise, C. S. R. *Casus Conscientiæ de Blasphemia ad usum venerabilis cleri Canadiensis propositus ac solutus*. Prostat apud Garneau, in civitate Quebecensi et apud Auctorem, in civitate Tornacensi, 1905, Pr. 1,50 fr.

H. Noldin, S. J. *Summa Theologiæ moralis*, editio sexta, Œniponte, Pustet, 1906, 5 vol., Pr. 18, 35 m.

Nemo ignorat clarissimum Lehmkuhl ea quæ in *Theologia morali* magis scientifice evolverat, in opere « Casus conscientiæ », magis proponere ad praxim accomodata et exemplis illustrata. Moralis theologia, ut ait auctor (1), numquam recte traditur nisi post principia ad eum modum quem exigit scientia diligenter exposita, descendatur — id quod casuista facit — ad singularia et ad actiones humanas

(1) T. I, p. IV.

diversissimis circumstantiis distinctas. Illud opus « Casus conscientiæ », quod primo prodiit anno 1902, nunc editionem jam obtinet tertiam.

Non defuere qui laxitatis notam P. Lehmkuhl objicientes, pastorum vigilantiam contra opiniones justo benigniores evocabant. Contra quos auctor præfationem ad tertiam illam editionem scripsit, in qua per quatuor paginas a laxitatis accusatione se vindicare studet (1). De cætero, in illa editione parum adaucta, (est fere quindecim paginis secunda editione extensior) præter quædam notata et accuratius exposita juxta novissima decreta romana, septem novi casus proponuntur quorum tres in primo volumine, quatuor in secundo volumine continentur.

Opus sane omni æstimatione dignissimum et confessariis, illud attente legentibus, perutile.

— In speciali casu conscientiæ de blasphemia soluto et edito a R. P. Lud. Manise, agitur de variis locutionibus in regione Canadiensi, in qua auctor missionarius exstitit, usitatis, quæque ut blasphemiæ vel a clero reprobari solebant: Christus! Virgo! Tabernaculum! Baptismus! Calix! Calvaria! Sanctum Ciborium! Sacer! maledictus et similibus.

Sequentem solutionem summarie proponit R. P., p. 11: « Istæ locutiones, ut jacent, sunt vanæ usurpationes nominum sacrorum, et, qua tales, ex unanimi Theologorum sententia, peccata mere venialia. Excipiuntur voces: sacer, maledictus, quæ sunt verba male sonantia, et, qua talia, nullum peccatum ». Illam solutionem tum rationibus intrinsecis tum adductis auctoritatibus egregie probat auctor, ita quidem ut in illis declarationibus et argumentis fere integer et sane optimus inveniatur tractatus de blasphemia. Verum est auctorem ex professo non agere de formulis quæ apud nostrates usurpantur et tanquam blasphemiæ olim existimabantur vel hucusque existimantur; atvero, haud difficulter lector in laudato opere ea inveniet principia, quibus plurima dubia circa illas formulas solvere queat.

In appendice refert auctor litteras circulares a Reverendissimis ac Illustrissimis Episcopis Belgii anno 1903 datas, circa formulam G. v. d. Forsitan non inutile erit in memo-

(1) Illa controversia fuse exponitur apud *Collat. Brug.*, T. XI, p. 382 ss.

riam revocare, in his litteris sequentia inveniri : « Præterea, quod longe efficacissimum erit, Confessarii omnes doctrinam, in eodem monito propositam, diligenter applicent in Sacro Tribunali, nec graventur eamdem cum omni studio ac prudentia pœnitentes edocere (1) ». Cui praxi consonat ratio agendi circa formulas præcitatas, quam in confessionali servandam proponit R. P. p. 11 : « Gravis est obligatio, ex omnium sententia, erroneam hanc conscientiam corrigendi, quippe quæ inducit proximum periculum peccandi formaliter, peccato mortali blasphemiæ ».

Vix animadvertendum est eamdem praxim, ubique saltem, adhiberi non posse quoad aliam formulam S. n. d. D , de qua adhuc controversia viget. Novimus auctorem cum multis theologis (2) opinari æstimationem communem vigentem circa hanc ultimam formulam, haud seriis rationibus niti, proindeque quæstionem agitari posse, utrum et quandonam opportunum esset aliquod monitum saltem ad confessarios emittere relate ad formulam S. n. d. D.

— Seria etiam commendatione dignum æstimamus opus theologiæ moralis auctore Noldin, S. Theologiæ professore in Universitate Œnipontana, quod intra breve tempus sex editiones meruit, atque egregiis laudibus in pluribus periodicis merito fuit celebratum.

Materiam suam disponit auctor uti divisa habetur in operibus moralibus Genicot et Lehmkuhl. Attamen, absoluta materia *de Sacramentis,* et *de præceptis Dei et Ecclesiæ,* distincto volumine agit *de theologia fundamentali, de pœnis, de sexto præcepto*

---

(1) Ideo illos confessarios excusari non posse censemus, qui nescimus quonam scrupulo ducti, verentur in Sacro Tribunali aperte edocere doctrinam in *Monito* propositam, adeoque timent totidem verbis asserere formulam de qua agitur, rarissime tantum esse peccatum mortale. Nullo sane pœnitenti scandalo erunt, si rationes quæ in *Monito* adduntur, breviter et clare ipsi exposuerint.

(2) In hac materia sequenti modo jam a quibusdam annis in Universitate Lovaniensi proponitur thesis (cfr. th XX, nº DCCCLXXIV) : « Formula gallica S. n. d. D. censenda quidem est apud nos blasphematoria propter vigentem æstimationem communem nostratum, qui variis de causis ipsam saltem confuso modo tamquam injuriosam erga Deum apprehendunt. Attamen, neque ex pristino usu, neque ex præsenti æstimatione communi demonstratur vocem « sacré » intelligi « execrabile ». Ideo ista pessima interpretatio non est populo proponenda ».

et de usu matrimonii, cujus ultimæ opellæ octava jam prostat editio.

Breviter dicamus, illam summam theologiæ moralis doctrina solida, dilucide, concinne et practice exposita commendari et ad omnes quæstiones, inter modernos agitatas, in laudato opere solutionem inveniri (1). Recenset auctor et adhibet opera moralia etiam recentissima; sat presse sequitur doctissimum Lehmkuhl. Ordinarie, initio capitum ampla traditur bibliographia, quæ studiosis lectoribus, profundiorem expositionem poscentibus, viam sequendam secure indicat. Addamus nec curam desiderari sub respectu typographico: principia litteris crassioribus, explicationes vero et applicationes minoribus characteribus imprimuntur.

Minus approbamus quod theologiam moralem non raro tam arctis limitibus concluserit auctor, quodque sæpe remittat ad philosophiam moralem et præsertim ad theologiam dogmaticam. Uti in simili casu jam dictum fuit in hoc periodico (2): « Timendum est ne Ethica christiana jam non plane integra nec per modum veræ scientiæ tradita videatur ».

Nihilominus *Summam theologiæ moralis,* auctore Noldin, ubique bene receptam esse congaudemus, nec immerito in pluribus seminariis tanquam liber manualis adhibetur.

A. Soetaert.

---

(1) Quas hic decernimus laudes, non eodem saltem gradu pertinent ad volumen *de theologia fundamentali,* quæ pro suo momento, profundiori tractatione eget omnino.

(2) T. II, p. 111.

Notæ Bibliographicæ

Dr Peter Wagner. *Der Kampf gegen die Editio Vaticana. Eine Abwehr.* Graz und Wien, Verlagsbuchhandlung « Styria », 1907, in-8, 63 p. M. 1.

Cette brochure écrite par le membre le plus compétent de la Commission pontificale pour la restauration des mélodies grégoriennes est une réponse aux critiques violentes faites à l'Édition Vaticane par M. Bewerunge, porte-voix de Dom Mocquereau (Voir *Collationes*, t. XI, p. 647 ss.).

Elle comprend deux parties; la première expose l'historique de la polémique, la genèse du décret du 24 juin 1905, les menées de l'opposition; la seconde est la réfutation scientifique des allégations de M. Bewerunge.

La conclusion qui se dégage de ces pages c'est qu'une restauration philologique-critique de la plus ancienne version du chant liturgique est une impossibilité scientifique et pratique, et qu'il n'y a aucun motif à ne point vouloir admettre l'édition vaticane, entreprise sous les auspices de Sa Sainteté Pie X dans un sens sainement traditionnel.

Puissent ces pages faire cesser l'opposition systématique de l'École néo-solesmienne.

*
* *

Dom G. M. Suñol, O. S. B. *Méthode complète de chant grégorien (Solfège. Théorie. Pratique),* d'après les principes de l'école de Solesmes à l'usage des séminaires et des maisons d'enseignement. Deuxième édition. Traduction par Dom Sablayrolles. Tournai, Desclée et Cie, 1907, in-8, 252 p.

L'auteur et le traducteur partent de ce principe assurément faux qu'il faut louer sans réserve l'enseignement de l'École néo-solesmienne, et qu'en dehors de celle-ci personne ne s'est occupé scientifiquement du chant grégorien. Le système rhythmique de Dom Mocquereau y est exposé et appliqué — nous ne disons pas démontré — sans faire aucune allusion aux travaux de ses contradicteurs. C'est pourquoi cette méthode est partiale et tendancieuse. Aussi nous n'hésitons pas à ne point la recommander à nos lecteurs.

*
* *

L. Delplace, S. J. *L'État hors de l'école.* Gand, A. Siffer, 1907, in-8, 63 p., F. 0,75.

En écrivant la présente étude, le R. P. Delplace a entendu préconiser une solution de la question scolaire, qui réponde plus équitablement aux

droits des parents et aux droits de l'Église, sanctionnés par la Constitution belge.

Il a divisé sa brochure en trois chapitres : une partie doctrinale exposant la conception du régime chrétien de l'enseignement ; une partie historique retraçant les vicissitudes de nos écoles primaires sous la domination étrangère aux XVIII et XIX siècles et sous le régime de la Constitution belge, avant et après la loi de 1842, après celles de 1879, 1884 et 1895 ; enfin une troisième partie comprenant l'examen de nouveaux projets scolaires. Le R. P. repousse celui de M. Verhaegen, qui au point de vue des subsides, placerait l'école officielle et l'école libre sur le même pied ; puis il défend son système de décentralisation, qui mettrait l'État hors de l'école : L'État n'aurait plus d'écoles ; mais il veillerait, après la commune et la province, à favoriser l'instruction générale et subsidierait l'enseignement catholique, protestant, juif ou neutre librement choisi par les parents dans des élections scolaires.

Le système du R. P. Delplace est, au point de vue des principes, certainement préférable. Reste à voir, au point de vue des faits, s'il y aurait possibilité de faire table rase de notre enseignement officiel et si la question pécuniaire pourrait se résoudre d'une façon pratique pour toutes les écoles confessionnelles et neutres.

*
* *

I. Bourlon. *Les assemblées du Clergé sous l'ancien régime.* (Collection « Science et religion », n° 424-425). Paris, Bloud & Cie, 1907, in-12, 128 p. F. 1,20.

Une étude de valeur sur les origines, l'organisation, les travaux des assemblées exclusivement ecclésiastiques, qui se tinrent régulièrement en France de la fin du XVIe siècle à la Révolution française.

Les assemblées du clergé établies d'abord pour régler la levée et la répartition des contributions régulières et des subventions gratuites largement accordées au Roi par le clergé, agitèrent bientôt d'autres questions de doctrine, de morale et de discipline ecclésiastique, d'intérêt général et local. Nous regrettons que l'auteur n'ait pas donné quelques développements aux paragraphes qui traitent des affaires extraordinaires soumises aux délibérations de ce corps et des cahiers du clergé, où les doléances des diverses provinces étaient formulées. Ce travail est fait presque exclusivement d'après les *Mémoires du clergé* et *la collection des procès-verbaux des assemblées du clergé*. Il néglige trop la bibliographie du sujet.

A. De Meester.

*
* *

Dr Brusselmans. *Zieken oppassen.* Handboek voor zieken-verpleging in hospitaal en huisgezin. Lier, Jozef Van In & Cie, 1907, 84 bl. in-12 — 0,75 fr.

Hoc opusculum commendamus sacerdotibus ministerio animarum addictis, quippe qui in eo notiones perutiles invenient, ut et sibi ipsis in visitandis ægrotis et ipsis interdum infirmantibus prudenter provideant. Hoc tantum notatum velimus: nonne interdum saluti æternæ proximi providere poterit sacerdos, qui v. g. noverit prima auxilia, ut aiunt, rite subministrare in casu improviso hemorragiæ, asphyxiæ etc.

Dr Anton Weber. *Die Münchener katechetische Methode.* Kempten und München, Kösel, 1905. 203 p. in-8, M. 2,40.

Methodice exponit Dr Weber sic dictam « Münchener Methode » relate ad catechesim tradendam, collectis in unum articulis plurimis quos A. conscripsit in periodico *Katechetische Blätter*.

Methodus ista vocatur etiam *psychologica*, vel *synthetica, historica*. In priori parte tractationis (cap. 1-9) invenies principia philosophiæ et speciatim psychologiæ, quibus tanquam fundamento nititur laudata methodus; hæc dein explicatur cap. 10 et vindicatur cap. 11 et 12. Mens nostra non est heic exponere ac dijudicare dissertationem Auctoris. Qui cupit notitiam acquirere methodi, adeat librum ipsum, in quo solide et dilucide exponitur. Hæc animadvertere juvat. Auctor p. 66 sqq. nimis absolute, ut opinamur, improbat usum memoriter addiscendi textum catechismi; cap. 3 merito insistit necessitati informandi voluntatem quoque puerorum ac queritur quod catechistæ sæpe omittant indicare ac excitare sensa et affectus, quos veritas explicata producere est nata. Quædam adhuc notabimus statim infra.

Johann Eising. *Die katechetische Methode vergangener Zeiten in zeitgemässer Ausgestaltung.* Wien, H. Kirsch, 1905. XVIII-315 p. in-8. M. 3,60.

Auctor videtur sequi viam mediam, relate ad methodum in catechesi retinendam: propensus enim in methodum historicam, qualem propugnant Weber ejusque asseclæ, non tamen tacet defectus et vitia ejus, eisque opportuna remedia opponere intendit. Unum sit exemplum: ut explicatio fiat modo intuitivo et concreto Dr Weber quasi exclusive adhibendam laudat narrationem; merito advertit Eising non tantum narrationes, sed et comparationes usu venire; item a conceptibus quos catechizandi jam perspectos habent utile fieri exordium.

Memoratu dignum est in dissertatione sua Eising ostendere sic dictam « Münchener Methode » non esse adeo novam, quam np., saltem quoad substantiam, propugnaverit de re catechetica optime meritus Gruber, archiepiscopus Salisburgensis, ad normam jam propositam a divo Augustino.

In appendice examinatur elucubratio MEUNIER, *Die Lehrmethode im Katechismus-Unterricht*. Köln, Bachem, 1905, qui impugnat methodum syntheticam, qualem notatim commendat Dr WEBER.

Ex recensione facta apparet opus cl. EISING valde utile esse adeoque, una cum tractatione cl. WEBER, catechistis opportune esse commendatum.

Chan. G. Smets. *Catéchétique ou méthodologie religieuse*. 2e édition. Maeseyck, Vanderdonck-Robyns, 1906. 236 p. in-8.

Prima pars: *Histoire de la Catéchétique*, a tempore Christi usque ad nostra tempora. Hæc historia, ut patet, neque completa neque in omnibus accurata est, at utiliter perlegetur a multis. Altera pars: *Catéchétique* exhibet regulas sequendas in catechesi tradenda easque exemplis (modèles de leçons) illustrat.

Nobis videtur in hac re applicandam esse regulam bene notam: *fabricando fit faber*. Ars catechizandi, quæ et ipsa dici posset ars artium, acquiritur assidua et diligenti praxi; attamen huic prælucere debet theoretica quædam cognitio regularum. Ad hanc notitiam inserviet expositio cl. Smets, utpote solida et omnibus obvia.

H. MAHIEU.

Jacob Schaefer. *Die Parabeln des Herrn in Homilien erklärt*. Freiburg 1905, Herder. 8° XII-564 pp. Mk 5.

Hoc opus quam plurimùm commendamus. Scopus ejus est, ut sacerdotibus, ad sacrum prædicationis ministerium vocatis, utile adjumentum præstetur, et simul fidelibus piis manuale quoddam jucundas exhibens lectiones spirituales præbeatur. Hunc scopum intentum auctor perfecte assecutus videtur. Etenim sensum parabolarum et similitudinum Dominicarum sedulò introspexit et rite assecutus est, easque ad usum homiliticum clara methodo atque jucunda, non tamen nimis ornata, dicendi forma accomodavit, ità ut omnes, sub generalibus capitibus (1) collectæ et logice compactæ, ad doctrinam evangelicam de « regno Dei » illustrandam concurrant. Hunc perutilem librum perlegenti, liquido apparet interpretationem solidam, imò scientificam textus sacri exegesim, necessarium parandis atque evolvendis homiliis præbere fundamentum.

Homiliæ tamen generatim forma prolixiori exhibentur quam ut una concione singulæ proponi possint. Concionator e dictis homiliis eas seligere atque excerpere poterit partitiones ac considerationes quæ, pro variis adjunctis, opportuniores videbuntur.

A. CAMERLYNCK.

---

(1) L. I Die messianische Zeit, eine « neue » Zeit. L. II Der Anfang der neuen Zeit. L. III Die Aufgaben und Pflichten der neuen Zeit. L. IV Der Ablauf der neuen Zeit. L. V Die Vollendung der neuen Zeit.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE MODERNISTARUM DOCTRINIS

(*Sequitur*. — Cfr. p. 598-621).

—

D. Modernistæ qua HISTORICI ET CRITICI

Sed postquam in modernismi assectatoribus philosophum, credentem, theologum observavimus, jam nunc restat ut pariter historicum, criticum, apologetam, reformatorem spectemus.

nolunt putari philosophi sed objectivi esse contendunt,

Modernistarum quidam, qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiæ se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime: ne scilicet cuipiam sit opinio, eos præjudicatis imbui philosophiæ opinationibus, nec esse propterea, ut aiunt, omnino *objectivos*. Verum tamen est, historiam illorum aut criticen meram loqui philosophiam; quæque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis justa ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet. — Primi tres hujusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quæ supra ex philosophis attulimus: nimirum *agnosticismus*, theorema de *transfiguratione* rerum per fidem, itemque aliud quod de *defiguratione* dici posse visum est. Jam consecutiones ex singulis notemus. — Ex *agnosticismo* historia, non aliter ac scientia, unice de phænomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus interventus ad fidem rejiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cujusmodi sunt Christus, Ecclesia, Sacramenta aliaque id genus multa; sic partiendum erit ac secernendum, ut quod humanum fuerit historiæ, quod divinum tribuatur fidei. Ideo vulgata apud

quum tamen nitantur principiis philosophicis

maxime a/ de agnosticismo b/ de transfiguratione c/ de defiguratione.

Unde ab historia reali removent:

a/ omne elementum divinum utpote phænomena transgrediens;

modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiæ et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiæ et Sacramenta fidei, aliaque similia passim. — Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adjectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei: sic, quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque ætate, quibus ille vixit, conflatam. — Præterea, ex tertio philosophiæ principio, res etiam, quæ historiæ ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant quæ, ipsorum judicio, in factorum *logica,* ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse, quæ audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de *reali* ejus historia delent et fidei permittunt allegorias omnes quæ in sermonibus ejus occurrunt. Quæremus forsitan qua lege hæc segregentur? Ex ingenio hominis, ex conditione qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adjunctorum facti cujusquam complexu: uno verbo, si bene novimus, ex norma, quæ tandem aliquando in mere *subjectivam* recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere: quidquid vero paribus in adjunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt. — Sic igitur, ut concludamus, *a priori* et ex quibusdam philosophiæ principiis, quam tenent quidem sed ignorare asserunt, in *reali,* quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quidquam divini egisse; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quæ ipsi, ad illius se tempora referentes, patrandi aut dicendi jus tribuunt.

b/ quidquid in elemento humano conditionem humanam superat, utpote a fide adjectum;

c/ quidquid cum factorum logica aut personis congruere non videtur, utpote a fide defiguratum;

sed hæc omnia discernunt ex norma mere subjectiva.

His innixus criticus monumenta bifariam assignat vel historiæ reali vel historiæ fidei.

Ut autem historia ab philosophia, sic critice ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia sequutus ab historico præbita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat, *reali* historiæ assignat; cetera ad fidei historiam seu *internam* ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt; et historiam fidei, quod bene notatum volumus, historiæ *reali* ut realis est opponunt. Hinc, ut jam diximus, geminus

Christus; realis alter, alter qui nunquam reapse fuit sed ad fidem pertinet; alter qui certo loco certaque vixit ætate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur: ejusmodi, exempli causa, est Christus, quem Joannis evangelium exhibet; quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est.

Quum omnia sint explicanda per immanentiam vitalem ex necessitatibus ortam,

Verum non his philosophiæ in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus cum suo dogmate *vitalis immanentiæ;* atque omnia edicit, quæ sunt in ecclesiæ historia, per *vitalem emanationem* esse explicanda. Atqui vitalis cujuscumque emanationis aut caussa aut conditio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda: ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius. — Quid tum historicus? Monumenta iterum, sive quæ in libris sacris continentur sive aliunde adducta, scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma tum ad cultum sacrorum tum ad alia spectantium, quæ in Ecclesia, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quæ fidei historiæ destinantur, manum admovet; illaque per ætates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula: ejus semper præcepti memor, factum necessitate, narrationem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quidquid tamen sit, lex est, monumenti cujuslibet ætatem non aliter determinandam esse, quam ex ætate exortæ in Ecclesia uniuscujusque necessitatis. — Distinguendum præterea est inter facti cujuspiam exordium ejusdemque explicationem: quod enim uno die nasci potest, non nisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta, per ætates, ut diximus, jam distributa bipartiri iterum, altera quæ ad originem rei altera quæ ad explicationem pertineant secernens; eaque rursus ordinare per tempora.

historicus conficit indicem necessitatum,

juxta quem criticus monumenta disponit per ætates singulas,

rite distinguens inter exordium facti ejusque explicationem.

Tum denuo philosopho locus est; qui injungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis præcepta legesque præscribunt. Ad hæc historicus monumenta iterum scrutari; inquirere curiose in adjuncta conditionesque, quibus Ecclesia per singulas ætates sit usa, in ejus vim conservatricem,

Juxta leges demum evolutionis tota historia conficitur.

in necessitates tam internas quam externas quæ ad progrediendum impellerent, in impedimenta quæ obfuerunt, uno verbo, in ea quæcumque quæ ad determinandum faxint quo pacto evolutionis leges fuerint servatæ. Post hæc tandem explicationis historiam, per extrema veluti lineamenta, describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus: historia confecta est. — Cui jam, petimus, hæc historia inscribenda? Historico ne an critico? Neuti profecto; sed philosopho. Tota ibi per *apriorismum* res agitur: et quidem per apriorismum hæresibus scatentem. Miseret sane hominum ejusmodi de quibus Apostolus diceret: *Evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (1): at bilem tamen commovent quum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare ut suæ utilitati loquantur. Nimirum affingunt Ecclesiæ, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt.

Tota res agitur per apriorismum hæresibus scatentem.

Ex illa porro monumentorum per ætates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistæ passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum præsertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicæ sive allegoricæ, vel etiam injectis ad diversa solummodo inter se jungenda. — Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. — Addunt vero, hujus evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis ætatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. — Hæc autem ut confirment, criticen, quam *textualem* nominant, adjutricem appellant; nitunturque persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque ejusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos præstituisse sibi, unde

Hac methodo docent *librorum sacrorum* vitalem evolutionem,

quam confirmant ope critices textualis.

(1) Ad Rom. I, 21-22.

certissime judicent quid suo quid alieno stet loco. — Hac via qui apti esse queant ad decernendum, æstimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitæ longe illis præstantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo majores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu! non iis adjumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistæ! scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam, quæ initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi judicandi normam sibi delegerunt. — Jam igitur patere arbitramur, cujusmodi in re historica modernistarum sit methodus. Præit philosophus; illum historicus excipit; pone ex ordine legunt critice tum interna tum textualis. Et quia primæ causæ hoc competit ut virtutem suam cum sequentibus communicet; evidens fit, criticen ejusmodi non quampiam esse criticen, sed vocari jure *agnosticam*, *immanentistam*, *evolutionistam:* atque ideo, qui eam profitetur eaque utitur, errores eidem implicitos profiteri et catholicæ doctrinæ adversari. — Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam: fœdus in primis, quo historici criticique hujus generis arctissime inter se junguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita: tum vero audacia maxima, qua, quæ quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiæ progressioni tribuunt; qua, qui novum portentum æstimare per se volet, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiæ accusent; qui amplectitur ac tuetur, laudibus exornent. Inde haud pauci decepti; qui, si rem attentius considerarent, horrerent. — Ex hoc autem præpotenti errantium dominio, ex hac levium animorum incauta assensione quædam circumstantis aëris quasi corruptio gignitur, quæ per omnia permeat luemque diffundit. — Sed ad apologetam transeamus.

Quam contraria hæc sunt sententiæ Doctorum temporis elapsi.

Est ergo critice agnostica, immanentista, evolutionista,

quam apud catholicos valere mirum est, quod fit duplici de causa.

E. Modernista ut APOLOGETA a philosopho sibi assumit historiam et principia,

ad novam apologesim instituendam,

Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vidimus, præcipiente conscriptam: *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac judicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum præceptum, debere novam apologesim controversias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetæ modernistæ suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quæ veteri methodo descriptæ sint; sed ex historia *reali*, modernis præceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De adserenda vero sua in scribendo sinceritate securi sunt: jam apud rationalistas noti sunt, jam, ut sub eodem vexillo stipendia merentes, laudati: de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur,

cujus finis est hominem ad eam experientiam quæ est fidei fundamentum adducere:

eamque reprehensionibus Ecclesiæ opponunt. — Sed jam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis, quem sibi assequendum præstituit, hic est: hominem fidei adhuc expertem eo adducere, ut eam de catholica religione *experientiam* assequatur, quæ ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: *objectivum* alterum, alterum *subjectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in

a/ *argumento objectivo,*

religione, præsertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quæ psychologum quemque itemque historicum bonæ mentis suadeat, oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quæ modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud præter progredientem ejus germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro hac formula exhiberi volunt: Christum adventum regni Dei nunciasse, quod brevi foret constituendum, ejusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post hæc demonstrandum, qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens*, sensim ac secundum historiam sese evolverit aptaritque succedentibus adjunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium,

ostendendo identitatem religionis catholicæ, in qua germen a Christo invectum,

immanens et permanens sese evolverit vitaliter

cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile; interea vero impedimenta si quæ occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem hæc omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam fœcunditatemque Ecclesiæ id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in ejusdem Ecclesiæ historia incolumes appareant, non tamen eidem historiæ plene explicandæ sint pares; *incognitum* coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *apriorismo* philosophi agnostici et evolutionistæ, et germen ipsum sic gratis ab eis definiri ut eorum causæ congruat.

ita ut leges evolutionis historiam ecclesiam plene explicandi sint impares et ei aliquid *incognitum* subesse appareat.

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetæ novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quæ animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant: subdunt tamen, hæc non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, juste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiæ illic et historia integumenta sunt quædam, quibus experientiæ religiosæ et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia naturâ sunt religiosi, vitam necessario vivunt: jam vitæ sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic æstimamus *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* (1), hoc idem esse affirmamus ac

Qua evolutione admettunt errores et contradictiones irrepsisse in re quoque dogmatica

et in libris sacris,

quia, quidquid vitaliter evolvitur, per adaptationem ad *medium* et ad finem, verum est.

Sed hoc est mendacium tribuere Deo;

(1) Conc. Vat. *De Rev.*, c 2.

mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere; verbisque Augustini asserimus: *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur* (1). Unde fiet quod idem sanctus Doctor adjungit: *In eis,* scilicet Scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet.* — Sed modernistæ apologetæ progrediuntur alacres. Concedunt præterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quæ nullo rationali fundamento regantur; cujusmodi sunt quæ in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quædam prædicationis, quæ a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquiunt, videri debet; nam et ipse vitæ legibus tenebatur! — Quid post hæc de Ecclesiæ dogmatibus? Scatent hæc etiam apertis oppositionibus: sed, præterquamquod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicæ non adversantur; in iis quippe de infinito agitur, cujus infiniti sunt respectus. Demum, adeo hæc omnia probant tuenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de ipso affirmando! — Probata vero contradictione, quid non probabitur?

unde nihil jam inconcussum in S. Scriptura remanebit.

Modernistæ etiam prophetias rejiciunt

et Christum errasse

ac dogmata oppositionibus scatere asserunt;

b) *argumento subjectivo,* ostendendo in hominelatere religionis catholicæ exigentiam

Attamen qui nondum credat non *objectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subjectivis.* Ad quem finem modernistæ apologetæ ad *immanentiæ* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque intimis ejus naturæ ac vitæ recessibus celari cujuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cujuscumque sed talis omnino qualis catholica est; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitæ perfecta. — Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiæ* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad

quo argumento utuntur modernistæ moderatiores

(1) Epist. 28.

ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, hæc catholicæ religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatiores audiri. Nam qui *integralistæ* appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. — Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus : methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad ædificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad hæresim trahendos, immo etiam ad religionis cujuscumque omnimodam eversionem !

dum *Integralistæ* admittunt in homine latere ipsum germen quod in Christi conscientia fuit.

Pauca demum superant addenda de modernista ut reformator est. Jam ea, quæ huc usque loquuti sumus, abunde manifestant quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes, quæ apud catholicos sunt. — Innovari volunt philosophiam in sacris præsertim Seminariis : ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiæ inter cetera quæ jam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia, quæ una vera nostræque ætati respondens. — Ad theologiam innovandam, volunt, quam nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam, niti maxime postulant in historia dogmatum. — Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum præscriptaque moderna. — Dogmata eorumdemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt. — Ad catechesim quod spectat, ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quæ innovata fuerint sintque ad vulgi captum. — Circa sacrorum cultum, minuendas inquiunt externas religiones prohibendumve ne crescant. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se præbeant. — Regimen ecclesiæ omni sub respectu reformandum clamitant, præcipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscientia compo-

F. Modernista ut REFORMATOR innovari vult

philosophiam,

theologiam,

historiam

maxime dogmatum, catechesim,

cultum,

Ecclesiæ regimen,

nendum, quæ tota ad democratiam vergit: ideo inferiori clero ipsisque laicis suæ in regimine partes tribuendæ, et collecta nimium contractaque in centrum auctoritas disperticnda. — Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a *sancto officio* tum quod ab *indice* appellatur. — Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exulet, eisdem tamen se aptet ut suo illas spiritu imbuat. — In re morum, illud asciscunt americanistarum scitum, activas virtutes passivis anteponi oportere, atque illas præ istis exercitatione promoveri. — Clerum sic comparatum petunt ut veterem referat demissionem animi et paupertatem; cogitatione insuper et facto cum modernismi præceptis consentiat. — Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio cœlibatum sublatum desiderent. — Quid igitur in Ecclesia intactum relinquunt, quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronunciata sit reformandum?

Congregationes romanas,

actionem in se politica,

institutionem morum

et cleri.

G. Hujus doctrinæ per partes expositæ

In tota hac modernistarum doctrina exponenda, Venerabiles Fratres, videbimur forte alicui diutius immorati. Id tamen omnino oportuit, tum ne, ut assolet, de ignoratione rerum suarum ab illis reprehendamur; tum ut pateat, quum de modernismo est quæstio, non de vagis doctrinis agi nulloque inter se nexu conjunctis, verum de uno compactoque veluti corpore, in quo si unum admittas, cetera necessario sequantur. Ideo didactica fere ratione usi sumus, nec barbara aliquando respuimus verba, quæ modernistæ usurpant. — Jam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium hæreseon conlectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem nunquam plenius perfecisset, quam modernistæ perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod jam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus: hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores

SYSTEMA UNIVERSUM est omnium hæresum collectum.

invenisse gratulantur. — Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam illam *agnosticismi* doctrinam. Eâ scilicet, ex parte intellectus, omnis ad Deum via præcluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cujusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis non videat? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum; homo externos sensus, ad quos jam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum; nam phantasiæ quævis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt: communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, non adjumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquimus ut in se est; nam verum illud alterum *subjectivum*, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil admodum homini confert, cujus scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cujus in manus aliquando incidet. — *Experientiam* enimvero tanto operi adjutricem inferunt. Sed quid hæc ad sensum illum animi adjiciat? Nil plane, præterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate objecti. Jam hæc duo profecto non efficiunt ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque ejus immutant naturam, semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu; immo vero illam confirmant et juvant, nam sensus quo intensior, eo potiore jure est sensus. — Cum vero de religioso sensu hic agamus deque experientia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina quæ ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorumdam præcipue in quibus eminet sensus: nostis ex librorum consuetudine, qui de ascesi tractant; qui quamvis modernistis in nullo sunt pretio, doctrinam tamen longe solidiorem, subtilioremque ad observandum sagacitatem præseferunt, quam ipsi sibi arrogant. Equidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris, nulla facta investigatione, experientias intimas habere, cujusmodi modernistæ venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi, quam plura catholicorum millia se habere asserunt de devio itinere, quo modernistæ incedunt? Hæc ne

Agnosticismi doctrinâ præcluditur omnis via ad Dei notitiam, quum, dempto intellectu, sensus animi non attingat verum objectivum,

nec experientiâ corrigatur ille defectus

maxime quum, in re religiosa requiratur magna prudentia et notitia

et assertæ experientiæ contraria est experientia tot millium

catholicorum.

tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi nunquam posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla. — Nec modernistæ meliora sibi promittant ex asserta *symbolismi* doctrina. Nam si quævis intellectualia, ut inquiunt, elementa nihil nisi Dei symbola sunt; ecquid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatis divinæ? quod si ita, jam de divina personalitate ambigi poterit, patetque ad pantheismum via. — Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, ducit doctrina alia de *immanentia divina*. Etenim hoc quærimus: an ejusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur rejicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* hæc modernistarum vult atque admittit omne conscientiæ phænomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine: ex quo pantheismus. — Distinctio demum, quam prædicant, inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Objectum enim scientiæ in cognoscibilis realitate ponunt; fidei e contra in incognoscibilis. Jamvero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter objectam materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus nunquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti æque ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, hæc erit realitatis incognoscibilis; quæ cur etiam mundi animus esse nequeat, quem rationalistæ quidam admittunt, non videmus profecto. — Sed hæc modo sufficiant ut abunde pateat quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum jecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingredietur.

Symbolismi doctrina ducit ad pantheismum;

item doctrina de immanentia divina

et asserta distinctio inter scientiam et fidem.

*
* *

II. Modernismi causæ

Ad penitiorem modernismi notitiam, et ad tanti vulneris remedia aptius quærenda, juvat nunc, Venerabiles Fratres, causas aliquantum scrutari unde sit ortum aut nutritum

malum. — Proximam continentemque causam in errore mentis esse ponendam, dubitationem non habet. Remotas vero binas agnoscimus, curiositatem et superbiam. — Curiositas, ni sapienter cohibeatur, sufficit per se una ad quoscumque explicandos errores. Unde Gregorius XVI decessor Noster jure scribebat (1): *Lugendum valde est quonam prolabantur humanæ rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibique nimium præfidens, veritatem quærendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris cœno ipsa invenitur*. — Sed longe majorem ad obcæcandum animum et in errorem inducendum cohibet efficientiam superbia: quæ in modernismi doctrina quasi in domicilio collocata, ex ea undequaque alimenta concipit, omnesque induit aspectus. Superbiâ enim sibi audacius præfidunt, ut tamquam universorum normam se ipsi habeant ac proponant. Superbiâ vanissime gloriantur quasi uni sapientiam possideant, dicuntque elati atque inflati: *Nos sumus sicut ceteri homines;* et ne cum ceteris comparentur, nova quæque etsi absurdissima amplectuntur et somniant. Superbiâ subjectionem omnem abjiciunt contenduntque auctoritatem cum libertate componendam. Superbiâ sui ipsorum obliti, de aliorum reformatione unice cogitant, nullaque est apud ipsos gradus, nulla vel supremæ potestatis reverentia. Nulla profecto brevior et expeditior ad modernismum est via, quam superbia. Si qui catholicus e laicorum cœtu, si quis etiam sacerdos christianæ vitæ præcepti sit immemor, quo jubemur abnegare nos ipsi si Christum sequi velimus, nec auferat superbiam de corde suo; næ is ad modernistarum errores amplectendos aptissimus est quam qui maxime! — Quare, Venerabiles Fratres, hoc primum vobis officium esse oportet superbis ejusmodi hominibus obsistere, eos tenuioribus atque obscurioribus muneribus occupare, ut eo amplius deprimantur quo se tollunt altius et ut, humiliore loco positi, minus habeant ad nocendum potestatis. Præterea tum ipsi per vos tum per seminariorum moderatores, alumnos sacri cleri scrutemini diligentissime; et si quos superbo ingenio repereritis, eos fortissime a sacerdotio repellatis. Quod utinam peractum semper fuisset ea qua opus erat vigilantia et constantia!

A. Causæ *morales* sunt:

a/ curiositas,

b/ et maxime superbia;

quare superbos ejusmodi oportet reprimere et a sacerdotio arcere.

---

(1) Ep. Encycl., « *Singulari Nos* » 7 kal. jul. 1834.

2. Causa *intellectualis* potissima est ignorantia maxime philosophiæ scholasticæ.

Quod si a moralibus causis ad eas quæ ab intellectu sunt veniamus, prima ac potissima occurret ignorantia. — Enimvero modernistæ quotquot sunt, qui doctores in Ecclesia esse ac videri volunt, modernam philosophiam plenis buccis extollentes aspernatique scholasticam, non aliter illam, ejus fuco et fallaciis decepti, sunt amplexi, quam quod alteram ignorantes prorsus, omni argumento caruerunt ad notionum confusionem tollendam et ad sophismata refellenda. Ex connubio autem falsæ philosophiæ cum fide illorum systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit.

B. Propagatio erroris:

Cui propagando utinam minus studii et curarum impenderent! Sed eorum tanta est alacritas, adeo indefessus labor, ut plane pigeat tantas insumi vires ad Ecclesiæ perniciem, quæ, si recte adhibitæ, summo forent adjumento. — Gemina vero ad fallendos animos utuntur arte; primum enim complanare quæ obstant nituntur, tum autem quæ prosint studiosissime perquirunt atque impigre patientissimeque adhibent. — Tria sunt potissimum quæ suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra hæc acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticæ methodi conjungi semper; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum. Meminerint modernistæ ac modernistarum studiosi damnationem, qua Pius IX censuit reprobandam propositionem quæ diceret (1): *Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.* — Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius momentum ac pondus elidant. Stabit tamen semper catholicis auctoritas Nicænæ Synodi II, quæ damnavit *eos, qui audent... secundum scelestos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare... aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ*

1. Oppugnant tria sibi adversantia:

a/ scholasticam philosophandi methodum,

b/ auctoritatem traditionis

(1) Syll. prop. 13.

catholicæ. Stabit Synodi Constantinopolitanæ IV professio: *Igitur regulas, quæ sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus Conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare ac custodire profitemur*. Unde Romani Pontifices Pius IV itemque hujus nominis IX in professione fidei hæc quoque addi voluerint: *Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector*. — Nec secus quam de Traditione, judicant modernistæ de sanctissimis Ecclesiæ Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiæ summæ, quæ, nisi ab ætate qua vixerunt, excusationem non habeat. — Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum ejus originem, naturam, jura sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quæ mœrore summo Decessor Noster scribebat: *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiæ, scientiarum lumini et progressui infensam* (1). — Quæ cum sint ita, Venerabiles Fratres, mirum non est, si catholicos homines, qui strenue pro Ecclesia decertant, summa malevolentia et livore modernistæ impetunt. Nullum est injuriarum genus, quo illos non lacerent: sed ignorantiæ passim pervicaciæque accusant. Quod si refellentium eruditionem et vim pertimescant: efficaciam derogant conjurato silentio. Quæ quidem agendi ratio cum catholicis eo plus habet invidiæ, quod, eodem tempore nulloque modo adhibito, perpetuis laudibus evehunt quotquot cum ipsis consentiunt; horum libros nova undique spirantes grandi plausu excipiunt ac suspiciunt; quo quis audentius vetera evertit, traditionem et magisterium ecclesiasticum respuit, eo sapientiorem prædicant; denique, quod quisque bonus horreat, si quem Ecclesia damnatione perculerit, hunc, facto agmine, non solum palam et copiosissime laudant, sed ut veritatis

et Patrum Ecclesiæ,

et magisterium ecclesiasticum;

simul catholicos impetunt

et sibi consentientes laudibus extollunt;

(1) Motu-pr. « *Ut mysticam* » 14 martii 1891.

unde juniores secum trahunt.

martyrem pene venerantur. — Toto hoc, tum laudationum tum improperiorum strepitu, percussæ ac turbatæ juniorum mentes, hinc ne ignorantes audiant inde ut sapientes videantur, cogente intus curiositate ac superbia, dant victas sæpe manus ac modernismo se dedunt.

2. Doctrinam suam spargunt omnimodis artificiis

Sed jam ad artificia hæc pertinent, quibus modernistæ merces suas vendunt. Quid enim non moliuntur ut asseclarum numerum augeant? In sacris Seminariis, in Universitatibus studiorum magisteria aucupantur, quæ sensim in pestilentiæ cathedras vertunt. Doctrinas suas, etsi forte implicite, in templis ad concionem dicentes inculcant; apertius in congressibus enunciant; in socialibus institutis intrudunt atque extollunt. Libros, ephemeridas, commentaria suo vel alieno nomine edunt. Unus aliquando idemque scriptor multiplici nomine utitur, ut simulata auctorum multitudine incauti decipiantur. Brevi, actione, verbis, prœlo nihil non tentant, ut eos febri quadam phreneticos diceres. — Hæc autem omnia quo fructu? Juvenes magno numero deflemus, egregiæ quidem illos spei, quique Ecclesiæ utilitatibus optimam navarent operam, a recto tramite deflexisse. Plurimos etiam dolemus, qui, quamvis non eo processerint, tamen, corrupto quasi aëre hausto, laxius admodum cogitare, eloqui, scribere consuescunt quam catholicos decet. Sunt hi de laicorum cœtu, sunt etiam de sacerdotum numero; nec, quod minus fuisset expectandum, in ipsis religiosorum familiis desiderantur. Rem biblicam ad modernistarum leges tractant. In conscribendis historiis, specie adserendæ veritatis, quidquid Ecclesiæ maculam videtur aspergere, id, manifesta quadam voluptate, in lucem diligentissime ponunt. Sacras populares traditiones, apriorismo quodam ducti, delere omni ope conantur. Sacras Reliquias vetustate commendatas despectui habent. Vano scilicet desiderio feruntur ut mundus de ipsis loquatur; quod futurum non autumant si ea tantum dicant, quæ semper quæve ab omnibus sunt dicta. Interea suadent forte sibi obsequium se præstare Deo et Ecclesiæ: reâpse tamen offendunt gravissime, non suo tantum ipsi opere, quantum ex mente qua ducuntur, et quia perutilem operam modernistarum ausibus conferunt.

et quidem lugendo fructu.

*
* *

Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII decessor Noster fel. rec., præsertim in re biblica, occurrere fortiter dicto actuque conatus est. Sed modernistæ, ut jam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri. — Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus æque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacræ juventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

III. Remedia

Dès que les circonstances le permirent, et toutes les fois qu'elle le put, l'Eglise réprouva l'esclavage dans les termes les moins équivoques. Cependant, apprendre aux maîtres à considérer les esclaves comme des égaux, ou, selon le vrai nom de l'égalité chrétienne, comme des frères; leur persuader qu'un frère ne peut être l'esclave de son frère, et les pousser à répandre autour d'eux la liberté: telle fut l'œuvre de l'Eglise pendant les premiers siècles (Cf. ALLARD, *o. c.*, p. 92). Elle a relevé le travailleur libre de l'abaissement où l'avait tenu le paganisme; par là, lentement, elle a créé une classe d'ouvriers industriels. Elle a combattu chez le riche les habitudes de luxe et de mollesse qu'avait engendrées l'esclavage et qui le rendait nécessaire; elle a condamné chez tous, aussi bien chez le riche que chez le prolétaire, le préjugé qui faisait de l'oisiveté un honneur pour l'homme libre. Ainsi l'esclavage se trouvait atteint dans une de ses sources morales. Elle l'a attaqué aussi dans l'exposition des

qui fait rendre compte à ses serviteurs, c'est-à-dire dans un récit *imaginé* par N. S. pour enseigner aux hommes, d'après une méthode familière aux Orientaux, le pardon des injures. Le contexte répond, à lui seul, à l'objection qu'on s'efforce en vain, d'étayer sur ce beau passage qui inculque, d'une façon si saisissante, l'amour du prochain. *Mt* XVIII, 23-27 : « C'est pourquoi le royaume des cieux est semblable à un roi qui voulut régler ses comptes avec ses serviteurs. Le règlement des comptes étant commencé, on lui amena un homme qui lui devait mille talents. 25 Comme il n'avait pas de quoi payer, son maître ordonna qu'on le vendît, lui, sa femme, ses enfants et tout ce qu'il avait pour acquitter sa dette. 26 Le serviteur, se jetant à ses pieds, le conjurait en disant : Aie patience envers moi et je paierai tout. 27 Touché de compassion, le maître de ce serviteur le laissa aller et lui remit sa dette ». Tout commentaire, nous semble-t-il, serait superflu. Encore convient-il de remarquer que le cas cité dans la parabole se rapporte bien plutôt aux coutumes romaines qu'aux mœurs juives de l'époque.

IV. **Conclusion et résumé de la réponse.** Des considérations qui précèdent se dégage la conclusion suivante. La Bible n'institue pas l'esclavage : celui-ci existait chez toutes les nations de l'antiquité. Il y était devenu, malgré ses nombreux et criants abus, un élé-

---

enfants, qui l'alimentait en partie, et dans les plaisirs du théâtre et de l'amphithéâtre, dont l'esclavage était le principal pourvoyeur. Et tandis qu'elle tarissait de la sorte les sources principales de l'esclavage, elle rendait à l'esclave, dans la société chrétienne, sa pleine et entière dignité d'homme et, en multipliant les affranchissements autant que la prudence le permettait, elle le réhabilitait aussi dans la société civile. Puis, progressivement, elle a fait passer ses principes dans la pratique de la société civile et dans la législation (Cf. P. Allard, *Les esclaves chrétiens*, Paris, 1900 et *Revue d'hist. ecclés.*, Louvain, t. I, p. 517 ss.).

Les esprits superficiels ont peine à comprendre cette patiente mais prudente et miséricordieuse conduite de l'Eglise. Tous les historiens sérieux, à quelque confession qu'ils appartiennent, l'admirent.

ment important de l'ordre économique et social, élément avec lequel il fallait compter, au point qu'il aurait été impossible de l'abolir complètement. La Bible réglemente l'esclavage et contient une législation qui s'efforce, dans la mesure du possible, d'abréger l'esclavage, d'en supprimer les abus et d'en atténuer les effets directement condamnés par la loi naturelle. Cette législation, incomparablement plus parfaite que les institutions similaires des peuples antiques, considère l'esclave comme une personne, lui reconnaît les droits essentiels et inaliénables de la nature humaine, et prescrit aux maîtres hébreux de traiter leurs esclaves en frères. En fait, cette législation était adéquate à la vocation des Hébreux, choisis pour être les dépositaires de la Révélation jusqu'à l'époque où le Christ vint en ce monde; elle était adaptée à leur état social. Les lois civiles (1) imposées au peuple Juif devaient, sous peine d'être inappliquées, tenir compte des mœurs, des penchants des Hébreux et de la barbarie des temps. Tout comme nous devons tenir compte, en légiférant sur les jeux, les courses, la prostitution, l'alcoolisme etc., des misères de notre époque. C'est donc une véritable niaiserie de poser en fait que, si la législation du peuple hébreu n'est pas aussi avancée que la législation d'un peuple pétri par vingt siècles de christianisme, la Bible, où cette législation est consignée, n'a pu être inspirée de Dieu.

Nous apprécions donc la *législation* hébraïque sur la servitude, en tenant compte des mœurs et de l'état social du peuple à qui elle fut imposée; nous la comparons aux codes et aux usages des autres peuples de l'antiquité qu'elle surpasse de loin en humanité et en justice, et avec la généralité des auteurs protestants et rationalistes (2), nous ne pouvons nous empêcher d'ad-

---

(1) Comme l'a observé le *Bien Public*, n° du 27 mai 1907.

(2) Cf. Reuss (*L'Histoire Sainte et la Loi*, t. I, p. 119): « Elle (la légis-

mirer sa valeur morale et sa sagesse. Nous constatons d'autre part dans *l'histoire* des Hébreux que les intérêts des faibles et des pauvres ont été ménagés; que les esclaves — exemple unique (1) dans l'antiquité — ont été traités en hommes, et ont trouvé chez les Juifs aide et protection qu'ils ne trouvaient nulle part ailleurs. Et nous concluons: la Bible là où elle réglemente l'esclavage, n'a point de textes qui répugnent à la justice, à la bonté et à la miséricorde divines; elle peut donc, avoir été inspirée de Dieu. Elle a été inspirée, en effet, comme l'Église catholique par son magistère infaillible nous l'enseigne (2).

A. CAMERLYNCK.

---

lation de Moïse) accuse un soin particulier et on ne peut plus digne d'éloges pour les intérêts bien entendus de la société et des individus, et elle fait des efforts non méconnaisables pour réprimer la barbarie des mœurs et pour garantir les faibles contre les abus de la force ». — RENAN, (*Revue des Deux Mondes*, déc. 1886, p. 524): « Ce fut la loi la plus humaine et la plus juste qui eût été écrite jusque là ». — OWEN C. WHITEHOUSE (*o. c.*, p. 461 ss. passim, p. e. p. 467): « But, as we enter Jewish society, we pass into a new and happier world ». — ORELLI (*o. c.*, p. 418): « Die Leibeigenschaft findet sich bei dem israelitischen Volk von den Anfängen des Stammenlebens durch allen Zeiten der nationalen Entwickelung bis zur Auflösung des jüdischen Gemeinwesens, meistens übrigens in einer Form, für welche der heutige Ausdrück « Sklaverei » mit seinem Beigesmack unwürdiger Erniedrigung und Grausamkeit zu hart ist ».

(1) Nous ne prétendons nullement que la condition de certains esclaves ne fût, chez les nations païennes, tolérable et humaine, en d'autres mots, que tous les maîtres païens fussent inhumains et sans entrailles. Mais nous affirmons que ces cas de bien-être relatif étaient *l'exception* chez les païens, et en opposition avec les lois et les usages. Au contraire chez le peuble hébreu, l'esclavage mitigé et limité était *la règle*, grâce à une législation humanitaire permanente.

(2) L'auteur du pamphlet estime à tort que l'inspiration de la Bible est la base même de l'Eglise catholique. L'Eglise est fondée sur le Christ, sur ses miracles et ses prophéties, sa mort et sa résurrection, sur la mission confiée aux Apôtres et à leurs successeurs, comme en témoignent les Ecritures (surtout les Evangiles) considérées comme documents humains, écrits par des témoins dignes de foi. Ce n'est donc pas parce que nous croyons à l'inspiration ou à la divinité de la Bible que nous professons la divinité de l'Eglise. C'est parce que nous croyons à l'Eglise divinement assistée et infaillible, que nous admettons l'inspiration de la Bible.

II

Q. *Expone præcipuas sententias quæ opponuntur rectæ notioni* indefectibilitatis *Ecclesiæ.*

R. 1. Sæculo 14° quædam existebat secta, cujus nomen *Fraticelli,* quæ contendebat se solam esse veram Ecclesiam et in ipsa hoc tempore completum fuisse evangelium, quod antea fuerat exstinctum: asserebant defecisse Ecclesiam tum quoad sanctitatem, tum quoad auctoritatem, tum quoad doctrinam. Fuerunt Fraticelli damnati a Joanne XXII, constitutione edita anno 1318, in qua errores ipsorum his verbis recensebantur: « Primus itaque error, qui de illorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, effluentem deliciis, sceleribus maculatam, cui Romanum præsulem aliosque inferiores dominari asserunt; aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitæ merito principantur... Secundus error, quo prædictorum insolentium conscientia maculatur, venerabiles Ecclesiæ sacerdotes aliosque ministros sic jurisdictionis et ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre, nec sacramenta conficere, nec subjectum populum valeant vel docere, illos fingentes omni ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderent alienos: quia apud ipsos solos, (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitæ sanctitas, sic auctoritas perseverant (1)... Quintus error sic istorum hominum mentes excæcat ut evangelium Christi in se solis hoc in

(1) Forsitan dicat quis: illi errores non sunt contra *indefectibilitatem* Ecclesiæ, quum illorum fautores assererent apud *ipsos* perseverasse veram sanctitatem et auctoritatem. At asserebant illas defecisse in ipsa Ecclesia cujus Romanus Pontifex erat visibile caput: ergo in ipsorum sententia implicite saltem continebatur defectio Ecclesiæ a Christo institutæ quoad *sanctitatem* et *auctoritatem;* præterea continebatur defectio Ecclesiæ quoad *catholicitatem.*

tempore asserant esse completum, quod hactenus (ut ipsi somniant) abjectum fuerat, imo prorsus exstinctum » (1).

2. *Protestantes* indirecte rejiciunt indefectibilitatem Ecclesiæ. « Verbotenus quidem statuunt veram ecclesiam Christi esse perpetuam ac indefectibilem. Verum in eo differunt a catholicis quod ecclesiam negant esse essentialiter visibilem, ideoque, quod attinet ad ecclesiam, quatenus hæc in suis pastoribus et ovibus visibilis est totoque orbi conspicua, asserunt eam et deficere posse et revera sæpenumero defecisse. Ex quo patet eorum errorem circa perpetuitatem ecclesiæ non differre ab eorum errore circa visibilitatem ecclesiæ. Possunt autem quoad materiam quam hîc tractamus, eorum duæ veluti classes distingui. Prima classis ponit esse duas ecclesias, unam *veram,* conflatam ex paucis, ex sanctis nempe et electis, quæ nunquam vel saltem non nisi raro est visibilis; alteram *mere apparentem* atque ingenti multitudine repletam, quæ est visibilis... Altera classis unam dumtaxat ponit ecclesiam, verum asserit eam identidem ex visibili evadere invisibilem. Nempe, uti asserunt auctores hujus classis, ecclesîa visibilis non semper exstat, sed subinde instauratur et per intervalla suscitatur » (2).

3. *Jansenistæ* contendebant Ecclesiam esse obnoxiam defectioni, quatenus in docente Ecclesia erat obscurata veritas et ideo *senuerat* Ecclesia. Hoc autem importat quod non, sicut antea, apta erat Ecclesia ad adimplendum munus docendi: quod est contra ejusdem indefectibilitatem. Inde damnata fuit a Clemente XI, in constitutione « Unigenitus » data die 8ª Septembris, anni 1713, hæc Quesnelli propositio (95): « Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Aposto-

(1) Denzinger, *Enchiridion,* n. 413, 414, 417.
(2) De San, *De Ecclesia,* Brugis 1905, p. 169, n. 216.

lorum, et supra communem captum fidelium; *neque satis advertitur quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ et iræ Dei in filios suos* (1).

Etiam a Pio VI, per constitutionem « Auctorem fidei », datam die 28ª Augusti anni 1794, damnata est ut *hæretica* propositio synodi diocesanæ Pistoriensis asserens: « postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem et quæ sunt basis fidei et moralis doctrina Jesu Christi » (2).

4. Quædam sectæ protestanticæ docent esse exspectandam novam œconomiam christianam quam vocant *Ecclesiam Spiritus sancti* et quæ succedere debet Ecclesiæ Verbi sicut hæc olim successit Veteri Fœderi quod appellant Ecclesiam Patris (3). Ita, v. gr. *Irvingiani* « credunt novam effusionem S. Spiritus ad unam, catholicam et apostolicam Ecclesiam fundandam et usque ad finem sæculi conservandam illamque primum factam esse dicunt a. 1830 et deinceps porro continuatam » (4).

Rectæ notioni indefectibilitatis opponitur etiam « figmentum trium ecclesiarum, petrinæ (catholicæ), paulinæ (protestantium) et joanneæ (adhuc futuræ) quod tuentur recentiores quidam ut *Fichte*, *Schelling*, *Lassaulx*, *Döllinger*, etc. » (5).

5. *Rationalistæ* etiam rejiciunt *indefectibilitatem* Ecclesiæ, nempe necessitatem permanendi, usque ad consummationem sæculi, *in statu substantialiter eodem* in quo fuit condita. Nam illi habent Ecclesiam ut socie-

---

(1) Denzinger, *o. c.*, n. 1310.

(2) Ibid., n 1364.

(3) Cf. Stummer, *Manuale theologiæ fundamentalis*, Œniponte, 1907, p. 482.

(4) Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, T. I, n. 196, p. 214.

(5) Id. ibid.

tatem mere naturalem, paulatim evolutione et influxu diversorum eventuum, omnino independentium a Christi voluntate, conditam, subjectam quoque vicissitudinibus temporum.

Opinio ab *Harnack* (1) proposita sic in compendium reducitur:

Christus ipse non sese separavit a synagoga, nec novam instituit societatem: radicalis autem christianismi a judaismo separatio religiosa inducta est duplicem ob causam, scilicet a/ propter judæorum Christum ceu Messiam recipere nolentium hostiles in Christianos animos indeque secutam violentam horum persecutionem, et b/ propter impossibilitatem etnicos ad fidem Christi conversos adducendi ad subeundum jugum observantiarum mosaicarum. Attamen variæ communitates christianæ quæ propter tales causas in plena separatione a synagoga eformatæ sunt, non statim a principio in unam societatem religiosam coaluerunt sed eæ sejunctim a se invicem constiterunt nec hierarchicè ordinatæ: inde in eis prævalebat individualismus, h. e. libertas cuique fideli relicta ut, nulla interveniente auctoritate ecclesiastica sive doctrinali sive disciplinari, solo interiore impulsu Spiritus sancti, fidem suam omneque suum interius cum Deo commercium ordinaret; hinc porro effectum est ut in primævis illis cætibus christianis enthusiasmus esset character distinctivus fidei singulorum fidelium. In communi tamen omnium pugna contra Gnosticos et Marcionitas et sub prævalente influxu culturæ græco-romanæ, prædictas communitates paulatim inter se convenerunt in communi aliquo symbolo fidei, in communi forma hierarchici regiminis, in communi etiam modo cultum externum ordinandi: sic porro lento quodam processu evolutivo versus finem sæculi II^{i} vel sub initium sæculi III^{i} perventum est ad constituendam ecclesiam catholicam, quæ elementa suæ doctrinæ dogmaticæ ex philosophia græca, elementa suæ organisationis socialis ex organisatione reipublicæ romanæ, elementa

(1) *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* Freiburg i. B. 1894, T. I, Prolegomena, § 3, p. 41 ss.

demum sui cultus ritualis ex ritibus in mysteriis deorum gentilitatis adhiberi solitis magnam partem mutuata est (1).

6. Qui *Americanismo* adhærebant etiam sententiam tenebant quæ componi nequit cum vera notione indefectibilitatis: censebant enim « quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam traducantur, debere Ecclesiam ad adulti sæculi humanitatem propius accedere, ac, veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum enim esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quædam doctrinæ capita, quasi levioris momenti, prætermittantur, aut molliantur ita, ut non eumdem retineant sensum quem constanter tenuit Ecclesia » (2). Hoc damnavit Leo XIII: deficeret Ecclesia in fide, si dogmata exponeret in alio sensu quam hucusque tenuit: non enim fideliter *depositum* custodiret; deficeret in munere docendi si non doceret omnia quæcumque mandavit Christus (3).

7. Tandem qui *Modernismo* imbuti sunt multipliciter, sive implicite sive explicite, indefectibilitatem impugnant. Imprimis morbo infectam esse Ecclesiam integram et a pristina sanctitate delapsam contendunt, inde reformationem Ecclesiæ somniant (4) ut, si secun-

---

(1) Hoc compendium desumitur a De San, *o. c.*, p. 9.

(2) *Litteræ apostolicæ Leonis XIII* « Testem benevolentiæ »: cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 194.

(3) Cf. *Collat. Brugen.*, l. c. — *A doctrina* tradenda et accipienda bene distinguit Leo XIII *disciplinam vivendi* quæ utique alicui mutationi subjecta est: « Disciplina autem vivendi, quæ catholicis hominibus datur, non ejusmodi est, quæ, pro temporum et locorum varietate, temperationem omnem rejiciat.... Non hoc tamen privatorum hominum arbitrio definiendum, qui fere specie recti decipiuntur; sed Ecclesiæ judicium esse oportet ». Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 195.

(4) Radicalis reformationis propositum delineavit Fogazzaro in opere *Il Santo:* circa indolem hujus libri et principia in illo propugnata utiliter

dum ipsorum placita res fieret, penitus et essentialiter alia evaderet Ecclesia ab illa societate quam instituit Christus. Deinde quasdam magis determinatas sententias proferunt directe indefectibilitati contradictorias. Ideo damnatæ sunt a Pio X, decreto « Lamentabili » sequentes propositiones : 53ª : Constitutio organica Ecclesiæ non est immutabilis ; sed societas christiana perpetuæ evolutioni æque ac societas humana est obnoxia. 54ª : Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiæ christianæ interpretationes evolutionesque quæ exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. « *Sicut potentiæ naturales concreantur animæ ex connaturali vinculo, ita hæ virtutes (morales supernaturales) infunduntur cum gratia, quasi ex debito ipsi gratiæ connaturali* ». SUAREZ, *De Gratia, lib. VI, C. 9, n. 7.*

1° Explica analogiam quæ his verbis Suarezii exprimitur.

Respondetur. His verbis Suarezii concinne exprimitur ratio theologica qua existentia probatur virtutum moralium supernaturalium. Nimirum argumentum deducitur ex analogia quæ viget inter ordinem naturæ et gratiæ ; quod argumentum, de cujus valore agemus infra, heic simpliciter evolvimus et explicamus.

I. *Exponitur ordo naturæ et gratiæ.*

a/ *Ordo naturæ.* Homo in omni sua operatione tendit

leges : L. JANSSENS, *Il Santo d'Antoine Fogazzaro, Revue Apologétique,* T. VIII, pp. 137, 455 ; M. DE LA TAILLE, *Pour l'Index, Etudes,* t. CIX, 1906, p. 607 ss ; J. CHOLLET, *Le Modernisme dans la Religion, Revue des Sciences ecclesiastiques et Science catholique,* t. I, p. 31 ss.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 526.

ad bonum, scilicet ad aliquid aptum naturæ vel facultati perficiendæ. Ultimatim tendit ad bonum supremum, quod naturam plene perficit et in cujus possessione reperitur beatitudo. Jamvero illud summum bonum est ipse Deus. Ergo etiam in ordine naturali, homo, modo sibi proprio, scilicet ut creatura rationalis et libera, ad Deum possidendum tanquam ad suum ultimum finem tetendisset (1).

Hæc autem sunt media quibus Deus hominem instruxit in ordine ad prosecutionem finis.

Hominem *ad finem* disposuit per intellectum (2) et voluntatem (3), quibus Deum cognoscere et cognitum amare posset. Insuper ex naturalibus principiis in nobis præexistentibus, acquirere valemus repetitis actibus bonis, habitus naturales (4) qui sunt virtutes naturales

---

(1) Cfr. Ill^m^ WAFFELAERT, *De Prud. Fort. et Temp.*, p. VII s.

(2) Intellectus a *natura* instruitur habitu primorum principiorum. Cfr. DE JAEGHER, *Institutiones Philosophicæ*, p. 120.

(3) Voluntas a natura non instruitur aliquo habitu quo disponatur ad finem, quia sufficit natura voluntatis in felicitatem inclinatæ, et « sicut non indiget homo speciali habitu ad diligendum naturaliter semetipsum, ita nec ad diligendum naturaliter Deum ». BILLOT, *De Virtutibus infusis*, p. 116.

(4) Quænam sint illa principia naturalia ex quibus virtutes acquiruntur, sic dilucide exponit S. Thom., 1-2, q. 63, a. 1. Distinguendus est homo qua talis, quatenus pertinens ad speciem humanam, ab homine individuo, quatenus est Petrus vel Paulus. Jamvero virtus est homini naturalis :

1. « secundum quidem naturam speciei,

a/ inquantum *in ratione* hominis insunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita tam scibilium, quam agendorum ; quæ sunt seminaria *intellectualium* virtutum », uti sunt *scientia, sapientia, ars*. Quæ omnes intellectuales virtutes, sunt virtutes lato sensu. Cfr. supra p. 646, quia conferunt tantum habilitatem bene operandi. Excipitur *prudentia*, quæ, quamvis virtus intellectualis, tamen est virtus stricto sensu, quia bonum honestum cognoscit, non ut in ejus cognitione quiescat, sed ut illud bonum cognitum per alias virtutes operetur. Cfr. Ill^m^ WAFFELAERT, *o. c.*, p. XIX ; it. p. 2.

b/ Etiam insunt in homine quædam seminaria virtutum « *moralium*, inquantum in *voluntate* inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundum rationem ». Inde possibilitas acquirendi varias virtutes morales naturales temperantiæ, fortitudinis, etc.

2. « Secundum vero naturam individui,

inquantum ex corporis dispositione aliqui sunt dispositi vel melius,

stricte dictæ, quibus mores nostri regantur et proinde debita *media ad finem* obtinendum adhibeamus. Ideo dicuntur illa principia naturalia *semina virtutum* tum *intellectualium*, tum præsertim in ordine ad media circa finem, *moralium* naturalium (1).

Finis naturalis his mediis assequendus, fuisset cognitio Dei abstractiva, eique cognitioni respondens amor creaturæ ad Creatorem; quæ possessio Dei per intellectum et voluntatem fuisset *in suo genere* perfecta, scilicet, quantumvis perfecta, nunquam vires naturæ creatæ superasset.

b/ *Ordo gratiæ*. Efficimur divinæ consortes naturæ (2). Jamvero considerandum est quid significetur per hoc: creaturam rationalem *fieri participem naturæ* divinæ. *Naturæ* nomen significat essentiam rei, secundum quod essentia « habet ordinem ad propriam operationem. Unde natura divina est quidem essentia divina, sed essentia divina accepta reduplicative, in quantum nostro concipiendi modo ordinatur ad necessariam illam operationem in qua consistit propria Dei beatitudo, qua scilicet Deus seipsum intuitive videt et seipso fruitur.... Tunc ergo efficimur consortes naturæ divinæ quando infunditur nobis forma per quam *radicaliter ordinamur* ad illam ineffabilem visionem ac fruitionem divini boni, quæ soli Deo est naturalis » (3).

Porro ille habitus gratiæ per quem ponitur in nobis consortium naturæ divinæ non subjectatur in animæ potentiis, sed in ipsa hominis substantia; siquidem illo habitu, homo non tantum operatur in finem supernatu-

---

vel pejus ad quasdam virtutes ...; et secundum hoc unus homo habet naturalem aptitudinem ad scientiam, alius ad fortitudinem, alius ad temperantiam ».

Concluditur: « His modis tam virtutes intellectuales, quam morales secundum quamdam aptitudinis inchoationem sunt in nobis a natura ».

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p 359.

(2) 2 Petr. II, 4.

(3) Billot, *o. c.*, p. 31 s.

ralem, sed ipsa « natura hominis elevatur ad aliquam dignitatem secundum quam talis finis supernaturalis sit ei competens » (1).

Habetur ergo quasi nova natura participata, cui nova debentur principia operationis (2), modo parallelo quo existunt principia operandi in ordine naturali. Unde, sicut in ordine naturali *a natura* instruimur intellectu et voluntate quibus convenienter operemur circa finem, ita in ordine supernaturali ad finem ordinamur « incomplete quidem et inchoative per habitum *infusum* fidei in intellectu, deinde et per habitum *infusum* spei in voluntate, complete vero per superadditam, item in voluntate virtutem *infusam* charitatis, quæ est inseparabilis a gratia sanctificante » (3). Rursus, sicut in ordine naturæ *propriis actibus bonis*, virtutes morales acquisitæ generantur, item in ordine gratiæ, *infunduntur* virtutes morales quibus circa agibilia in finem supernaturalem recte versemur. Sequitur potentiis naturalibus quibus agimus circa finem naturæ et virtutibus moralibus quibus agimus circa media ad finem naturæ, respondere in ordine supernaturali virtutes theologicas et virtutes morales infusas (4).

II. *Immerito tamen virtutes supernaturales dicerentur novæ potentiæ.*

Probe notandum est virtutes infusas non esse considerandas ut novas potentias, independenter a potentiis naturalibus operantes. Etenim sicut habitus gratiæ est *quasi nova natura*, ita virtutes sunt *instar potentiarum* illiusmet novæ naturæ.

Nimirum, *habitus gratiæ* est accidentalis modus seu

---

(1) S. Thom., *De Verit.*, q. 27, a. 2.

(2) Præscindimus a quæstione, utrum omnes virtutes *simul cum* caritate infundantur.

(3) Cfr. Ill^m^ Waffelaert, *o. c.*, p. 3.

(4) Cfr. S. Thom., *De Virtutibus in communi*, a. 10. — Schiffini, *Tractatus de virtutibus infusis*, p. 3. — Mahieu, *Het brood des levens*, Nieuwe Uitgave, Brugge, 1907, bl. 24-30.

quædam qualitas quæ essentiæ animæ supervenit, ad quandam divinitatis participationem eam elevans : ita etiam *virtutes infusæ* sunt qualitates (habitus operativi boni) quæ potentiis naturalibus superveniunt easque perficiunt (1) ut operationes, fini, naturæ elevatæ competenti proportionatas, elicere valeant. Quare proximum illius operationis proportionatæ, supernaturalis nempe, principium, non est simpliciter virtus infusa, quasi esset absolute principium operandi, sed potentia naturalis *elevata*, seu prout infusa virtute informata (2).

« Sic igitur, concludit Billot (3), principia operativa quæ in præsenti considerantur, sunt quidem habitus, sed habitus de natura potentiarum nonnihil participantes, quatenus ponuntur a Deo auctore supernaturali in eadem proportione ad sanctificantem gratiam, ac potentiæ naturales ad naturam substantialem e qua fluunt : ut sicut per naturales potentias habemus posse agere secundum ordinem naturæ essentialis qua homines sumus, ita per infusas virtutes habeamus posse agere secundum ordinem naturæ participatæ qua dii efficimur » (4).

Corollarium. Hæc doctrina maximi interest in dijudicanda natura actuum supernaturalium. Ex prædictis

---

(1) Præ oculis habendum est discrimen inter potentiam operandi et habitum. *Potentia* dat posse agere simpliciter ; *habitus* supponit potestatem agendi, sed eam perficit, in eodem ordine si agatur de habitu naturali, eam elevat in ordinem superiorem, si agatur de habitu infuso.

(2) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 33.

(3) o. c., p. 34.

(4) Præclare illam doctrinam exponit Terrien, S. J., *La Grâce et la Gloire*, Paris, 1901, Tom. I, p. 166 : « quoique les vertus infuses donnent à l'âme un nouveau pouvoir, n'allons pas croire cependant qu'elles soient par elles-mêmes, comme les puissances naturelles, un principe complet d'opérations. Il leur faut, pour agir, le concours des facultés qu'elles élèvent et qui leur servent de support. Ce n'est pas qu'il y ait dans les actes comme deux parties distinctes dont l'une ait la faculté naturelle, et l'autre la vertu pour cause. Non : l'acte est tout entier de la vertu, comme il est tout entier de la puissance ; car puissance et vertu ne forment qu'un principe prochain qui n'est ni la vertu seule, ni la puissance seule, mais la puissance élevée, fortifiée, divinisée par la vertu ».

enim liquet naturam potentiarum naturalium haud immutari per additos habitus infusos seu per elevationem ad altiorem ordinem. Unde confirmatur sententia illorum qui asserunt, in ordine supernaturali eodem modo tendere in objectum potentias elevatas quam in ordine naturali tendunt eædem potentiæ non elevatæ : eodem modo v. gr. tendere fidem *supernaturalem* in Deum, ac fidem humanam in hominem vel fidem *naturalem* in Deum.

IV

Q. 2° Quænam huic analogiæ inest vis ad probandam existentiam virtutum moralium supernaturalium.

Respondetur : Modo explicavimus et evolvimus analogiam quæ citatis verbis Suarezii exponitur. Quæritur nunc quanam certitudine constet de valore illius analogiæ : utrum et quomodo virtutes morales infusæ exinde probatæ existant. Jamvero :

1. Statim dicamus, quamvis hodie de existentia virtutum moralium supernaturalium sententia affirmans communissima evaserit, tamen illas justis infundi ne quidem theologice certum esse, et cuicumque argumento in favorem existentiæ illarum virtutum adducto, plenam apodicticamque certitudinem deesse (1).

In specie quoad argumentum de quo in præsenti agitur, nempe desumptum ex analogia inter ordinem naturæ et gratiæ, inde maxime suadetur sententia nostra, adeo ut, additis rationibus et confirmationibus ex Traditione, sensu Ecclesiæ, et sacra Scriptura, tanquam *vera* admitti debeat (2).

---

(1) Suarez, *l. c.*, n. 15, illam sententiam habet ut « opinionem theologicam probabiliorem, non quidem in eo gradu, ut contraria, temeritatis nota, vel alia simili censeri possit ». Quum tamen sententia contraria a tempore Suarezii († 1617) fere nullos patronos invenerit, videtur sententia affirmans absque temeritatis nota jam negari non posse.

(2) Varia illa argumenta evolvuntur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 301 ss.

Re quidem vera, a priori ex necessitate *actuum* supernaturalium ad existentiam *qualitatum* permanentium infusarum immerito quis concluderet. Nam « antequam his intrinsecis principiis instruatur anima, possibile est ut homo agat supernaturaliter sub influxu transeuntis motionis Dei (1) », et ideo præcise absolutam necessitatem virtutum moralium infusarum probare non valemus. Verum, si ad agendum in ordine ad finem supernaturalem nullo alio auxilio nisi gratia actuali instrueremur, tunc evidenter homo non possideret in se operativam potentiam quæ primo ex infusione virtutum ei accedere intelligitur.

Jamvero huic defectui opponi videtur perfectio quæ operibus Dei inest. Etenim, supra indicavimus (2) quam ordinate et perfecte Deus omnia disposuerit ut homo potuisset in ordine naturali finem attingere suum. Nonne mirum esset quod Deus, quum ad ordinem superiorem hominem elevaverit, ipsi infirmiores tribuisset facultates ad sublimiorem illum finem prosequendum? Quum ergo in ordine naturali homo per virtutes morales, quarum semen in ipsa sua natura invenitur, apte disponatur ad operandum circa finem, naturæ proportionatum, inde maxime suadetur Deum etiam novas quasi facultates justo infundere quibus permanenter habiles efficiatur ad opera, nostræ dignitati proportionata. In hac vero permanente habilitate ad talia opera ratio virtutis moralis consistit (3).

Merito igitur ratiocinatur Billot (4): « Dei perfecta

---

(1) Billot, *o. c.*, p. 33.

(2) Cfr. supra, p. 710 s.

(3) Cfr. Schiffini, *De Gratia divina*, 1901, p. 317. — Tanquerey, *Synopsis theologiæ moralis et pastoralis*, Romæ, Desclée, 1906, t. II, p. 345.

(4) o. c., p. 120 — Hanc eamdem rationem constanter affert Angelicus, quasi fundamentalem, quoties hac de re disputat. Cfr. 1-2, q 62, a. 1; a. 3; *De Virtutibus in communi*, a. 10. Intelligitur ex dictis vis tribuenda verbo: « *Oportet* ut Deus infundat... », scil inspecta perfectione quæ nostræ elevationi inest, si verificetur dicta analogia inter ordinem naturæ et gratiæ. — Illud argumentum perspicuo suo ac lucido exponendi modo

sunt opera, neque mancum quid ac veluti truncatum in suis creationibus esse sinit. Est autem justificatio quasi nova creatio et novi hominis effectio...., oportet igitur ut in hac novi hominis creatione habeatur completus quidam organismus virtutum, non solum circa finem, sed etiam *circa ea quæ sunt ad finem* ». Quæ illatio eo verisimilior apparet, si præ oculis habeamus, esse fidei proximum (1) completum illum organismum virtutum *circa finem* existere, scilicet existere virtutes theologicas. Et sicut ex principiis naturalibus procedunt virtutes morales naturales (2), pronum est concludere principiis supernaturalibus, qualia sunt virtutes theologicæ, respondere virtutes morales supernaturales seu infusas (3).

2. Nec illam considerationem semovere potest, qui ex ipsa S. Scriptura demonstrare velit existentiam virtutum moralium infusarum.

In textu notissimo II Petr. 1, 4 s. affirmatur maxima

---

sic proponit TERRIEN, o. c., p. 163: Supposez.... que les vertus (morales) n'appartiennent pas à l'ordre des vertus infuses, qu'en résultera-t-il? Cette conséquence vraiment étonnante, que l'homme transfiguré dans son *être* par la grâce, et devenu déiforme, serait incomplètement déifié dans sa *vie morale;* en d'autres termes, que la vie morale où doit se refléter la dignité des enfants de Dieu, serait exclue de cette glorieuse transformation: car les principes prochains en resteraient purement naturels; tels en eux-mêmes qu'ils peuvent se rencontrer dans un pécheur, ennemi de Dieu.

Est-il croyable que Dieu, si magnifique en toute autre chose envers ses enfants, ait usé d'une telle parcimonie? Lui qui, dans l'ordre de la nature, a voulu que l'homme eût le pouvoir d'acquérir les vertus qui l'ordonnent à l'accomplissement plus fidèle et plus suave de ses obligations morales de justice, de tempérance et des autres vertus, aurait refusé le même pouvoir à celui qu'il élève à la dignité de fils? L'enfant des hommes aurait ses vertus propres, et l'enfant de Dieu n'aurait pas celles qui conviennent à sa nouvelle vie! Surnaturalisé dans sa tendance immédiate à la fin dernière par la foi, l'espérance et l'amour, il ne le serait plus dans ses tendances vers les fins intermédiaires et prochaines, si indissolublement unies avec l'existence ou la perfection de la charité »!

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 300.

(2) Cfr. supra, p. 712.

(3) Cfr. CAJETAN., in a. 3, q. 63, 1-2 S. THOMÆ.

et pretiosa dona nobis conferri, quibus efficimur divinæ naturæ consortes, quæque comprehendunt omnia quæ ad vitam et pietatem faciunt. Ea vero quæ ad illam vitam supernaturalem conferunt eruimus per analogiam ex illis quibus donamur in ordine naturali et dicimus : Sicut in ordine naturæ perfecte disponimur circa media in finem per qualitates permanentes quas *propriis viribus* acquirere valemus, ita ad vitam supernaturalem quam maxime faciunt qualitates permanentes *infusæ*, huic novæ vitæ proportionatæ. Quod revera confirmatur ex ipsa S. Scriptura; nam « in operibus virtutum quas consequenter enumerat Petrus, simul cum fide et charitate (quæ certo sunt virtutes *infusæ*) commemorantur etiam prudentia, abstinentia, patientia, pietas, aliaque hujusmodi » (1).

3. Quodsi illa analogia probetur *existentia* virtutum infusarum, quibus homo permanenter disponatur ad media adhibenda fini supernaturali proportionata, notandum est in hac eadem analogia inveniri argumentum quo eruitur *quænam* sint virtutes cardinales seu principales.

Etenim ex philosophia morali demonstratur hominem ut honeste agat vel in ordine mere naturali, quatuor habitibus seu qualitatibus bonis stabilibus esse adornandum, scil. justitia, prudentia, fortitudine et temperantia (2). Sic ab antiquo tempore docuerunt et philosophi

---

(1) Cfr. BILLOT, *o. c.*, p. 119; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 302.

(2) Cfr. CATHREIN, *Philosophia moralis*, Friburgi, 1900, p. 103 s.; MEYER, *Institutiones juris naturalis*, Friburgi, 1906, Pars I^a, p. 302. — Cfr. etiam S. THOMAM, 1-2, q. 61, a. 2, 3; *Quæst. disput.*, a. 1, ubi Angelicus arguit ex auctoritate Philosophi. — Notum est testimonium illud *Sapientiæ VIII*, 7 : « Et si justitiam (de gerechtigheid, rechtschapenheid) quis diligit : labores hujus magnas habent virtutes: *sobrietatem* enim et *prudentiam* docet, et *justitiam* et *virtutem* (standvastigheid), quibus utilius nihil est in vita hominibus ». — TANQUEREY, o. c., p. 340 : « Hæc divisio jam a tempore S. Ambrosii († 397) communis evadit in Ecclesia. Hic prior esse videtur qui quatuor prælaudatas virtutes *Cardinales* appellaverit ».

gentiles. Jam apud Ciceronem (1) præclarum illud legimus : « Omne quod est honestum id quattuor partium oritur ex aliqua : aut enim in perspicientia veri solertiaque versatur (*prudentia*, scil. voorzichtigheid of wijsheid) ; aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide *(justitia)*; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore *(fortitudo)*; aut in omnium, quæ fiunt quæque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et *temperantia* ».

Rursus exinde inferimus, vi analogiæ quæ merito supponitur inter ordinem naturæ et gratiæ, etiam in ordine supernaturali existere a Deo nobis infusas quatuor illas virtutes cardinales ; ita ut in earum extensione quæcumque virtutes morales comprehendantur (2).

Nota. Qui dubitarent de existentia virtutum moralium infusarum, arguendo habitus acquisitos, mediante gratia actuali vel virtutibus theologicis ad vitam supernaturalem sufficere, haud satis attenderent specificum vigere discrimen inter utriusque modi virtutes morales. Ita, quoad virtutem infusam temperantiæ, « manifestum est, ait S. Thomas (3), quod alterius rationis est modus, qui imponitur in concupiscentiis tactus secundum regulam rationis humanæ, et secundum regulam divinam : puta in sumptione ciborum, ratione humana modus statuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum ; secundum autem regulam legis divinæ, requiritur quod homo castiget corpus suum, et in ser-

---

(1) *De off*, l. 1, c. 5.

(2) Quonam sensu dicantur virtutes cardinales, explicatur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 305 s. — Non inutile erit animadvertere in præsenti materia non unice ex ratione argui, sed semper ut fundamentum haberi duplicem hanc veritatem theologicam : « L'existence de la grâce dans l'âme des justes, c'est-à-dire d'une forme permanente qui lui donne un être divin ; puis la destination de tout enfant de Dieu à la vision intuitive, c'est-à-dire à la béatitude parfaite qui surpasse universellement tout mérite et toute énergie native d'une substance créée ». TERRIEN, *o. c.*, p. 134.

(3) 1-2, q. 63, a. 4, in corp.

vitutem redigat per abstinentiam cibi, et potus, et aliorum hujusmodi: unde manifestum est, quod temperantia infusa et acquisita differunt specie: et eadem ratio est de aliis virtutibus ».

Frustra urgeret quis potentias naturales sufficienter determinari ex inclinatione virtutis theologicæ charitatis; quia, etsi charitas illos actus imperet, minime tamen eos elicit. Unaquæque virtus determinatur objecto suo proprio. Unde habitus quo eliciuntur actus amoris Dei, et actus quo v. gr. appetitus concupiscibilis refrænatur, ad unum eumdemque habitum pertinere nequeunt. Verum est cæteros habitus charitatem, tanquam reginam virtutum comitari, et a charitate ad ultimum finem supernaturalem ordinari; sed eo ipso exigitur ad perfectionem totius œconomiæ supernaturalis, ut habitus illi sint res proportionatæ ipsi charitati, scil. supernaturales. Oportet enim charitatem habere media sui ordinis (1).

A. Soetaert.

V

Q. Explica regulas juris: *Ignorantia facti non juris excusat* et *Præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur.*

R. Gregorius IX et Bonifacius VIII inseruerunt, alter ad calcem Libri V Decretalium, alter in fine Libri VI Decretalium, textus quosdam quos inscripserunt *de Regulis juris.* Hæ regulæ juris authenticæ denotant sententias generales quæ plures leges agentes de diversis rebus eamdem rationem habentibus, brevi et claro compendio, complectuntur atque proponunt. Sunt consequentiæ juris, ab ipso legislatore ex anteriore jure deductæ, ita ut *non ex regula jus novum sumatur sed ex jure quod est regula fiat.* Attamen, quemadmodum ut normæ seu principia seu rationes

(1) Billot, *o. c.*, p. 121. — Terrien, *o. c.*, p. 164 s.

decisionum passim in collectionibus publicis applicantur, ita a legislatore hodierno applicari valent quoad omnes casus non exceptos, nam *nulla regula sine exceptione* (1).

Regulæ XIII et XLVII in VI°, de quibus agitur in quæstione, loquuntur de ignorantia, quatenus causa existat excusans a culpa et a pœna in foro externo seu sociali Ecclesiæ (2). Hic sermo est de culpa juridica seu de externa omissione debitæ diligentiæ, quæ in facie societatis alicui imputatur, sive sit peccatum formale sive non; etenim de manifestis et externis tantum judicat Ecclesia.

Jam vero, ex una parte, cum quod culpa careat in damnum vocari non debeat, ignorantia in utroque foro per se excusat factum ne peccatum sit et pœnam ei debitam; et ex altera parte, cum judex cordis arcana penetrare non valeat, necessario hac in materia stare debet præsumptionibus quas jura pro bono ordinis inducant, dubii solvendi causa.

Hujus generis præsumptiones, et quidem juris tantum, regulis citatis statuuntur, quarum sensus ita paucis enunciari fas est:

Scientia juris regulariter præsumitur, ubi ignorantia invincibilis non probatur et Ignorantia invincibilis facti alieni regulariter præsumitur, ubi ab adversa parte scientia non probatur.

---

(1) De regulis juris in genere agunt: De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can-civ. compend.* ed. 7, in procemio, p. LV ss.; Wernz, *Jus Decretalium*. T. I. *Introductio*, n° 134, p. 140. Romæ, 1898; Zech, *Præcognita juris canonici*, edit. 2, § 427 ss., p 342. Ingolstadii, 1786. Singulas regulas interpretati sunt: Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, in append. ad Lib. V. Decretalium *de regulis juris in VI°*; Pirhing, *Synopsis*, in fine Lib. V. tit. 41; Maschat-Giraldi, *Institutiones canonicæ*, in fine Lib. V, tit. 41; Joh. Streinio, *Summa Juris canonici*, in fine Lib. V. Decret. *de regulis juris in VI°*.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, t. II, n° 1376, p. 730; Van den Berghe, *Tractatus de legibus*, ed. 2, p. 126 s. Brugis, 1904; Feye, *Tract. autogr. de pœnis*, p. 26 s.; Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 15, 16, 17, p. 76 ss. Mainz, 1899.

Explicatur.

I. Scientia juris *regulariter* præsumitur, ubi ignorantia *invincibilis* non probatur. Lex debito modo promulgata, et elapso tempore sufficienti ut in notitiam communitatis deveniat (1), pro bono societatis censetur omnibus nota; porro ejus scientia præsumitur, præsumptione juris tantum, atque ignorantia regulariter excusationis loco admitti non potest, nisi sufficienter probetur inculpabilis seu invincibilis, ex facti circumstantiis præcedentibus, concomitantibus aut subsequentibus — quod quidem difficile est (2). Ergo ad regulas pro foro interno positas (3) tunc tantum recurret judex quando ex ipsis facti circumstantiis probatur culpæ absentia, vel talis culpabilitatis levitas ut irrationabiliter lex crude applicaretur. Suprà dicitur *invincibilis* ignorantia, quia ignorantia vincibilis circa ea quæ quis scire tenetur juxta status conditionem et officia in foro externo nunquam excusat, cum scire et scire debere facileque posse, in jure paria habeantur. Ceterum, ignorantia inculpata dicitur etiam ignorantia actualis et actualis oblivio, etsi cum scientia habituali.

Additur *regulariter*, nam prædicta regula fallentias patitur seu exceptiones ab ipso jure determinatas. Ita ignorantia juris ecclesiastici præsumitur in minorennibus, in omnino rudibus, in fœminis saltem quoad vitandum damnum; ita fallit etiam regula, quando lex ad corpus delicti exigit ut audacter, cum scientia et præsumptione in legem delinquatur (4).

Fieri igitur potest ut quis invincibiliter ignorans ali-

---

(1) Van den Berghe, *o. et l. c.*; Wernz, *o. c.*, nº 101, p. 112.

(2) Thesaurus-Giraldi, *De pœnis ecclesiasticis*. P. I, cap. XV, qu. 1; Suarez, *De legibus*, lib. V, cap. XII, nº 3 ss.; Hollweck, *o. c.*, § 15, § 17. Alio modo censet Reiffenstuel, *o. c.*, ad regulam juris XIII, nº 14; hanc præsumptionem habet ut *juris et de jure*.

(3) Van den Berghe, *o. c.*, p. 123, nº 137.

(4) Maschat-Giraldi, *o. c.*, in regulam juris XIII; Reiffenstuel, *o. et l. c.*, nº 21; Hollweck, *o. c.*, § 15, nota 1.

quam legem, a judice nihilominus legitime condemnetur, quia nempe ignorantiæ probatio deficit: tunc autem licet exterius parere teneatur, tamen in conscientia non tenetur exequi pœnam, potestque illam omittere, modo caveat scandalum (1).

II. Ignorantia *invincibilis facti alieni regulariter* præsumitur, ubi scientia ex parte adversa non probatur.

Sensus regulæ est: Qui ignorantia facti alieni absque sua culpa laborat, excusationem meretur, quia facta aliena certo numero non continentur, sed innumera sunt, quæ proinde diligentissimum quoque ac scientissimum fugere possunt.

Dicitur *invincibilis* ignorantia quia ignorantia improbabilis et culpabilis in foro externo nunquam excusat, nempe in iis quæ quis ex officio scire et indagare tenetur.

Dicitur *facti alieni,* « nam ignorantia proprii facti » non excusat, cum nemo prudens censeatur ignorare » facta propria, nisi forsan valde antiqua sint, vel si » quis plurimis negotiis implicatus, aut in extremis » existens foret, indeque verisimilis oblivio prudenter » præsumi valeret » (2).

Additur demum *regulariter*, nam fallit regula et ignorantia non præsumitur in iis quæ notoria sunt.

A. De Meester.

VI

Q. *Quid intelligitur nomine* missæ catechumenorum? *Paucis describe ejus indolem ac partes constitutivas, harum logicam ostendendo ordinationem.*

R. I. Judæis in solo templo Hierosolymitano sacrificia offerre licebat. Sed ubique terrarum in synagogis,

---

(1) Van den Berghe, *l. c.*, p. 127.

(2) Reiffenstuel, *o. c.*, in regulam XIII, nº 11; *Synopsis Pirhingiana*, p. 711.

singulis saltem sabbatis, conventus agere solebant, in quibus *orabant* in communi, psalmos *cantabant*, et S. Scripturam *legebant* ac *explicabant*.

Conventus religiosos sibi proprios habebant ab initio etiam christiani qui, ex Judaismo potissimum conversi, sponte sua morem et ordinem cœtus antiqui servaverunt, ita tamen ut libris Veteris Legis adjungerent scripta Novi Testamenti, in explicandis textibus doctrinam Christi inculcarent, et psalmos ac orationes sensibus et votis adaptarent christianis. Insuper addiderunt, diebus statutis, saltem dominicis (1), ritum religiosum essentialiter novum, sacrificium nempe eucharisticum seu missam, quæ tribus absolvitur, oblatione materiæ, consecratione et communione (2).

II. Ex his et origo et intelligentia quærenda est utriusque partis quam hodiedum in missæ liturgia rite distinguere licet ac oportet. Altera pars, ordine quidem posterior sed momento longe prior, tota quanta constat ipso ritu oblationis sacrificii, cum precibus ac cæremoniis quæ triplex sacrificii elementum mirabilem in modum explanant atque exornant et intime cum actione sacrificali cohærent, ab offertorio ad missæ finem. Quum soli baptizati ad tremendum mysterium admitterentur, vocata fuit hæc pars *missa fidelium*.

Huic parti præmittitur altera, quæ *missa catechumenorum* dicitur, quia qui ad baptismum se præparabant ei assistere poterant, post homiliam dimittendi. Merito

---

(1) Probabile minime videtur Apostolos et primos christianos singulis diebus conventus eucharisticos seu, ut aiebant, *liturgiam* celebrasse. Sed præter dies dominicas, mox etiam festa martyrum, agebant identidem conventus in quibus solam priorem partem officii seu missam catechumenorum celebrabant, quique adeo *aliturgici* nuncupantur De quibus cf. art. D. G. Morin, *Aliturgiques (jours)* apud *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie* de Dom F. Cabrol.

(2) Cf. Dom F. Cabrol, *Le livre de la prière antique* (Paris, 1900), chap. VI, maxime p. 81 ss. Dom E. Van Deur. *La Sainte Messe, notes sur sa liturgie* (Maredsous, 1907), 1e partie : la messe des catéchumènes. Sunt duo opera ad liturgiæ intelligentiam ac gustum valde commendanda.

nuncupatur etiam *præ-missa* non tantum quia missæ proprie dictæ ab antiquis præponi solebat (1), sed quia revera ita ordinata est ut celebrantis et adstantium mentes per lectiones et homiliam instruerentur et per preces ac psalmodiam disponerentur ad fructuosam sacrificii celebrationem. In hoc autem penitus ab altera parte discrepat quod verba et cæremoniæ non habent intimam et strictam connexionem cum ipso sacrificio, ita ut et in aliis ritibus convenienter adhiberi possint (2).

III. Constat autem catechumenorum missa : a/ *orationibus* quibus gratiæ a Deo impetrantur ; b/ *lectionibus* et *homilia* quibus plebs christiana eruditur ; c/ *psalmodia* qua sensus erga Deum suos exprimit (3).

Quorum omnium ordinatio maxime ex historia elucet.

1/ Per tria quatuorve priora sæcula, populo vix congregato, incipiebat oratio *litanica:* alternatim diaconus proponebat vota fidelium et Ecclesiæ, plebs vero respondebat repetendo singulis vicibus formulam quamdam supplicationis ad instar partis ultimæ litaniarum Sanctorum omnium (4). Hanc orationem litanicam absolvebat, ex Oriente proveniens *Kyrie eleison* pluries repetitum ; quod ultimum hodie solum nobis est servatum. Orationi litanicæ succedebat (5) *oratio collectiva,* cujus

---

(1) Censent nonnulli ævo apostolico utramque partem separatim celebratam fuisse. Sed certe sæculo secundo jam Eucharistiæ celebrationem præcedebat missa catechumenorum.

(2) Ita v. g. evangelium missæ recitatur (nunc partim) in tertio nocturno matutini officii. Ita *Confiteor*, lectiones ex S. Scriptura, versus et responsoria Graduali similia occurrunt in Breviario et aliis cæremoniis. Ita, dum secreta semper alludit ad materiam sacrificii offerendi, et postcommunio ad S. Communionem receptam (cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 713) et neutra hanc ob rem extra missam adhiberi convenienter potest, *collecta* nihil continet quod refertur ad sacrificium et ideo hæc oratio semper eadem est et in missa et in officio respondente.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 549.

(4) V. g.: Ut nobis parcas — *Te rogamus, audi nos.* — Ut nobis indulgeas — *Te rogamus audi nos* — Ut ad veram pœnitentiam... *Te rogamus.*

(5) Quod patet ex officio Sabbati Sancti et Sabbati ante Pentecosten ubi *Kyrie eleison* est simul finis litaniarum et — omisso Introitu — initium Missæ.

formam et cæremonias antiquas in orationibus feriæ VI in Parasceve servatas supra descripsimus (1), et quam in hodierna liturgia habemus in oratione quæ dicitur collecta.

2/ Sequebantur **lectiones** ex S. Scriptura, quorum numerus et extensio primitus arbitrio celebrantis relinquebatur, sed quæ decursu temporis, pro officii diversitate selectæ, decurtatæ, atque successive ad quinque et mox ad tres reductæ fuere, quarum prior ex prophetis, altera ex epistolis apostolorum, tertia demum ex evangelio desumebatur.

3/ **Psalmodia**, seu psalmorum aut versuum cantus, longiores lectiones interrumpebat et ab invicem separabat, amæna quadam varietate, quæ simul attentionem et pios affectus officio diei conformes fovere nata erat (2). Post lectionem propheticam cantabat chorus versus quos *Graduale* nuncupamus; apostolicam vero lectionem excipiebat, pro diversitate officii et temporis liturgici, vel *alleluia* cum versiculis adnexis, vel *tractus*. Ex quo autem inductus est mos unicam tantum ex duabus lectionibus recitandi, Graduali adjunctus est versus alleluiaticus aut tractus, ita ut uterque nostris diebus cantetur post epistolam.

4/ Evangelii lectionem sequebatur statim ejusdem explicatio seu **homilia**, qua finita, diaconus dimittebat catechumenos.

Hæc sapiens et logica ordinatio, ut ex dictis elucet, usque in hodiernam diem non fuit radicaliter mutata. Inserta tantum fuerunt in quibusdam missis: a/ *Gloria in excelsis* inter orationem litanicam et collectam; b/ *Credo* seu symbolum fidei quam convenientissime profitemur post fidei doctrinam ex Evangelio lectam et in homilia explicatam.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 413 ss.

(2) Idem est scopus et eadem fere ordinatio responsoriorum quæ cantanda sunt post singulas lectiones Matutini in Breviario.

Decursu etiam temporis his omnibus præmissa sunt quædam : a/ *Introitus,* seu cantus psalmi cum sua antiphona duplicata, qui cantabatur dum pontifex introibat ecclesiam et ad celebrandum se accingebat (1); b/ *preces præparatoriæ*, quæ olim in sacristia, postea vero ad pedem et in ascensu altaris recitandæ præscriptæ sunt, quæque aptissime sensus sanctum sacrificium celebraturo convenientes exprimunt.

C. CALLEWAERT.

(1) Cf. supra p. 44, nota 3.

Ex S. Congr. R. et U. Inquis.

In piis et religiosis Institutis celebrare licet tres Missas et S. Communionem distribuere in nocte Nativitatis Domini.

Feria V, die 1 Augusti 1907.

SS^mus D. N. D. Pius divina providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio, benigne indulgere dignatus est, ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis, clausuræ legi subjectis, aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte (1) Nativitatis D. N. J. C. tres rituales Missæ vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis (2), posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero hujus vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus, ad præcepti satisfactionem valere, eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. et U. I. Notarius.*

---

(1) Prima missa inchoari nequit ante *mediam* noctem, ut patet ex *Missalis Rubr. gener.*, XV, 4, et S. R. C. decretis 11 Maii 1878, *Societatis Jesu*, 3448^12 et 2 Jun. 1883, *Cuneen.*, n. 3576^10.

(2) De cæremoniis servandis confer, in *Appendice ad Rituale Romanum*, Instructionem S. R. C. de die 12 Septembris *De missa bis eadem die celebranda*.

E Sacra Congregatione Rituum

I

S. Communio in oratoriis privatis distribui potest omnibus qui missæ assistunt.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X in audientia habita die 8 Maii 1907 ab Emo et Rno Dno Cardinali Seraphino Cretoni, S. R. C. Præfecto, statuere ac declarare dignatus est, ut Indultis Oratorii privati intelligatur inclusa facultas sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui Sacrificio Missæ adsistunt; salvis juribus parochialibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, eadem die 8 Maii 1907.

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Voluntas Summi Pontificis omni ope promovendi praxim saluberrimam quotidianæ communionis manifeste elucet, sicut ex præcedenti indulto, etiam ex hoc decreto magnam innovationem inducente. Hucusque enim in oratoriis privatis indulto pontificio concessis S. Communio administrari poterat, de Ordinarii licentia, solis indultariis (1). Nunc autem distribui licite potest omnibus qui missæ assistunt, etiam iis qui in indulto non designantur et qui præcepto audiendi sacrum inibi satisfacere nequeunt.

Jura tamen parochialia, quæ salva servari debent, prohibent quominus ibidem administretur Viaticum (2) aut S. Communio pro præcepto paschali adimplendo.

C. Callewaert.

---

(1) Nuperrime adhuc ita statuebat S. R. C decretum *Malacitana*, die 10 februarii 1907.

(2) Infirmis in eadem domo decumbentibus licet S. Communionem *ex devotione* ministrare. Sola enim *delatio* publica S. Eucharistiæ ad hujusmodi infirmos ad jura parochialia pertinere dicenda est, non ipsa S. Communionis administratio.

II

DECRETUM

De Typica Editione Vaticana Gradualis Romani.

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Editionem, Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis, datis diebus XI et XIV Augusti anni 1905, uti authenticam ac typicam declarat et decernit; quippe quæ pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum gregorianum exhibet, prout is fuit a SS. D. N. Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque jussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma, quam varia plane instituerant et injunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanæ Cantus Romani, quod Graduali præmittitur.

Hæc autem Editio, ut in usum apud omnes ecclesias hic et nunc deveniat ita sancitum est, ut cæteræ quælibet Cantus Romani Editiones, ad tempus tantummodo juxta Decreta prædicta toleratæ, nullo jam in futurum jure gaudeant, quo typicæ substitui possint.

Quo vero forma Cantus aptius posset restitui, restitutæ sunt etiam nonnullæ hic illic quoad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienæ. Quarum restitutio, quum ab ipso Summo Pontifice, in audientia die XIV Martii anni 1906 Emo Cardinali Pro-Præfecto hujus Sacræ Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque præscripta, in futuris Gradualis Editionibus omnino erit observanda.

Juxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos, quibus id a Sede Apostolica conceditur, pertinet privilegium evulgandi eumdem Cantum, qui, quum sit vetus Ecclesiæ Romanæ patrimonium, ejusdem prorsus extat proprietas. Cautum est insuper, ne quid quovis prætextu editores præsumant addere, demere aut mutare, quod ipsius Cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur Editio Cantus gregoriani ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, et ab Ordinario queat permitti, debet esse typicæ huic omnino conformis, quoad ea præsertim, quibus

sive in Præfatis Decretis, sive in alio diei XIX Februarii anni 1906 specialiter provisum est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die VII Augusti 1907.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *S. R. C. Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III

Instructions concernant l'introduction du nouveau chant typique dans le missel (1).

1. A dater du présent jour, les feuilles contenant le nouveau chant typique du missel sont mises par le Saint-Siège, sans conditions spéciales, à la disposition des éditeurs, qui ne pourront plus désormais imprimer ou éditer le chant des missels actuellement en usage.

2. Le nouveau chant typique devra être inséré, dans les nouvelles éditions, exactement à la place de l'ancien.

3. Il pourra être aussi, soit publié séparément, soit ajouté à la fin des anciens missels actuellement imprimés, et, dans ces deux cas, précédé du titre général : *Cantus missalis Romani juxta editionem Vaticanam.*

4. Le trait *Sicut cervus* du samedi saint devra désormais être imprimé avec les paroles seules, sans les notes du chant.

5. Les intonations ou chants *ad libitum* (*Asperges me, Gloria in excelsis,* ton plus solennel des préfaces) ne pourront être placés dans le corps du missel, mais seulement à la fin, en manière de supplément ou d'appendice ; on pourra y joindre, soit dans les missels, soit dans les publications séparées des parties chantées, ceux des *Toni communes,* déjà publiés dans le graduel, qui concernent les ministres sacrés.

6. Rien n'est changé aux paroles mêmes du texte liturgique et des rubriques, qui doivent par conséquent être reproduites, sans modification, d'après la dernière édition typique (1900).

Rome, Secrétairerie de la S. Congr. des Rites, 8 juin 1907.

† D. Panici, Archev. de Laodicée, *Secrétaire.*

---

(1) Traduction de l'italien, cf. *Revue du chant grégorien,* 1907. t. XVI, p. 16 s.

Duo rescripta romana

I. Circa privilegia Fœderis sacerdotalis eucharistici.

SS. D. N. Pius Pp. X die 7 Maii 1907 dignatus est authentice interpretari dubia exorta circa privilegia concessa fœderi sacerdotali eucharistico (1). Juxta hanc interpretationem, manifeste extensivam, moderanda sunt quæ scripsimus suprà hoc t. XII, p. 295 ss.

1° Privilegium *communicandi semel in hebdomada* indulgentiam plenariam ita intelligatur ut possit communicari *semel pro pluribus hebdomadis.*

Inde facilior evadit confessario usus hujusmodi facultatis; ne tamen memoria excidat communicationis faciendæ, sibi unusquisque statuat normam sequendam, puta utendi sua facultate initio singuli mensis. Quæ norma non debet ita intelligi ac si ultra limites unius mensis extendi nequeat. Sic, ut sumatur exemplum practicum, posset confessarius extraordinarius, quoties accedit ad confessiones audiendas monialium, communicare indulgentiam plenariam *pro pluribus hebdomadis*, np. usque ad sequentem ipsius accessum occurrentibus.

2° Festivitates, in quibus sacerdotes adscripti Fœderi lucrari possunt indulgentiam plenariam *computandæ sunt juxta decretum S. C. Rit. d. d. 22 Augusti 1893* (n. 3810).

Hac declaratione derogatur jurisprudentiæ quam firmavit decretum S. C. Indulg. 18 Sept. 1862, sed tantum, ut habet rescriptum, « in casu exposito ». Unde elencho a nobis facto suprà p. 295 addi possunt festa Transfigurationis Domini (6 Aug.), Visitationis (2 Julii) et S. Mariæ ad Nives (5 Aug.).

---

(1) Textum exhibet periodicum: *Annales de l'assoc. des Prêtres-Adorateurs* (Bruxelles, Chaussée de Wavre, 205), Septembre 1907, p. 291.

3° Omnes indulgentiæ, sive plenariæ sive partiales, concessæ per Breve *Romanorum Pontificum* (1), declarantur applicabiles defunctis.

II. Privilegium concessum Sacerdotibus Adoratoribus.

Postulante Rev^mo Maes, episcopo Covingtonensi, SS. D. N. Pius Pp. X in audientia 29 Maii 1907 concessit « ut sacerdotes ex quacumque regione, qui nomen dederint prædictæ Associationi possint benedicendo coronas *eis annectere Indulgentias Crucigerorum vulgo dictas* ».

Ut notum est, acquiritur indulgentia *500 dierum*, applicabilis defunctis, quoties recitatur devote *Pater* vel *Ave;* neque est necesse integrum rosarium recitare aut mysteria meditari.

Benedictio fit *simplici signo crucis* absque pronuntiatione formulæ et sine aspersione aquæ benedictæ (*Decr. auth.*, n. 313). Hoc privilegium est omnino extraordinarium: olim potestas illa erat reservata solis PP. Crucigeris; nuperrime tamen Summus Pontifex speciales concessit facultates S. C. Indulg., ut posset communicare prædictam potestatem, sub certis restrictionibus (2). Amplissima nunc data facultate, ostendit Summus Pontifex quantis prosequatur benevolentia ac favore piam ac frugiferam Associationem Sacerdotum Adoratorum (3).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. *Suprà*, hoc t. XII, p. 53.

(2) Exemplum indulti particularis exhibent *Anal. eccl.*, t. XIV (1906), p. 452.

(3) Sedes est pro Belgio penes Patres SS^mi Sacramenti, Chaussée de Wavre, 205, Bruxellis.

Collationes Brugenses

SCHOLIA

de Sacrosancto Missæ Sacrificio

ab Episcopo Brugensi in gratiam Sacerdotum conscripta.

PRÆVIA.

« Si quid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certe est sacrosanctum Missæ Sacrificium, cujus beneficio fit ut homines quadam anticipatione possideant in terris cœlum, dum ante oculos habent et manibus contrectant ipsum cœli terræque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negligentiæ osores, qui sunt æmuli venerationis (1) ».

Quodsi ad omnes mortales hæc verba diriguntur, eadem præ cæteris attingere sacerdotes nemo non intelligit, qui hos a Deo constitutos novit ut, personam Christi ipsius, summi et æterni Pontificis, agentes, hoc tremendum Sacrificium offerant. Quare hinc quidem præcellentem sacerdotum dignitatem atque efficacissimum eorumdem ad salutem humani generis ministerium, inde vero summam sanctitatem atque fructus propemodum infinitos Sacrificii novæ Legis perpendentes, ab ipso suscepti oneris episcopalis initio non destitimus sacerdotes nostros in Christo dilectissimos

(1) Urbanus VIII, in litteris apost. 2 sept. 1634.

omni qua potuimus solertia ac perseverantia adhortari atque incitare ut, non tantum singulis diebus quam devotissime Sacrificium Missæ offerant, sed tamquam actum longe præcipuum et proprie sacerdotalem, prouti reipsa est, actum litandi habeant, atque uti centrum vitæ suæ sacerdotalis et fontem inexhaustum omnium gratiarum ac benedictionum cœlestium in se suumque sacrum ministerium descendentium.

Iisdem nunc moti rationibus eademque mente hæc de Sacrosancto Missæ Sacrificio Scholia theologica conscribere utile duximus, quibus quædam minus explorata aut obscura forte illustrentur.

Profecto nobis sacerdotibus, quibus insigni, maximo omnium Dei beneficio concessum est quotidie augustissimum istud sacrificium offerre, quibus fideles quoque ejusdem sacrificii summam excellentiam atque pretium docendi, eosdemque quam frequentissime ad illud adducendi munus incumbit, nobis, inquam, sacerdotibus, nihil potius cordi esse potest, quam ut magis magisque hoc sublime mysterium noscamus penitioremque ejusdem assequamur intelligentiam, quo magis in dies divini amoris in cordibus nostris ignis exardescat, eaque mirabili suavitate tanti mysterii repleat, atque animas nobis commissas per nos eodem amoris incendio inflammet, eadem suavitate ad cœlestia attollat.

Et, quoniam quod de re aliqua agendo primum merito quæritur est quid sit, prima quæstio erit de essentia Sacrificii Missæ, ex cujus cæterum solutione reliqua pendent, quæ de ejusdem præcellentia ac indole propria, efficacia ac fructibus, et porro de reverentia, puritate, devotione ac fiducia in eodem offerendo dicenda sunt.

SCHOLION I

De essentia Sacrificii Missæ.

Quæritur ergo *in quo consistat essentia Sacrificii Missæ*, aliis verbis, *an et qua ratione Missa sit verum sacrificium, idem cum Sacrificio crucis, quamvis incruento modo oblatum, hujusque simul commemorativum ac repræsentativum.*

Mirum nonnemini videbitur recentiores Scholasticos, Vasquezium, Suarezium, Lugonem, Lessium, alios, atque modernos deinceps theologos tantopere hac in quæstione solvenda laborasse, dum antiquiores, ipsique Principes Scholæ, S. Thomas, S. Bonaventura eamdem quæstionem quasi præterivisse videntur, ac si adeo facilem ac obviam habuerint solutionem, ut quæstionem proponere supervacaneum duxerint.

Ad hæc animadverterunt quidam rem revera facilem esse explicatu, dummodo retineatur notio sacrificii, quam ponebant antiqui ; totam vero difficultatem apud recentiores eo ortam esse, quod diversam posuerint notionem sacrificii, nempe introducendo notam oblationis *per realem aut æquivalentem destructionem* rei oblatæ, quæ quidem, aiunt, nota non pertinet necessario ad notionem sacrificii.

Quidquid sit de ratione cur antiqui non magis ex professo hanc nostram quæstionem pertractaverint, non putamus eosdem aliam notionem sacrificii habuisse quam recentiores (1); hosque, licet singulorum expli-

---

(1) « Mirum sane quod quidam ad S. Thomam provocant, quasi S. Doctor sacrificium consistere sine aliqua destructione rei oblatæ agnoscat, cum 2. 2, q. 86, a. 1, c aperte oppositum doceat: « Nomen oblationis commune est ad omnes res, quæ in Dei cultum exhibentur: ita quod si aliquid in cultum Dei exhibeatur, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debet consumendum, et oblatio erit et sacrificium. (Auctor recens putat hæc verti posse ; « pour être changé en une chose sacrée, qu'on en doit faire ». Sed neglexit citare quæ immediate sequuntur, videlicet :) Si vero exhibeatur ut integrum maneat, [adeoque: non consumendum] divino cultui deputandum [adeoque: licet sacrum] vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium ».

cationi aliquid opponi possit, vel et nonnullorum opinio plane rejici debeat, haud parum tamen contulisse ut veritas ampliorem in lucem collocaretur et veterum expositio plenius evolveretur et demonstraretur. Quorum quidem recentiorum prælucente disputatione, non tamen amplectendo ex integro aliquam ex eorum opinionibus, optime valet, ut nobis videtur, et revera facilius quam ex eorum sententiis, rite exponi essentia Sacrificii Missæ, retenta notione sacrificii, ab omnibus fere admissa, et nostra quidem sententia omnino retinenda (1), qua sacrificium dicitur : *oblatio a sacerdote soli Deo facta rei sensibilis vitam humanam repræsentantis ac eidem substitutæ, aut ipsius vitæ humanæ* (2), *per realem aut æquivalentem illius rei seu vitæ destructionem, in recognitionem supremi Dei dominii* (3).

Itaque nunc demonstrandum est hanc sacrificii descriptionem verificari in Missa.

Difficultas autem non est nisi in illa nota, qua sacrificium dicitur oblatio *per realem aut æquivalentem rei oblatæ destructionem*. Unde de ea sola nota agemus. Neque variorum recentiorum explicationes propone-

---

(1) Absque nota destructionis realis aut æquivalentis, non valet intelligi distinctio inter meram oblationem, et hanc specificam oblationem, quod est sacrificium. Aliis verbis salva non est forma physica propria sacrificii ; sed nec forma metaphysica seu significatio salva consistit, ut ex mox dicendis patebit.

(2) Videlicet intercedente divina auctoritate, cum solus Deus sit dominus vitæ et mortis : ita in sacrificio Isaac ; item in sacrificio crucis, ubi Christus vitam suam humanam obtulit.

(3) Hæc est immediata et directa significatio sacrificii, quæ non excludit sed imo includit alias significationes, seu alios tres fines sacrificii : eo enim ipso quod sit 1/ *Deus supremus dominus agnoscendus,* omnia ab ipso nos recipere confiteri debemus, adeoque et 2/ *gratias agere* pro acceptis, et 3/ *nova postulare;* atque in hypothesi peccati, in statu lapso, in quo sumus, 4/ reatum mortis pro peccato in supremum dominum confiteri et *divinam justitiam placare.* — Hac sola quadruplici significatione sacrificio attributa per destructionem vitæ vel rei eidem substitutæ, intelligi valet vera excellentia sacrificii, ab omnibus agnita, qua cunctis religionis actibus præstat et veluti summarium habetur totius cultus externi, quo non partim sed ex toto cultus internus Deo debitus exprimitur.

mus, quas cognitas ponimus, sed nostrum concipiendi modum explicabimus; hinc inde ex illorum disputationibus desumendo quæ, ut dicebamus, ad demonstrationem veritatis conferunt, illa quoque quæ merito illis objici possunt, nostræ opinioni non officere indicando.

Igitur, quod notam modo definitam sacrificii attinet in Missa verificandam, consideremus tria: *materiam* sacrificii, *actionem sacrificam*, et *formam* sacrificii quam actio eadem dat seu inducit.

In Missa, materia tamquam terminus a quo et in quo incipit actio sacrifica est panis et vinum; materia vero ut terminus ad quem tendit tamquam ad objectum sacrificii, et in quo essentialiter perficitur actio sacrifica est corpus et sanguis Christi seu ipse Christus sub speciebus panis et vini.

Actio sacrifica est ipse actus consecrandi panem et vinum seu transsubstantiatio activa panis in corpus et vini in sanguinem Christi, manentibus solis speciebus panis et vini.

Forma sacrificii est status ipse Christi sub speciebus panis et vini ab actione sacrifica productus.

Ex quibus habemus: 1/ essentiam Sacrificii Missæ sola consecratione contineri, quæ dat Missæ propriam formam suam physicam sacrificii, incruenti quidem, quia non est *immolatio* realis, ut in cruce; veri tamen et proprie dicti sacrificii, quia actio sacrifica ceu immolatio mystica inducit Christum sub forma victimæ æquivalenter immolatæ, siquidem Christum adducit et ponit in eo statu ut corpus ejus vere sit mandibile, sub specie panis, tamquam victimæ animalis immolatæ, et sanguis ejus vere fiat potus, sub specie vini, ac si esset effusus; quamvis maneat Christus totus, immortalis et gloriosus, sub utraque specie. Nec enim victima animata in sacrificiis mandibilis fit, cibus aut potus, nisi prius ponatur immolata, occisa.

Incassum hic objiceres quod Lessio opponitur, qui essentiam Sacrificii Missæ reponit in separatione vi

verborum corporis a sanguine: nempe hanc separationem seu immolationem mysticam quidem esse, nihil vero realitatis habere, adeoque ibi potius attentationem sacrificii esse, inefficacem, quam verum reale sacrificium. Nam, in nostro concipiendi modo, non est quidem realis, cruenta immolatio, sed nec esse potest, in ulla sententia, verum realis est status sacramentalis Christi consecratione productus, in quo vere ponitur Christus ad instar victimæ mandibilis, sub specie panis, et potabilis, sub specie vini; quemadmodum Salvator ipse ait: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus;* quod fieri nequit nisi Christus, vivus et gloriosus manens, sit tamen vere in statu victimæ et ad instar occisi.

Aliquis forte petet: an ergo in una consecratione solius panis vel solius vini subsistit jam essentia Sacrificii Missæ? Respondemus: id non affirmari a nobis in modo dictis. Potuisse salvari rationem sacrificii in una consecratione, si id Christus institutor voluisset, concedi potest; at, multo convenientius et expressius rationem sacrificii, simulque commemorativi ac repræsentativi sacrificii sui in cruce, Christus in utraque consecratione instituit, ut mox explicabitur.

Neque ad nos pertinet difficultas, quæ adversus Lugonem a quibusdam movetur: statum illum decliviorem et ad instar mortui, qualis est status sub speciebus panis et vini, status nempe cibi ac potus, in quo agnoscunt esse æquivalentem destructionem seu immolationem, sufficientem ad verum sacrificium; illum statum, inquam, non commemorare, quod tamen deberet, sacrificium cruentum crucis, aut saltem, etiamsi appellando cum card. Franzelin ad absentiam seu suspensionem omnis vitæ sensibilis ac organicæ in illo Christi statu naturaliter saltem consequentem, non esse nisi commemorationem *genericam* mortis Christi cruentæ. Reponimus enim non esse, in nostro exponendi modo, solummodo genericam, sed vere et om-

nino specificam commemorationem sacrificii crucis, quia essentiam Sacrificii Missæ non in hoc reponimus quod Christus ponatur in statu decliviori et ad instar mortui, *modo qualicumque,* sed sub speciebus panis et vini ponatur vere mandibilis et potabilis, quod non fit in animato offerendo, nisi prius ponatur *ut victima occisa*. Unde, etiamsi Christus in statu sacramentali naturaliter exercere dicatur omnes actus vitæ, etiam organicæ ac sensibilis, verum maneret eum ibidem esse ad instar victimæ occisæ, cujus caro vere manducari et sanguis realiter potari valet.

Ex dictis habemus: 2/ Missam ergo esse verum sacrificium, idem cum sacrificio crucis, siquidem idem est sacerdos principaliter offerens, eademque victima, Christus Dominus. Sed et Missæ sacrificium esse sacrificii crucis commemorativum, cum, sicut in cruce realiter immolatus est Christus, ita, licet gloriosus manens, in Missa realiter ponitur in statu victimæ vere mandibilis, quasi esset cruento modo immolatus. Nec per aliud Sacrificium Missæ est commemorativum sacrificii crucis, per aliud vero sacrificium, ut etiam opponunt Lugoni, sed eo commemorativum, quo vere sacrificium.

Nec solum commemorativum sed et ad vivum repræsentativum est Sacrificium Missæ cruenti Sacrificii Christi, ut bene Lessius explicat, videlicet quatenus duplici consecratione consistit, ita ut vi verborum corpus a sanguine separetur, quamquam per concomitantiam, gloriosus et immortalis cum sit Christus, ubi corpus et vicissim ubi sanguis Christi, ibi totus et integer Christus, Deus et homo adest. In hoc tamen insufficiens est explicatio Lessii quod in sola illa separatione mystica corporis et sanguinis Christi totam rationem ac essentiam Sacrificii Missæ constituit.

Sequitur ex dictis: 3/ relinquendam esse opinionem Vasquezii, et merito jam relictam, quatenus, distinguens inter sacrificium absolutum et relativum, Sacrificium

Missæ relativum esse dixit, habens significationem sacrificio propriam, sed meram commemorationem esse sacrificii crucis, ita ut non appareat esse simul verum et reale sacrificium.

Neque probandam esse explicationem Suarezii, qui in eo reponit essentiam Sacrificii Missæ quod, non quidem aliquo modo destruatur objectum principale offerendum, sed quod producatur, quod nempe producatur corpus et sanguis Christi, in recognitionem supremi Dei dominii. Hæc est opinio prorsus singularis, et inauditum est apud omnes aliquid dici posse offerri in sacrificium, non eo quod realiter aut æquivalenter destruatur seu immoletur, sed eo quod producatur. In nostra explicatione, complere possumus et acceptam reddere sententiam Suarezii, addendo: eo quod producitur corpus et sanguis Christi, *non simpliciter sed prout ita producitur ut sit in statu æquivalentis immolationis.*

Intelligitur ex dictis: 4/ Communionem esse partem, non quidem essentialem, sed integrantem Sacrificii Missæ: sufficit enim ad statum victimæ in Missa oblatæ, Christum poni ut cibum mandibilem, et ut potum, non vero requiritur ut reapse manducetur; manducatio tamen sacramentalis perficit seu integrat sacrificium.

Intelligitur: 5/ Panem et vinum quoque æquivalenter destrui, siquidem transsubstantiatur panis in corpus, et vinum in sanguinem Christi, remanentibus solis accidentibus panis et vini; adeoque potuisse quidem absolute in Missa offerri in sacrificium, simul cum objecto principali oblationis sacrificalis, id est, corpore et sanguine Christi (1); revera tamen non offerri in sacrificium, tum

(1) Non pauci, iique non infimæ notæ Auctores, inter quos citantur Suarez, Tanner, Amicus, Bellarminus, Aversa, Coninck, propugnant præter Christum etiam panem et vinum, in Missa, sacrificio offerri. Ipse Lugo scribit, disp. XIX, n. 99: « Panis et vinum vere destruuntur in honorem Dei, et ideo secundario et minus principaliter sacrificantur, quia non ita principaliter intenditur Dei cultus per eorum destructio-

quia simile sacrificium non videtur congruere cum indole novæ Legis, tum præsertim quia ex Christi institutione non ratione sui et propter se offeruntur panis et vinum ut verum objectum, quamquam secundarium, sacrificii quod est proprie corporis et sanguinis sui, sed solum assumuntur ut materia sacrificii ejusdem corporis et sanguinis in ordine ad hoc ut sub speciebus panis et vini ponatur Christus in statu victimæ, mandibilis, qua æquivalenter immolatus seu occisus; qui quidem Christus solus proprie est victima sacrificio oblata.

Merito tamen fit in S. Liturgia oblatio panis et vini, quia in pane et vino incipit actio sacrifica tamquam in materia sacrificii ut in termino a quo; eoque meliori jure quod in termino ad quem remansuræ sunt species seu accidentia ejusdem panis et vini, et remanere quidem debent ut sub iisdem Christus in statu victimæ, mandibilis, constitui possit. Unde nihil mirum Ecclesiam Romanam oblationem panis et vini semper faciendam præscribere atque etiam supplendam saltem mentaliter, jubere, si aliquis defectus materiæ adverti post offertorium contigerit, ut ex rubricis Missalis Romani de defectibus constat. Nec etiam mirandum est, quod S. Liturgia in orationibus offertorii: *Suscipe, sancte Pater; Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris; Suscipe, Sancta Trinitas,* videtur omnino jam de vero sacrificio loqui. Nam, cum in pane et vino tamquam in materia, ut termino a quo, incipiat actio sacrificalis, in oblatione panis et vini jam considerat S. Liturgia Sacrificium tamquam totum, quod licet nondum sit perfectum, tamen vere paratur et incipit per hanc oblationem materiæ; loquitur proin non de sacrificio quod nunc in pane et vino partim absolvatur, sed quod mox

---

nem ». Atvero, non sufficit ut destruantur seu potius transsubstantientur panis et vinum, ad hoc ut sint victima sacrificii, ut in textu nostro explicatur.

in consecratione panis et vini perficietur, ita ut sub specie panis sistatur immaculata hostia atque calix salutaris sub specie vini, et quod postea hostiæ manducatione et calicis potatione integrabitur. Ubi quoque adverti potest nuspiam *panem* aut *vinum* nominari, sed *hanc hostiam immaculatam, calicem salutaris, hanc oblationem.* Præterea scopus illarum orationum evidenter est, ut tum fines sacrificii ante oculos ponantur, tum inducantur ac petantur animi dispositiones ad ministerium offerendi cum Christo principaliter offerente digne ac sancte exercendum, ita ut *Deo placeat* et *acceptabile fiat* sacrificium nostrum; quo satis elucet in hisce oblationis orationibus non respici aliquod sacrificium heic absolutum sed quod paratur mox perficiendum. Et certè Christus est principaliter offerens, ejusque sacrificium semper et de se Deo placet, illud autem offert eo ipso quod in consecratione præsentem se sistit sub speciebus panis et vini, in statu victimæ mandibilis ac proin æquivalenter immolatum: proinde sacerdos ministerialiter offerens, non ante, sed tunc cum Christo vere sacrificium perficit.

Itaque jure merito in Sacrificio Missæ, præter varias orationes ac cærimonias quæ partes ejus circumstant et ornant, quod meliori adhuc jure quam in ministratione sacramentorum providit Ecclesia, distingui possunt tres partes: prima est *initialis,* præparatoria quidem non vero remote tantum nec mere extrinseca, sicut orationes præviæ et subsequentes quæ eamdem exornant, neque essentialis est hæc pars nec integrans, sed nihilominus intrinseca sacrificio ejusque initium et proxima præparatio, estque *offertorium.*

Secunda est *essentialis,* in qua perficitur proprie sacrificii oblatio, estque *consecratio.*

Tertia est *integrans,* videlicet *communio,* in qua victima ulterius consumitur sacramentali manducatione.

Nemo non videt quam aptissime quæcumque de modo concipiendi essentiam Sacrificii Missæ exposui-

mus conveniant cum S. Liturgia Romana, ita ut adagium *Lex orandi, lex credendi*, hic quoque verificetur et nos, ut confidimus, ad primæ nostræ quæstionis solutionem conduxerit optimam, eamque facilem ac conformem, ut putamus, antiquiorum Scholasticorum opinioni. Sic S. Thomas et S. Bonaventura in sola consecratione panis et vini actionem sacrificalem constituunt, qua Christus sub speciebus panis et vini, ut cibus et potus animarum, adeoque, ut victima mandibilis, æquivalenter immolatus inducitur; qua in re ita evidenter ratio sacrificii, ejusque commemorativi ac repræsentativi sacrificii crucis, illis forte apparuit, ut ulterius de eadem ratione sacrificii in Missa inquirendum non cogitaverint.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1908

—

I

In prophetia messianica Is. VII, 14-16 et contextu (VII, 17-VIII, 5) prædicitur devastatio *proxime* futura, sc. antequam Emmanuel annos discretionis attigerit. At verò Christus solùm 735 annis post latam prophetiam natus est. Ostende sensum vaticinii messianicum cum contexta oratione conciliari posse.

II

Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem: *Quum in deposito fidei veritates tantum revelatæ contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum:* quæ est quinta inter damnatas decreto *Lamentabili sane exitu.*

III

Quomodo distinguuntur præcepta legis naturalis: a/ ratione *cognitionis*, b/ ratione *vis et efficaciæ*, c/ ratione *modi obligandi?* Explica responsum.

IV

Quæritur 1°/ utrum et qualis generis augmentum in virtutibus infusis admittendum sit;

V

2°/ quanam ratione causalitatis operationes nostræ supernaturales ad hoc augmentum conferant.

VI

Qualem valorem juridicum habet Corpus juris canonici?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Interpretare Ps. X: In Domino confido etc.*

R. I. **Inscriptio.** *In finem; Psalmus David.* Verba: *in finem* reddunt versionem LXX εἰς τὸ τέλος. Targum habet: *ad laudandum;* Aquila: *victori* seu *pro victoria.* Quæ omnes interpretationes sensum et pronuntiationem prioris tituli hebræi haud certam fuisse ostendunt. Probabilior lectio heb. est: *lamĕnazech:* (pertinens) *ad præfectum* scil. chori, ità ut sensus sit: Psalmus desumptus e collectione (1) quæ titulum habet: *Præfectus* (chori), seu e Psalterio dicto « Psalterio Præfecti ».

Psalmus David: heb. *Ladavid*, titulus est 74 psalmis præfixus. Hic titulus non necessariò significat Davidem antiquitus velut singulorum horum psalmorum auctorem agnitum fuisse, cùm plures reperiantur ità inscripti qui a Davide certò non sint derivandi, utpote tempore exsilii Babylonici vel etiam postea concinnati. Verùm, hoc titulo condecorata fuerit prima Psalmorum collectio ad usum Synagogæ a Davide exarata, cui Psalterio decursu temporis partes additæ fuerint, (2) inscriptæ nomine Davidis, sacræ poeseos parentis, et liturgiæ instauratoris (3). Fuerit ergo psalmus X desumptus e

---

(1) Lamed igitur in v. hebr. non est lamed auctoris, uti ajunt, neque significat: (Psalmus) tradendus magistro, chori: per se intelligebatur psalmos a Levitarum choro canendos, hujus præfecto esse tradendos. Cf. Baethgen, *Die Psalmen,* Göttingen 1897, p. XI; Briggs, *A critical and exegetical Commentary on The Book of Psalms,* Edinburgh 1906, t. I, p. LXXII s. — Psalmi multi (sc. 55) hunc titulum præfixum habent.

(2) Cf. Briggs, *o. c.,* p. LXI ss.

(3) Cf. *Eccli* XLVII, 9-12.

primo Psalterio Davidico, et pertinens ad « Psalterium Præfecti » (1).

Haud certò statuere valemus a quonam auctore et quo tempore hic psalmus concinnatus fuerit.

II. **Argumentum et Analysis.** Psalmus est moralis quo auctor, nomine justorum loquens, mediis in periculis quibus divexatur et angustiis domesticis quibus premitur, plenam suam in Deo justo fiduciam testatur.

1^or^ **Stropha:** « Fugite, dicitur mihi, quia maximum urget periculum, et nulla jam superest alia spes salutis » (vv. 2-4). — 2^a^ **Stropha:** sed spes mea in Domino est: ipsi confido, quia Jahveh 1° regnat in cœlo, in throno inconcusso, unde cuncta terrena videt et novit (v. 5); 2° quia bonos protegit (v. 5^a^), malos verò dure castigat (vv. 5^b^, 6-7), utpote justissimus erga omnes (v. 8).

III. **Interpretatio. 1^or^ Stropha.** V. 2. *In Domino confido,* hebr. ad Dominum confugi. Reliqua hujus strophæ verba eorum sunt qui fugæ consilium et motiva exponunt. *Quomodo dicitis animæ meæ:* non est cur mihi dicatis: *transmigra*, fuge *in montem sicut passer* seu avis.

Nota. Aves ubi periculum instat ad silvas confugere solent, quæ in Palæstina nonnisi in montibus reperiebantur. Montes autem Judææ propter cavernas rupesque impervias, fugâ sibi consulentibus latibula præbebant. (Ita Davidi *I Reg.* XXIV, 26, Mattathiæ *I Mac.* II, 28).

3. Ratio cur fugiendum sit: *Quoniam ecce peccatores* seu impii sc. inimici Psalmistæ et omnium justorum (v. 4), *tendunt arcum*, *paraverunt sagittas suas in pharetra*, heb.: paraverunt sagittam suam super nervum (seu chordam), *ut sagittent* et confodiant *in obscuro* seu modo insidioso *rectos corde* sc. justos omnes, te tuosque socios (2).

---

(1) 29 Psalmi hoc modo inscripti annexas habent notationes musicales circa tonos usurpandos, voces eligendas ac instrumenta in solemni cantu adhibenda.

(2) Unde cogitandi non sunt hostes publici, sed potius homines impii, adversarii justorum privati, qui comparantur sagittariis insidias molientibus.

4. Pergunt loqui qui fugam suadent. *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt*, heb. potius: quando fundamenta (sc. ordinis socialis atque civilis seu leges atque juris statuta) destructa sunt, *justus autem quid fecit?* sc. ad ordinis adeoque ad suiipsius tutelam? Scil. nihil facere potuit. Nonne sola superest fuga?

2ª Stropha. Respondet Psalmista: cum spes humana omnis evanuerit, in Deo se perfecte confidere.

5. *Dominus* (heb. Javeh) (est) *in templo* (heb. palatio) *sancto suo* (cœlesti); *Dominus* (nominativus absolutus) *in cœlo sedes* (thronus) *ejus* (est), et inde mundum hominesque regit.

Oculi ejus respiciunt aspectu exploratorio *in pauperem*. Verba *in pauperem* desunt in hebræo; quædam versiones apte supplent: in mundum (1); *palpebræ ejus interrogant* seu explorant *filios hominum*.

6. *Dominus interrogat justum et impium: qui autem diligit iniquitatem odit animam suam*. Heb. melius: Jahveh examinat justum (et angustias in quibus versatur vv. 2-3, ut illi opem ferat); impium (justo insidias parantem) odit anima Ejus.

7. *Pluet* (scil. Jahveh) *super peccatores laqueos ignis*, heb. potius (2) carbones ignis: *(et) sulphur et spiritus procellarum* (ventus urens seimoun seu sirocco) *pars calicis eorum*. Sensus est metaphoricus: pœnæ terribilissimæ (3) erunt portio ipsis epotanda, i. e. sors illorum (4). En responsum ad quæstionem v. 4: *Justus autem quid fecit?* Nihil facere debet contra insidias impiorum: Jahveh curam ejus gerit et impiis judicium vindicativum et ultrix parat.

---

(1) Ita Theodor., Fragmenta papyr. Londin., textus Syr. hexapl. Hoc vel simile verbum e textu hebræo exciderit.

(2) *Phegam* loco *phagim;* ità Symmachus: ἀνθρακας.

(3) Poëta sacer divinæ punitionis Sodomitarum memor est: *Gen.* XIX, 24.

(4) Calix figurate id est quod alicui obvenit in convivio; *Ps.* XV, 5: ergo loco potionis gaudii bibent potionem amarissimam iræ vindicantis: Jahveh sortem eis imittet acerbissimam.

8. Tam diras pœnas impiis immittet Deus, *quoniam justus Dominus et justitias dilexit*, heb. probabilius (1): quoniam justos Jahveh diligit. *Æquitatem vidit vultus ejus*, heb.: æqui seu justi videbunt faciem ejus sc. in templo seu palatio ejus (v. 5), in cœlo (cf. *Ps.* XV, 11; XVI, 15).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone notionem* notæ *Ecclesiæ.*

R. 1. *Nota* alicujus rei est signum quo res innotescit, seu quo res agnosci et ab aliis rebus secerni potest *(kenteeken, kenmerk)*. Inde *Ecclesiæ nota* est aliqua ejusdem proprietas qua ut vera et genuina Christi Ecclesia cognosci et ab aliis cœtibus religiosis distingui potest.

Dicitur *proprietas* et sic designatur perfectio quæ ad essentiam consequi intelligitur et quæ necessario cum illa essentia connectitur. Quum Ecclesia sit aliqua societas debet habere proprietates cujuslibet societatis; sed quum sit societas essentialiter supernaturalis et, tota quanta est, dependens a voluntate ejus Fundatoris, sc. Christi, Ecclesiæ proprietates, realiter et in concreto spectatæ, tales erunt quales ipse Christus voluit.

Non tamen omnis Ecclesiæ proprietas est ejusdem *nota:* quia non omnis proprietas est *quoad nos* cognoscibilis: v. gr. indefectibilitas (2); infallibilitas in docendo.

Sed insuper ut proprietas sit nota oportet ut sit, *distinctiva* Ecclesiæ. Hinc occurrit distinctio inter proprietates quæ sunt *negative distinctivæ* et proprietates quæ sunt *positive distinctivæ* (3). Proprietas *negative* distinctiva est illa ex cujus absentia concludi potest cœtum, a quo abest, non esse veram Christi Ecclesiam;

(1) Cf. Briggs, *o. c.*, p. 92.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 636.
(3) Cf. De San, *De Ecclesia*, Brugis, 1906, p. 74.

proprietas *positive* distinctiva est illa ex cujus præsentia concludi potest cœtum, in quo adest, esse veram Christi Ecclesiam. Et sane in corporibus physicis dantur quædam proprietates *genericæ*, quæ non sunt distinctivæ specierum et quæ tamen sunt proprietates essentiales, quippe quæ ex ipsa essentia seu natura consequuntur (1): v. gr. facultas videndi, formaliter considerata, est proprietas essentialis hominis, non tamen est positive distinctiva hominis, quia est communis et homini et brutis; pariter Ecclesiæ proprietas essentialis, *formaliter* spectata (2), potest esse communis cum aliis societatibus: v. gr. *unitas* fidei, regiminis, communionis, est proprietas essentialis Ecclesiæ veræ; non tamen repugnat ut unitas, formaliter considerata, inveniatur in aliquo cœtu religioso, distincto a vera Christi Ecclesia. Dantur ergo notæ negativæ; imo, ut recte notat P. *Billot:* « Notæ mere negativæ possunt in infinitum multiplicari. Quidquid etiam boni retinet unaquæque religio, puta quod doceat non esse occidendum, non esse adulterandum, honorandos esse parentes, et si quid aliud ejusmodi, quidquid etiam de institutis Christi utcumque apud se servat in usu baptizandi vel conficiendi Eucharistiam, aliisque similibus, potest ad notam negativam referri; nam ubi ista desunt, eo ipso et independenter ab aliis rationibus, statim apparet veram ibi religionem christianam non esse » (3).

2. Ut autem aliqua proprietas sit nota *positiva* Ecclesiæ tres requiruntur conditiones: a/ ut sit notior quam est ipsa Ecclesia: ratio est quod signum sive nota est id ex quo tamquam ex notiore deducimur in cognitionem alterius (4); b/ ut sit omnibus obvia, omniumque

---

(1) Cf. S. Thomas, *De spiritualibus creaturis*, a. 11.

(2) Dico *formaliter* spectata: nam *realiter et in concreto* spectata, omnis Ecclesiæ proprietas in ipsa sola inveniri potest, quum sit unica.

(3) *De Ecclesia*, T. I, Romæ, 1898, p. 130.

(4) Ideo duæ notæ a Protestantibus propositæ, sc. *sincera verbi Dei prædicatio* et *legitima sacramentorum administratio*, non sunt notæ: nam illæ

captui accommodata: nam quum omnes homines teneantur ingredi Ecclesiam, oportet ut hæc fulgeat quibusdam proprietatibus tam conspicuis ut omnes, modo tamen ipsorum captui proportionato, valeant ex illis cum certitudine discernere veram Ecclesiam (1); c/ ut exclusive competat soli veræ Christi Ecclesiæ: nam secus non apta foret qua discernatur vera Ecclesia ab aliis.

3. De *numero* et de *natura* notarum, qua talium, nihil definivit Ecclesia catholica. Licet in symbolo Constantinopolitano dicamus: credo... in *unam sanctam catholicam* et *apostolicam* ecclesiam (2), tamen mens concilii non fuit *definire* quænam sint notæ veræ Ecclesiæ; probabilissimum tamen est patres de industria enumerasse proprietates maxime conspicuas quæ inservire possint veræ ecclesiæ dignoscendæ (3). Plerique theologi nunc (4) illas quatuor statuunt notas, licet non omnino conveniant in determinando ulterius quænam sint *positivæ*, quænam tantum *negativæ*.

Adnotatio. *Id* quod a Christo, tamquam proprietas, suæ Ecclesiæ fuit annexum, potest in se, *realiter* consideratum, apparere ut verum *miraculum* ordinis moralis: talis est v. gr. *unitas catholica*. Inde catholica

---

proprietates, si *complete* sumuntur, non sunt notiores quam Ecclesia: vera enim Ecclesia est prius cognoscenda quam possit cum certitudine constare de sincera verbi Dei prædicatione et de legitima sacramentorum administratione. — Si ageretur de una vel altera veritate, de uno vel altero sacramento, possent hæc adhiberi tamquam notæ mere negativæ. Cf. De Brouwer, *De Ecclesiâ*, n. 325 s.

(1) « Hinc licet proprietates illæ ex quibus doctis solummodo et perspicacibus ingeniis valet persuaderi veritas ecclesiæ, possint vocari *notæ secundum quid*, non sunt tamen *notæ simpliciter et universaliter*, de quibus solis hîc quæritur ». De San, *o. c.*, p. 74, n. 95.

(2) In textu græco legitur: εἰς μίαν ἁγίαν, καὶ ἀποστολικὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν. Cf. Denzinger, *Enchiridion*, n. 47.

(3) Cf. De San, *o. c.*, n. 100.

(4) Antea fuerunt theologi qui statuerunt plures vel pauciores quam quatuor prædictas notas. Cf. Turmel, *Histoire de la théologie positive du concile de Trente au concile du Vatican*, Paris 1906, p. 118 ss.

unitas assumi potest — et in tractatu de vera religione assumitur — ad demonstrandum directe societatem religiosam, quæ talis est, esse vere *divinam*, absque demonstratione historica de facto quod Christus instituerit veram societatem ac illam donaverit certis proprietatibus quibus illa dignosceretur. Tunc, ut patet, illa qualitas non consideratur *formaliter* ut proprietas vel nota veræ Ecclesiæ (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Solve sequentem difficultatem:*

Si in justificatione infunderentur virtutes morales, destruerentur in adulto justificato vitia illis contraria, et facilitaretur potentia ad actus morales.

Atqui in adulto justificato remanent habitus vitiosi, qui ante justificationem inerant, et justificatus ille non experitur facilitatem ad actus morales.

Ergo in adulto justificato non infunduntur virtutes morales.

Respondetur. Disting. Maj.: Destruerentur in adulto justificato vitia..., saltem quoad illud quod *formale* est in vitio C.; etiam quoad illud quod *materiale* est in vitio N. — Facilitaretur potentia... hoc sensu quod statim potentiæ adderetur *facilitas exercitii* N.; hoc sensu quod statim potentia inhæreret in objectum virtutis C.

Cdsting. Min.: Remanent habitus vitiosi cum illo quod *formale* est in vitio N.; cum illo quod *materiale* est in vitio C. — Non experitur facilitatem illam quæ vocatur *facilitas exercitii* C.; quæ consistit in *inhæsione voluntatis* in virtutis objectum N.

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 504.

Sub data distinctione, negatur conclusio et explicatur distinctio.

Explicatio. Duo in proposita objectione supponuntur, nimirum:

1° post acceptam justificationem habitus vitiosos, tales quales antea remanere;

2° oportere ut virtutes morales supernaturales semel infusæ statim justo facilitatem tribuant ad actus morales, et quidem facilitatem quæ sit ejusdem rationis ac facilitas quam confert virtus acquisita.

Jamvero utrumque falsum est, quod ex nunc dicendis patebit.

Ad 1um. Quamvis homo post acceptam justificationem vitiosas inclinationes adhuc sentiat, quas antea repetitis actibus peccaminosis acquisivit, tamen illud inprimis considerandum est: illas inclinationes, quibus olim indulgebat, quasque fovebat, nunc jam non existere voluntarias; proinde de se ad finem intentum, quod est peccatum, pertingere non posse.

Manet utique illud quod materiale est in vitio scil. illa physica inclinatio in peccatum; ablatum est autem illud quod formale est in vitio, illudque peccaminosum constituit, nempe inhæsio et complacentia voluntatis in ipsum (1).

Quod vero illud materiale non tollatur, explicari non debet absentia virtutum infusarum. Verum quidem est in unoquoque genere, contraria sese mutuo excludere;

---

(1) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 123. Plenius sic exponitur quid intelligendum sit per materiale et formale virtutis vel vitii, p. 94: « *Materiale* est ipsa physica inclinatio ad actus vel bonos vel malos, quam præcedens operum repetitio generavit et post se reliquit. *Formale* vero est perseverans liberæ voluntatis adhæsio ad objecta prædictorum actuum, quoniam hæc continuata cordis adhæsio est, quæ habitum perficit ac determinat in esse morali sive vitii sive virtutis. Et sane quisquis post multa opera mala, puta in genere luxuriæ vel gulæ vel iræ etc., ad meliorem frugem revertitur, et præcedentia sua errata sincero corde retractat, non abolet quidem uno hoc retractationis actu physicam propensionem quam in anteacta vita contraxit, sed tamen jam aufert id omne unde propensio illa formalem vitii rationem inducrat ».

sed supra (1) diximus specie differre virtutes morales naturales et infusas. Unde habitus vitiosi proprie non contrariantur virtutibus infusis, sed oppositis habitibus acquisitis. Sic explicatur quomodo justus obnoxius maneat illis perversis inclinationibus, quas interdum minime experitur homo non justificatus. « Habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex præcedentibus actibus relictas; quæ quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariæ dispositiones » (2).

Manent ergo apud adultum justificatum habitus vitiosi, sed in via corruptionis, uti ait S. Thomas (3), quasi dispositiones quædam.

Quæ omnia confirmantur ex responsione ad 2um, in quo directe sermo fit de facilitate ad bonam operationem quam virtus infusa in justificato producere nata est.

Ad 2um. Pro certo habendum est virtutem infusam justo conferre specialem aliquam inclinationem seu inhæsionem ad bonum quod est objectum virtutis. Etenim « de hujus virtutis ratione est ut perficiat naturalem potentiam ad posse agere secundum novam illam participatam naturam, quam divinæ consortium naturæ Scriptura vocat (4). Atqui posse agere secundum aliquam naturam semper importat *activum principium motus, propensivum in bonum quod eidem naturæ conveniens est.* Omnis quippe natura propendit seu inclinatur in finem proprium sibi, ut evidenter constat; propendit autem per suas potentias, quibus mediantibus operatur » (5).

---

(1) p. 718; cfr. etiam S. Thomam in IV, D. 14, q. 2, a. 2, ad 2um.

(2) 1-2, q. 65, a. 3, ad 2um. — Cfr. Terrien, *La Grâce et la Gloire*, Tom. I, p. 184.

(3) *De Virt. in comm. q. un.*, a. 10. ad 16um.

(4) Cfr. supra p. 711 s.

(5) Billot, *o. c.*, p. 35 s. — Tanquerey, *o. c.*, nº 595. — Schiffini,

Atvero, illa facilitas seu propensio non est ejusdem rationis ac facilitas quæ propria est habitui acquisito. Si virtus *infusa* de se tribuit connaturale posse (posse agere secundum naturam participatam), virtus *acquisita* connaturale posse (posse agere secundum propriam naturam, in ordine naturali) præsupponit, et insuper potentiæ naturali formaliter addit promptitudinem in agendo ita ut feratur semper vel saltem plerumque in aliquod determinatum objectum, quando illud objectum ipsi proponitur (1).

Quomodo duplex illa facilitas inter se discrepet, egregie exponit Billot (2): « Connaturale posse inclinationem dicit quæ tota se tenet ex parte potentiæ prout activa et motrix est, dum scilicet propensa existens in objectum suum, eo ipso apta nata est movere et agere se in illud. At proclivitas in exercitium actus importat potissimum pronitatem potentiæ prout passiva et mobilis est, ponitque bonam ejus dispositionem non tam ad movere quam ad moveri, id est ad recipiendum operationem qua in objectum tenditur ». In hac promptitudine ad moveri, quæ vocatur facilitas exercitii (3), invenitur suavitas et delectatio in operando.

Jamvero eam facilitatem de se minime confert virtus infusa, nec cum primum infunditur, nec etiam cum postea augmentum recipit. Sed, sicuti in ordine natu-

---

De Gratia divina, p. 234; 321. — Sequenti modo illam inhæsionem explicat LAMBRECHT, *Verklaring van den Catechismus*, bl. 1269 en vlg, ubi proponitur et solvitur difficultas de qua in præsenti: « Al degenen, die de heiligmakende gratie bezitten (ergo et virtutes infusas morales, siquidem simul cum gratia sanctificante infunduntur, quod nunc supponimus) *hebben in hunne ziel eene bepaalde richting tot de bovennatuurlijke werken; hun wil helt er naartoe over;* en daarom hebben zij, gelijk de ondervinding het ook bevestigt, veel meer kracht in den wil om het kwaad te vluchten en het goed te doen dan de zondaars die in vijandschap met God leven ».

(1) Cfr. MAZELLA, *o. c.*, p. 37 — TERRIEN, *o. c.*; p. 141.

(2) o. c., p. 36.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 247; 249. — SUAREZ, *De Gratia*, l. 6. c. 9, n. 8, illam facilitatem vocat *extrinsecam*, primam vero *intrinsecam* « quæ per se inest cuicumque facultati respectu actus ad quem inclinatur ».

rali, facilitas exercitii actibus repetitis acquiritur ita in ordine supernaturali illam pronitatem potentiæ per iterationem actuum virtutum infusarum acquirere valemus.

Quod omnino congruit modo agendi divinæ providentiæ consueto, quæ de lege ordinaria nobis non infundit ad quod propriis viribus possumus attingere.

Tum demum directe contrariantur habitus vitiosi antea forsan contracti, et paulatim destruuntur, quum per actus virtutum infusarum efficienter producuntur in nobis virtutes acquisitæ (1).

IV

Q. *Explica quomodo virtutes infusæ a virtutibus acquisitis distinguantur ratione objecti.*

R. « Si de habitibus loquamur sub generali ratione *habituum,* sic utique supernaturales a naturalibus non necessario distinguuntur secundum objecta. Si autem de iisdem loquamur sub determinata ratione *virtutum,* sic necesse est ut secundum objecta infusi ab acquisitis semper distinguantur » (2).

Explicatur. Supra p. 647, nota 3, jam diximus solummodo virtutem *infusam* perfecte *virtutem* appellari posse, cum illa sola *virtutis* elementa perfecte contineat.

Revera virtus est habitus operativus bonus. Quum tamen virtus sit *ultimum potentiæ* ideo dicitur dispositio perfecti ad *optimum.* Unde ille habitus plenissime *virtus* appellari meretur, qui disponit potentiam ad operandum non tantum bene *secundum quid,* sed bene *simpliciter.*

Licet ergo considerare virtutes acquisitas et infusas

---

(1) De utilitate virtutum acquisitarum in ordine supernaturali disseritur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 249 s.

(2) Billot, *De Virtutibus infusis,* p. 83. — Doctrina quæ heic exponitur, desumitur a modo citato opere R. P. Billot, qui per multas paginas (62-88) illam egregie evolvit, et cujus explicationem sæpe ad verbum referimus.

tum sub ratione generica habituum, tum specialiter sub determinata ratione virtutum.

1. Si de habitibus acquisitis et infusis loquamur sub generica ratione *habitus,* minime distinguuntur ratione objecti.

Profecto distinguuntur secundum naturam ad quam ordinantur (1), in quantum nempe habitus infusus disponit ad actum convenientem superiori naturæ quæ est divina natura in nobis participata, minime vero habitus naturalis, si consideretur secundum se. Sed in quantum illi habitus sunt dispositiones permanentes ad quædam bona peragenda, illæ dispositiones sive acquisitæ sive infusæ circa eadem objecta, prouti nobis in statu viæ proponuntur, versari possunt.

Et quidem inprimis *quoad objecta virtutum theologicarum.* « Hæc objecta, videlicet veritas prima non visa sed revelata, (objectum *fidei*) et bonitas prima ut possibilis haberi in supernaturali beatitudine (objectum *spei*), et eadem prima bonitas ut nunc diligenda amore amicitiæ (objectum *caritatis*), non..... aliter ac quælibet alia objecta menti nostræ obversantur, prout evidens attestatur experientia. Apprehenduntur enim a nobis per species acquisitas et a sensibilibus abstractas eodem modo quo res omnes naturales » (2). Unde, quum præsentantur nobis secundum eamdem formam secundum quam præsentantur cætera omnia objecta mere naturalia, sequitur, externa revelationis gratia semel præsupposita, objecta prædicta attingi posse actu naturali, i. e. propriis naturæ viribus elicito (3).

Ita *actu* naturali fidei attingere possumus omne objectum quod supernaturaliter credimus. Ergo actibus

---

(1) Cfr. S. Thom., 1-2, q. 54, a. 2 in corp.

(2) Billot, *o. c.*, p. 66.

(3) Non tamen ea efficacia attinguntur ut ille actus naturalis conducat in possessionem boni ad quod objecta virtutum infusarum de se ordinem dicunt; de qua re statim infra agemus.

naturalibus repetitis circa idem objectum *habitum* naturalem acquirere valemus.

Nec aliud dicendum videtur si respiciamus *objecta virtutum moralium*. Certe est objectum supernaturale, ordinem dicens ad vitam æternam, modus imponendus passionibus concupiscibilis juxta divinam regulam, id est, prout congruit homini, secundum quod est consors divinæ naturæ, castigando etiam corpus et in servitutem redigendo (1). Jamvero « cogita hominem qui ex quacumque ratione sibi persuaserit dari aliquam vitam superiorem, eique annexam altiorem quamdam temperantiæ regulam secundum quam oportet affligere corpus et in servitutem redigere. Non posset homo per sua naturalia assumere uno die jejunium, et quidem ex tali motivo? Non posset ex motivo eodem induere per horam cilicium, aut modicam sibi imponere flagellationem? » (2).

Ergo circa objectum temperantiæ infusæ potest esse actus et consequenter habitus naturalis. Et idem habetur quoad objecta aliarum virtutum moralium infusarum.

Concludimus quod, considerati sub notione generica habitus operativi boni, acquisiti et infusi non necessario distinguuntur ratione objecti (3).

2. Si nunc sub ratione *virtutis* de utroque habitu loquamur, infusi ab acquisitis semper secundum objecta distinguantur oportet.

Etenim manifestum est objectum proprium virtutis infusæ non posse recte dici objectum proportionatum habitus naturalis. Ut posset dici objectum idem virtutis naturalis et infusæ, requireretur ut etiam habitus naturalis sicut et habitus infusus *bene simpliciter* potentiam

---

(1) Cfr. S. Thom., 1-2, q. 63, a. 4, in corp.

(2) Billot, *o. c.*, p. 87.

(3) Illam quæstionem minus accurate solvit Tanquerey, *o. c.*, nº 596.

disponere possit relate ad illa objecta supernaturalia (1). Atqui illud non obtinet.

Ad hoc enim oporteret ut potentia disponeretur ad attingendum finem ad quem objecta illa ex se conducere nata sunt, nempe ad finem vitæ æternæ. Jamvero *actus naturalis* non adæquat illam supernaturalis objecti conditionem; sed requiritur actus elicitus a potentia virtute infusa informata: solus ille actus *supernaturalis* habet aliquam efficaciam ad conjungendum termino, quem ex sua conditione objecta ista respiciunt.

Consequenter *habitus* naturalis seu acquisitus non disponit nisi ad operationem frustraneam, improportionatam conditioni supernaturalis objecti; potentia habitu naturali prædita, operatur *bene* circa objectum virtutis infusæ, non vero *bene simpliciter,* ideoque habitus naturalis deficit a propria et distinctiva virtutis nota.

Ergo, sub ratione virtutum, excluduntur habitus naturales circa supernaturalia.

Concludimus, sub ratione virtutum, habitus infusos ab acquisitis distingui secundum objecta. Inde intelligitur quod habet Cajetanus (2): « Aliud est loqui de *habitu* theologico, et aliud de *virtute* theologica. Nam habitus theologicos in nobis acquisitos dari, ut habitum fidei et dilectionis et spei, non negamus; virtutes autem theologicas acquisitas dari negamus ».

Corollarium. Quodsi nunc inquiratur utrum virtutes infusæ ab habitibus acquisitis distinguantur *ratione objecti formalis,* oportet antequam respondeamus, prænotare quid intelligendum sit per objectum formale. « Quoniam, ait Schiffini (3), divisio objecti in materiale

---

(1) Dicuntur objecta virtutum infusarum, *supernaturalia,* non quidem ex se et ratione sui; objectum supernaturale per essentiam assignatur Deus per seipsum præsentatus intellectui et cognitionis terminus. Verum sunt supernaturalia *respective,* cum ex se ordinem habeant ad supernaturale objectum per essentiam. Cfr Billot, *o. c.,* p. 64 ss.

(2) In 1-2, q. 62, a. 3, ad 2m.

(3) *De Gratia divina,* p. 326. — Cfr. etiam supra p. 256.

et formale, celebratissima licet, ea tamen, ut rite notavit L. de Lossada (Cursus philosoph. tom. 1, d. 2, c. 1, n. 4), cum suis subdivisionibus annexis tam varie exponitur ab auctoribus cujusvis scholæ, ut vix duos inter se per omnia consentientes invenias, propterea doctrina tradita a B. Thoma (1), per se satis clara, mirum quantum apud posteriores theologos implicata fuit et molestissimam difficultatem sæpe facessit ».

Jamvero si per objectum formale virtutis intelligatur res considerata in ea ratione tantum secundum quam habet ut a tali potentia vel operatione sit attingibilis, dici potest virtutes infusas ab habitibus acquisitis distingui secundum formalem rationem objecti. Etenim statim vidimus idem objectum sub eadem ratione non attingi a virtute infusa et habitu naturali: objecta supernaturalia a virtute infusa attinguntur reduplicative in quantum hujusmodi; scilicet sub ea ratione sub qua conducunt ad finem vitæ æternæ; jamvero præcise sub hac ratione attingi nequeunt ab habitibus naturalibus. Unde hoc sensu recte Schiffini, l. c., ponit ut thesim: « Formalis ratio objecti non potest esse eadem in actu virtutis infusæ et acquisitæ » (2).

Attamen non raro intelligunt auctores tanquam objectum formale virtutis illud quod confunditur cum motivo objectivo quo agens ad operandum movetur. Ita objectum formale fidei, nempe auctoritas Dei revelantis, est ratio objectiva quæ intellectum movet ad assentiendum. Jamvero si hoc sensu sumatur objectum formale virtutis, dicendum opinamur juxta supra exposita, non necessario distingui virtutes infusas ab habitibus acquisitis ratione objecti formalis propter quod creditur vel speratur vel diligitur etc.; quum circa idem objectum virtutis infusæ et quidem propter idem

---

(1) 1-2, q. 63, a. 4, ubi S. Doctor docet temperantiam infusam et acquisitam differre specie, idemque esse dicendum de aliis virtutibus.

(2) Hoc sensu etiam intelligendus videtur S. Thomas, 1-2, q. 63, a. 4.

motivum objectivum, potest esse actus aut habitus naturalis.

A. SOETAERT.

V

Q. *Quid sit dispensatio et quomodo differat a licentia.*

R. Variis modis tolli potest lex. Exstingui potest pro tota communitate, tum per cessationem ab intrinseco tum per abrogationem ab extrinseco, vel, manente vinculo pro communitate, obligatio legis in casibus particularibus auferri vel suspendi potest, tum ab intrinseco per excusationem ex capite ignorantiæ vel impotentiæ, tum ab extrinseco per novum actum voluntatis legislatoris relaxantis vinculum legis per privilegium aut per dispensationem.

I. *Definitur legalis dispensatio:* relaxatio legis in casibus particularibus a competente auctoritate facta.

Hæc proinde est actus positivus (1) potestatis legislativæ seu jurisdictionis, quo in casu particulari vel relate ad personas particulares relaxatur lex positiva, ita ut vis ejus, majori vel minori ambitu, auferatur vel jam ad effectum deducta suspendatur, manente tamen obligatione quoad cæteram communitatem et alios casus (2).

Hac potestate rationabiliter pollere legislatorem pulchre ostendit S. Thomas (3): « Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personæ vel in hoc casu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod

(1) Quare superior dispensationem concedere non potest, nisi sciens et volens, seu, ut habet glossa ad c. 5, C. 1, q. 7, cum cognitione causæ in qua dispensatur. Cf. REIFFENSTUEL in tit. *de constitutionibus*, tit 3, lib. I Decr., nº 449 s.

(2) VAN DEN BERGHE, *Tractatus de legibus*, ed. 2, p. 131, nº 145.

(3) 1-2, q. 97, a. 4.

malum. Periculosum autem esset ut hoc judicio cujuslibet committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum. Et ideo ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non servetur. »

II. *Differt a licentia.* Etenim dum dispensatio sit contra legem quatenus eximit ab obligatione legis, licentia potius dicenda est secundum legem, in quantum lex disponit ne quid fiat absque consensu superioris (1). Licentia enim locum habet, quando lex aliquam rem non absolute sed sub conditione prohibet, ne scilicet fiat sine licentia superioris. Sic si lex præcipiat ne religiosus domum egrediatur sine superioris licentia, is, qui licentiam petit, non petit legis relaxationem sed facultatem ut agat juxtam modum a lege præscriptum (2).

Ex illis notionibus erui possunt quædam ulteriora discrimina, dispensationem inter et licentiam.

a/ Dispensatio per se est stricte interpretanda, cum sit vulnus legis (3); licentia vero latam patitur interpretationem, cum sit facultas per quam lex observatur, ita v. gr. facultas legendi libros prohibitos.

b/ Nunquam valet præsumpta dispensatio, valet autem præsumpta licentia (4). « Quo modo, ait Suarez (5), dicunt communiter auctores non agere contra paupertatem religiosum dantem aliquid ex voluntate præsumpta superioris, quando non potest facile obtinere licentiam expressam, quod tamen in dispensatione non admittimus; et ratio differentiæ est quia ibi actio non

---

(1) Van den Berghe, *o. et l. c.*

(2) Noldin, *De principiis theologiæ moralis*, ed. 6, p. 190, nº 162; Suarez, *De legibus*, lib. VI, c. X, nº 11.

(3) Suarez, *o. c.*, lib. VI, c. XI, nº 10; Reiffenstuel, *o. et l. c.*, nº 451 ss.; Wernz, *Jus Decretalium*. T. I. Introductio, p. 131, nº 125.

(4) Van den Berghe, *o. c.*, p. 141, nº 157; Noldin, *o. et l. c.*

(5) *o. c.*, lib. VI, c. XIII, nº 20.

est simpliciter prohibita, sed solum ut fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam, ex communi usu et prudenti ratione. Hic autem, actio supponitur absolute prohibita et ob eam rationem mala, et ideo de præsenti necessaria est aliqua voluntas quæ prohibitionem et malitiam auferat. »

VI

Q. *Quid sit rescriptum et forma legitima rescriptorum* (1).

R. I. Rescriptum in foro ecclesiastico hodie definitur: responsum Romani Pontificis, scripto datum, ad alicujus supplicationem vel relationem vel consultationem:

Reponsum Romani Pontificis, quia in communi usu loquendi, solius Summi Pontificis responsum vocatur rescriptum. Sunt autem Romæ diversæ Cancellariæ in quibus expediuntur rescripta, præsertim: Dataria, Pœnitentiaria, Cancellaria Apostolica, Secretaria Brevium;

scripto datum et ita distinguitur a responsis quæ vivæ vocis oraculo dantur, etsi postea, probationis causa, in scripturam redigantur;

ad alicujus supplicationem vel relationem vel consultationem ut distinguatur rescriptum a Decretis et dispositionibus quæ *motu proprio* dantur (2) et a Constitutionibus et legibus quæ jus generale condunt. Quamvis dari possint rescripta generalia, tamen ordinarie specialia sunt, seu constituunt jus tantummodo pro singu-

---

(1) ZECH. *Præcognita juris canonici*, ed. 2, tit. XVI, § 330 ss.; FEYE, *Tract. autogr. de rescriptis*, p. 1 ss.; SANTI-LEITNER, *Prælectiones juris canonici*, lib. I Decret. tit. 3 *de rescriptis*, p. 26 ss.; WERNZ. *Jus Decretalium*. T. I. Introductio, nº 149 ss., p. 159 ss.; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7. Prænotiones, p. XX ss.

(2) Clausula *motu proprio* nonnunquam in rescriptis adjuncta, non excludit omnem præviam alterius instantiam, sed significat quod Romanus Pontifex potius propria liberalitate quam oratoris-petitione ad faciendam gratiam fuerit inductus, ZECH. *o. c.*, § 330.

laribus personis, aut pro particularibus personarum associationibus, quæ illa impetrarunt, valentque solum inter partes (1). Per rescripta vulgo, vel leges jam latæ postulanti declarantur, vel ei quid in certis adjunctis sit agendum indicatur, vel oratori aliquid prohibetur, vel demum, quod hodie temporis frequentius accidit, ei favor aliquis — indulgentia, dispensatio, privilegium — impenditur (2). Quod si rescripta concedunt favorem præter aut contra jus in materia cum contentione judiciali partium non commixta, vocantur *rescripta gratiæ; rescripta vero justitiæ,* si in administratione justitiæ dantur ad delegationem vel decisionem causarum.

II. *Legitima forma* rescripta exarantur, si in expeditione illorum omnes et solæ solemnitates atque conditiones *extrinsecæ et intrinsecæ* de jure et stylo Curiæ Romanæ requisitæ rite servantur (3).

A. *Forma externa* est legitima si in ipsa scriptura seu in ipsis litteris quæ post supplicationem signatam a Romano Pontifice (4) expediuntur, præmittatur nomen Romani Pontificis rescribentis; adjiciatur annus incarnationis, pontificatus, dies, mensis, locus; si in ipso corpore rescripti eæ occurrant locutiones quæ ex stylo curiæ (5) pro diversitate personarum et materiæ usurpantur; si diversis solemnitatibus dentur rescripta gratiæ et justitiæ, rescripta in forma Bullæ, Brevis aut simplicis scripturæ.

---

(1) Reiffenstuel, in hunc titulum *de rescriptis,* nº 9 ss.; Wernz, *o. et l. c.,* p. 160; Feye, *o. c.,* p. 4, nº 3. Rescripta relata in corpore Decretalium Greg. IX, vim legis generalis obtinuerunt, vi insertionis in collectione canonum authentica et universali.

(2) Feye, *o. c.,* nº 1, p. 1.

(3) Wernz, *o. c.,* p. 165, nº 152, quem auctorem præcipue hac in parte responsionis adhibuimus.

(4) Zech, *o. c.,* § 337; Feye, *o. c.,* nº 7, p. 7.

(5) Stylus Curiæ est consuetudo, longa constantique praxi Tribunalium Romanorum introducta, determinans ordinem et normam procedendi in causis ecclesiasticis, et notatim in petitione et concessione rescriptorum.

B. *Forma intrinseca* constat duplici parte: parte expositiva et parte dispositiva. In prima continetur *narratio* sive series facti, in qua breviter reassumuntur objectum et causa petitionis, juxta libellum principi oblatum. Quam narrationem subsequitur *supplicatio*, qua preces per modum conclusionis ab oratore oblatæ repetuntur.

Juxta narrata et petita redigitur pars dispositiva, in qua Romanus Pontifex rescribens mentem suam aperit, disponens quid, qualiter, sub quibusnam conditionibus concedat. Ad hanc partem spectant *clausulæ* quæ in rescriptis apponuntur. Inter quas aliæ expresse adjiciuntur, aliæ etiam non expressæ semper subintelliguntur, nimirum: *si preces veritate nitantur* aut *si ita est; salvo jure alterius* aut *sine præjudicio alieno* (1).

Tenorem rescripti Romani habes supra, apud *Collationes* p. 119 s., 542 s.

A. De Meester.

(1) De clausulis cf. Barbosa, *Tractatus de clausulis usu frequentioribus* in opere cui titulus *Tractatus varii;* Ferraris, *Prompta bibliotheca canonica*, v° clausula; Feye, *o. c.*, p. 10, n° 10; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XXIV ss.; Konings-Putzer, *Commentarium in facultates apostolicas*, ed. 5, p. 17, 103, 109 etc. Neo-Eboraci, 1898.

Miscellanea

I

Non semel monuimus pseudo-conjuges, in bona fide versantes circa nullitatem sui matrimonii, si nullitas in populo ignoratur nec de ea dicti sponsi moneri possunt, regulariter esse relinquendos in bona fide (1). Cui tamen regulæ nonnunquam derogatur, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 556 s., quotiescumque scilicet meritò timetur ne nullitas matrimonii detegatur, putà si impedimentum est facto quidem occultum sed natura publicum: tunc nimirum solet concedi sanatio in radice cum peculiari hac clausula, ut rescriptum, in Cancellaria Episcopali diligenter custodiendum, suffragari possit in foro externo, pro casu quo innotescat conjugii invaliditas (2).

En novum specimen hujusmodi concessionis, cum memorata clausula in radice sanantis matrimonium, ex capite clandestinitatis nulliter contractum:

Beatissime Pater,

N.N. Episcopus N. exponit sequentia: N. et N. paucis ante matrimonium hebdomadis diverterunt in X, ibique, mutato ob certas rationes et ad breve tempus domicilio civili, contractum civilem inierunt ac in ecclesia de X coram hujus ecclesiæ parocho contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum clandestinitatis, quum in dicto loco nec domicilium nec quasidomicilium acquisierint ac paro-

(1) Hujus disciplinæ, quæ primo aspectu mira videtur, aliqua ratio redditur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p, 556, in nota; addi posset ratio quam proponit *Rev. éccl. de Liége*, 1907, p. 116, quatenus grave possit esse incommodum in convalidandis nuptiis, inscio utroque conjuge: si enim conjux postea « cognitionem impedimenti accipiat, forsitan revera recedet a matrimonio, quod nullum existimat ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t VI, p. 601 et 602.

chus proprius tum oratoris tum oratricis, præ inadvertentia omiserit delegare parochum de X ut præfato matrimonio assisteret. Quum autem oratores bona fide egerint et in omnimoda versentur bona fide circa valorem sui matrimonii, nec de ipsius nullitate absque gravissimis incommodis certiorari possint, supplex rogat Episcopus orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare ac proles exinde natas ac nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus.

S. Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate præfatum matrimonium sic, uti præfertur, nulliter contractum in radice sanat et convalidat, prolemque sive susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat.

Præsentes autem litteræ in Cancellaria episcopali diligenter custodiantur ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit (an. 1906).

II

Apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 726, et VI, p. 122, in hoc institimus, non posse scilicet, coram foro ecclesiastico, qua legitimam adscribi alicui viro, eam in suam agnoscenti, prolem quam moraliter constat ex alio patre susceptam; qua occasione præposteram reprobavimus agendi rationem officialium civilium, contra fas et nefas hujusmodi legitimationem admittentium, vel et admitti cogentium.

Porro nuper in parochia N. contigit, in matrimonii celebratione, filium, natum die 6ª Aprilis 1896, agnosci a marito, nato die 27 Decembris 1884, adeo ut, conceptæ prolis tempore, sic dictus pater nondum attigerit undecimum annum.

Hanc autem recognitionem et inde consequentem legitimationem inscribendam curavit officialis civilis, suadente magistratu superiori de hac re prævie consulto. Et ita apparet in hunc sensum magis magisque firmari praxim fori civilis, quatenus mera declaratio nupturientium, quantumcumque dubia vel et manifestè falsa, celebrationis momento facta, jure importet legitimationem cujuscumque prolis extra matrimonium susceptæ;

quod sane contradicit æquitati ac juri naturali, nec conforme est cum ipsa dispositione juris civilis: statuit enim art. 331: « Les enfants nés hors mariage... pourront être légitimés par le mariage subséquent de *leurs père et mère*, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou les reconnaîtront dans l'acte même de la célébration ».

Profectò, ubi *dubia* est paternitas, declaratio facta non est illicò rejicienda ab officiali civili, pro ejus arbitrio; sed nec posset qua certa inscribi in registro et ad indubiam legitimationem suffragari: oporteret negotium deferre ad judicem superiorem. Ubi autem manifestè falsa innotescit nupturientium affirmatio, quemadmodum in casu proposito, absurdum est legaliter agnoscere filium qua legitimum, quem constat esse spurium, simul injuriam inferendo prolibus legitimis ex legitimo connubio suscipiendis.

A. De Smet.

Documents de Jurisprudence.

Location des sièges d'église. — Droit de police du curé.

I. Il a été jugé par la justice de paix de Messancy (prov. du Luxembourg), le 21 juin 1902 (1), qu'un règlement de fabrique d'église, réservant le porche compris entre les deux portes d'entrée de l'église et percevant pour cette place un prix fixé à un franc par jour et par service, n'est pas contraire au décret de 1809 et à l'article 113 de la Constitution (2). Le tribunal déclare également qu'il n'appartient pas au pouvoir judiciaire d'apprécier la convenance de la place réservée, de déterminer les places, bancs, chaises à régir ou à louer, et d'en fixer le prix; que c'est à la fabrique d'église, sous le contrôle de l'autorité administrative supérieure (3), à prendre ces dispositions, pourvu qu'elle laisse une place commode et convenable pour tous ceux des fidèles qui ne louent pas une place et qui ne paient rien.

II. Un jugement du tribunal de Saint-Sever (France), prononcé en date du 1er avril 1905 (4), a statué qu'en dehors des concessions régulières, la place réservée aux fidèles dans les églises est au premier occupant; que le curé est sans qualité pour prendre un arrêté attribuant des places déterminées dans son église à tels ou tels de ses paroissiens, qu'un semblable pouvoir rentre dans les attributions exclusives du conseil de fabrique, en vertu des articles 68 et suivants du décret de 1809; que l'arrêté dont il s'agit, con-

---

(1) *Revue cath. de droit*, 1906-1907, t. IX, p. 276 s.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 1115.

Le but du conseil de fabrique était sans doute d'éviter que certains paroissiens se placent au fond de l'église entre les deux portes d'entrée.

(3) Il suffit que la délibération du bureau, fixant le tarif des prix des bancs et des chaises, soit approuvée par le conseil et affichée à l'église (a. 64 du décret de 1809). Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 93 ss. Nous croyons que l'évêque pourrait apporter des modifications au tarif. Voir Crouzil, *De la location des sièges d'église* (Coll. *Science et religion*, nº 247) p. 5 ss. Paris, 1903.

(4) *Pas.* 1906, IV, p. 10 s., *Rev. cath. de droit*, 1906-1907, t. IX, p. 232.

férant une véritable concession de place, constitue un acte administratif produit au cours d'un différend en matière civile, et qu'en conséquence les tribunaux ont le droit d'en apprécier la légalité et de refuser d'en faire l'application au litige qui divise les parties.

III. Une décision du 23 mars 1905, émanant du tribunal civil de Huy, statuant comme jurisdiction d'appel (1) se rapporte à une question analogue.

Un particulier avait soldé en mains du curé deux taxes annuelles de 7 fr. 50 chacune, lui donnant pour l'année 1904, le droit de placer deux chaises privées dans l'église. Le curé, en vertu de son droit de police, avait fait enlever les deux chaises de l'église, pour des motifs d'ordre intérieur. « Attendu qu'en contractant avec cette personne particulière, le curé a agi, non comme mandataire de la fabrique, mais en vertu d'un droit lui compétant personnellement; attendu qu'il a manqué à ses engagements en faisant enlever de l'église, sans motifs plausibles, les deux chaises privées; » par ces motifs, le tribunal condamne le curé à restituer les chaises, à rembourser la taxe de 15 francs et à payer la somme de 30 francs à titre de dommages-intérêts.

Observations.

1° Nous considérons ces deux dernières décisions comme non fondées. Elles sont la résultante d'une confusion entre le droit de location des sièges d'église, droit qui appartient exclusivement aux autorités fabriciennes (art. 64 ss. du décret de 1809) et le droit de police du curé, en vertu duquel, il règle tout ce qui concerne le placement des bancs et des chaises à l'église, sauf recours à l'évêque en cas d'abus de pouvoir (a. 30 § 3 du décret).

Usant de ce droit le curé peut attribuer des places à tels ou tels individus, séparer les sexes, déterminer les endroits qui doivent rester inoccupés, placer, déplacer ou enlever des bancs et des chaises, en un mot

(1) *Pas* 1905, III, p. 302 s.

introduire toutes les modifications, qu'il juge opportun d'apporter dans un intérêt d'ordre ou de convenance (1).

L'acte du curé assignant des places à l'église n'est nullement une location ou une concession de places au sens des articles 64 ou 68 du décret de 1809; ce n'est nullement un acte administratif, dont les tribunaux peuvent apprécier la légalité et qu'ils peuvent tenir pour non-avenu; c'est un acte d'ordre intérieur, soumis à la seule juridiction supérieure de l'évêque. C'est pourquoi nous estimons que les tribunaux de Saint-Sever et de Huy ont excédé les limites de leur compétence et violé les prescriptions citées du décret de 1809.

2° D'autre part, le curé en vertu de son autorité privée, ne peut pas faire la concession d'un banc ou d'une chaise, ni accorder à des particuliers, moyennant une redevance annuelle, l'usage exclusif à l'église de chaises leur appartenant. Dans la contestation soumise au tribunal de Huy, le curé, en accordant le droit de placer des chaises privées moyennant paiement de la taxe, a agi évidemment comme mandataire de la fabrique qui a bénéficié du prix de la concession. Conséquemment la fabrique était liée par ce contrat; elle était tenue d'assurer l'usage des chaises à celui qui les avait placées dans l'église, même à garantir que les chaises resteraient à un endroit déterminé, si cette condition, du consentement du curé, avait été expressément stipulée dans l'acte. Que si un cas de force majeure — comme le serait un arrêté du curé pris en vertu de son droit indépendant et inaliénable de maintenir l'ordre et la décence dans son église — rend impossible l'exécution du contrat, on peut provoquer la résiliation de celui-ci, *à l'égard de la fabrique,* sans

---

(1) Fédou, *Traité pratique de la police du culte,* 5e édit., p. 32 ss. Toulouse, 1877; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.,* n° 1167; *Rev. cath. de droit,* 1905-1906, t. VIII, p. 276; 1906-1907, t. IX, p. 233 s.; de Corswarem, *De l'administration des fabriques d'église,* p. 128, n° 118 ss. Hasselt, 1904.

toutefois qu'il puisse avoir lieu à aucune réclamation de dommages-intérêts, pour lésion vexatoire de droits acquis.

3° Le principe, que la place, en dehors des locations et concessions régulières, est à l'église au premier occupant, n'est pas absolu. Il est limité par le droit de police du curé.

A. De Meester.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier 1908.

En exécution de l'article 10 du décret de 1809, les conseils de fabrique se réuniront en séance ordinaire et obligatoire, le dimanche 5 Janvier 1908. V. *Collationes*, t. IX, p. 710.

Indulgentiæ noviter concessæ

Invocationes.

Ad Spiritum sanctum.

Indulgentia 300 dierum, defunctis applicabilis, quoties recitatur invocatio: *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende* (1). — E Secret. S. C. Indulg. 8 maii 1907.

Ad Cor Jesu.

Heer Jesus, neem onzen Heiligen Vader den Paus onder de bescherming van uw goddelijk Hert; wees zijn licht, zijne sterkte en zijn troost (2).

300 dies, toties quoties, non applicabilis defunctis. — Audientia 10 aprilis 1907.

Dominus meus et Deus meus!

SS. D. N. Pius Pp. X die 18 maii 1907 concedere dignatus est *septem annos et septem quadragenas* Indulgentiæ omnibus christifidelibus, « qui fide, pietate et amore sacratissimam Hostiam adspexerint, non solum cum in Missæ Sacrificio elevatur, verum etiam cum solemniter exponitur,... additis, in ipsa oculorum elevatione, verbis: *Dominus meus et Deus meus!* »; item *indulgentiam plenariam* semel in hebdomada, modo « talem piissimam praxim quotidie peregerint, et Sacram Communionem rite dispositi receperint ». Quæ indulgentiæ non declarantur applicabiles defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 12 Julii 1907.

Hæc piissima praxis non sine utilitate fidelium spargetur ubique, at præsertim in scholis. Quod speciatim attinet elevationem post consecrationem Missæ, satis

---

(1) *Kom, heilige Geest, vervul de herten uwer geloovigen, en ontsteek in hen het vuur uwer liefde; Venez, Esprit-Saint, remplissez les cœurs de vos fidèles, et allumez-y le feu de votre amour.*

(2) *Seigneur Jésus, couvrez de la protection de votre divin Cœur notre Très Saint Père le Pape! Soyez sa lumière, sa force et sa consolation!*

communiter dicitur introducta in ecclesia latina ad effectum solemnis protestationis contra hæresim Berengarii (s. XI), negantis præsentiam realem (1). Deinde juxta rubricam sacerdos « elevat *in altum* Hostiam et intentis in eam oculis... populo reverenter *ostendit* adorandam ». Populus igitur, cum sacerdos flectit genu, humiliter adoret; deinde, cum ei ostenditur Hostia, eam *aspiciat* « fide, pietate et amore » dicens: *Dominus meus et Deus meus!* Denique iterum humiliter cum sacerdote adoret. Ita respondebit populus menti, ut videtur, Sanctitatis Suæ concedentis indulgentiam.

Adverte celebranti esse prohibitum quominus in Missa addat preces *vocales,* adeoque ipsi non offerri lucrandam indulgentiam in sua missa; deinde non exponi *solemniter* SS. Hostiam quando manet in pyxide inclusa: ceterum tunc non potest *adspici* SS. Hostia; denique ad indulgentiam *plenariam* lucrandam satis esse, si communio instituatur semel in hebdomada.

Veneratio SS. Nominis Jesu.

1° Indulgentia 300 dierum iis qui recitant quinque *Gloria Patri* et quinquies repetunt jaculatoriam: *Sit infinite benedictum SS^mum^ Nomen Jesu* (2).

2° Plenaria iis qui confessi ac sacra Synaxi refecti dominica 2^a^ post Epiphaniam visitant ecclesiam in qua celebratur festum SS. nominis Jesu, ibique consuetas fundunt preces.

Quæ indulgentiæ suffragari possunt animabus purgatorii. — 19 nov. 1906. E Secr. S. C. Indulg. 26 nov. 1906.

---

(1) Cf. Dom Vandeur, O. S. B., *La Sainte Messe. Notes sur sa liturgie,* 2e éd. (Maredsous, 1907), p. 132. Cf. tamen P. Thurston, S. J., *The Tablet,* 1907, p. 603 ss., 643 ss., 684 ss. — Contendit np. *ostensionem* factam esse contra doctrinam nonnullorum Doctorum Parisiensium, qui opinabantur consecrationem panis non esse completam nisi post consecrationem calicis.

(2) *Oneindig gezegend zij de allerheiligste Naam van Jesus; Que le très saint Nom de Jésus soit infiniment béni.*

Recitatio parvi Officii B. M. V.

Ad lucrandas indulgentias, ex concessione 28 augusti 1903 (1), suffragari potest recitatio in lingua vulgari, sed recitatio *tantum privata*. Nunc verò declaravit S. C. Indulg. 18 decembris 1906: « Recitationem parvi Officii B. M. V. retinendam esse adhuc privatam, quamvis ipsius recitatio locum habeat in communi intra septa domus religiosæ, immo et in ipsa ecclesia vel publico oratorio prædictæ domui adnexis, sed januis clausis ».

Renovatio votorum baptismalium.

Similis ac *suprà* hoc t. XII, p. 440 conceditur indulgentia plenaria in fine missionum vel exercitiorum spiritualium. S. C. Indulg. 27 febr. 1907.

Renovatio professionis religiosæ.

Conceditur indulgentia 50 *dierum*, non applicabilis defunctis, toties lucranda quoties alumni vel alumnæ familiarum religiosarum, vota emittentes, invocationem: *Cor Jesu, charitatis victima, fac me Tibi hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (2) corde saltem contrito et devote recitaverint, cum intentione denuo religiosa vota nuncupandi. — E Secret. S. C. Indulg. 27 febr. 1907.

Actus heroici revocabilitas.

An fidelis emittens *actum heroicum*, quod *votum* ordinarie vocatur, quo in suffragium defunctorum divinæ Majestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, necnon omnia sua opera satisfactoria, et etiam suffragia sibimet post mortem conferenda, possit, quando ipsi libuerit, revocare?

S. C. Indulg. resp. *Affirmative*. — E Secret. S. C. Indulg. 20 februarii 1907.

Recitatio SS. Rosarii.

Sodales societatis SS. Rosarii obligantur ad recitan-

---

(1) Collat. Brug., t. IX, p. 64.

(2) *Hert van Jesus, slachtoffer van liefde, maak dat ik voor U een levend, heilig, Gode aangenaam offer weze; Cœur de Jésus, victime de charité, faites que je vous sois une hostie vivante, sainte, agréable à Dieu.* Citatur Rom. XII, 1.

dum semel in hebdomada Rosarium quindecim decadum, meditando singula mysteria; at possunt lucrari indulgentias, etiam singulas decades ad libitum separando, modo in fine hebdomadæ integrum Rosarium compleverint. Hujusmodi porro divisio pro solo Rosario hebdomadario erat permissa; nunc vero in audientia 13 octobris 1906 eamdem permisit S. S. Pius Pp. X sed solis confratribus, quando agitur « de aliis Rosariis intra quemcumque diem ultronea devotione recitatis ». — Ita scribit Mag. Gen. Ord. Præd. die 14 octobris 1906.

Nota verba: *intra quemcumque diem;* unde videtur concludendum separatas decades in unam coronam 5 decadum esse conjungendas intra eamdem diem.

Cumulatio indulgentiarum.

Notum est uni et eidem rei, puta uni coronæ, posse applicari indulgentias diversas, v. g. indulgentias Apostolicas et S. Birgittæ dictas, Rosarii S. Dominici et a PP. Crucigeris nuncupatas, sed ad varias indulgentias lucrandas *renovanda esse opera injuncta iterabilia* (*Decr. auth.*, n. 249, ad 3). Hujus regulæ posteriorem partem iterum confirmavit S. C. Indulg. decreto 12 junii 1907. At de speciali gratia, ut in eodem decreto legitur, concessit SS. D. N. Pius Pp. X ut fideles cumulare valeant indulgentias a PP. Crucigeris nuncupatas (1) cum indulgentiis recitationi SS. Rosarii (S. Dominici) adnexis, *in ipsa tantum Rosarii recitatione*, dummodo coronæ utramque benedictionem acceperint.

Verba: *In ipsa tantum Rosarii recitatione*, explicantur in eodem decreto ubi ad dubium: « An pariter cumulentur indulgentiæ, quando christifideles manu gestantes coronam ditatam indulgentiis PP. Crucigerorum, recitent Orationem dominicam vel Angelicam Salutationem, adnexam alicui orationi vel pio exercitio peculiaribus indulgentiis jam ditato » (v. g. Angelus Domini)? resp. *negative*.

---

(1) Cf. *suprà* hoc t. XII, p. 732.

Hac occasione liceat hoc advertere: ad lucrandas indulgentias plenarias diversas, eodem die vel sequenti die occurrentes, una et eadem confessio et communio suffragari potest, dummodo alia opera injuncta iterabilia renoventur (*Decr. auth.*, n. 291, ad 1; n. 399, ad 1; n. 434, ad 3). Hanc regulam præ oculis habuimus *suprà* hoc t. XII, p. 434. Cum per Triduum eucharisticum iterari possit sacra communio, judicavimus ad utramque indulgentiam plenariam acquirendam, bis requiri sacram communionem. Cum tamen pro indulgentia adnexa ipsis triduanis supplicationibus, dies cujuslibet arbitrio possit eligi intra ipsum Triduum, videtur una communio, die dominica instituta, posse suffragari ad utramque indulgentiam plenariam lucrandam, dummodo reliquæ conditiones solvantur: np. si quis Triduo qualibet die devote adfuerit, cum aliis simul congregatis ad sacras Epulas accesserit et pro singula indulgentia ad mentem Sanctitatis Suæ pie oraverit, puta bis recitando quinque *Pater* et *Ave*.

Ut perspecta habeatur ratio utriusque concessionis, quoad separabilitatem decadum et cumulationem indulgentiarum, sit hoc exemplum: recitans unam decadem lucratur primo indulgentias Crucigerorum np. undecies 500 dies, deinde indulgentias SS. Rosarii np. a/ undecies 100 dies (1), dummodo meditetur respectivum mysterium et eadem die conjungat quinque decades in unam coronam; b/ si præterea recitans sit adscriptus confraternitati SS. Rosarii, pro singulo *Ave* indulgentiam quinque annorum et quinque quadragenarum (2). Quæ indulgentiæ omnes applicari possunt defunctis.

H. Mahieu.

---

(1) *Appendix* ad elenchum 29 augusti 1899, sub 2. Ad hanc indulgentiam lucrandam adhiberi debet rosarium rite benedictum, sed eam omnes fideles acquirere valent.

(2) *Elenchus cit.*, n. 8. Ut ibi dicitur, hæc indulgentia est adnexa devotæ invocationi Nominis Jesu in fine primæ partis Salutationis angelicæ (S. C. Indulg. 14 aprilis 1856) et est propria confratribus.

Ex S. Congr. R. et U. Inquis.

Eminentissime Domine,

Titius et Berta matrimonium canonicum contrahere volunt; sed suspicatur quod primo in linea collaterali gradu sint ligati. Quæ suspicio innititur tribus fundamentis quæ pro fraternitate Titii et Bertæ militant:

1° Rumor publicus; incolæ omnes reputant fratres Titium et Bertam.

2° Assertio Mariæ, matris Bertæ, alimenta petentis coram judice a Sempronio, eo quod ab eo genita esset Berta. Sempronius et Maria erant tunc temporis soluti.

3° Recognitio, declaratio, confessio paternitatis facta a Sempronio in articulo mortis et in libro parochiali conscripta.

Sempronius matrimonium contraxit cum Anna ex qua procreavit Titium oratorem, et mortua Anna, viduus transivit ad secundas nuptias cum Maria, matre Bertæ oratricis.

Parochus, vi rationum quæ expositæ sunt, timens ut ligati sint oratores vinculo fraternitatis, matrimonium interdixit.

Titius et Berta oratores non acquiescunt agendi rationi parochi nec a proposito matrimonium ineundi [recedere volunt].

Re ad Ordinarium delata, Maria, interposito juramento, asserit iterum atque iterum filiam suam Bertam nequaquam esse Titii sororem; illam enim edidit non ex Sempronio patre Titii, sed ex quodam Francisco ejusdem oppidi, cum quo tantum copulam illicitam habuit ante matrimonium.

Tribus argumentis propositis respondet: Rumorem publicum a vocibus a seipsa prolatis falsò, ne cum altero matrimonium contraheret (Sempronius), natum esse. Eadem causa coram judice alimenta petivisse a Sempronio... Demum a seipsa Sempronium in articulo mortis non parvis precibus et viribus inductum esse et coactum ad declarationem paternitatis, quæ toto cœlo a veritate abest.

